Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractauscanonicu0002petr

TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO

TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO

CURA ET STUDIO

PETRI CARD. GASPARRI

CONCINNATUS

Christus ... totam (matrimoniorum) disciplinam Ecclesiae credidit.

Leo XIII, Encycl. *Arcanum*, 10 februarii 1880.

EDITIO NOVA AD MENTEM CODICIS I. C.

VOL. II

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MDCCCCXXXII

IMPRIMATUR:

† Fr. Aug. Zampini, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civit. Vaticanae.

TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO

CAPUT IV.

DE CONSENSU MATRIMONIALI

Can. 1081. – § 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet.

§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.

775. Personae habiles ad matrimonium ineundum, de quibus in longiori capite praecedenti, debent habere consensum internum, eumque sufficienter manifestare, ut matrimonium esse possit; nam ex una parte matrimonium est contractus, et sine interno consensu contractus ne intelligi quidem potest, et ex alia parte « intentio mente retenta nihil in humanis contractibus operatur »; l. 6, Dig., *Locati conducti*, XIX, 2. Adeo necessarius est consensus interior in utraque parte ad matrimonium, ut illius defectus nulla humana auctoritate suppleri possit, quod expressis verbis tradit Codex in rel. can. 1081 § 1. Ad rem Pius VI in Epist. ad Episcopum Agriensem, die 11 iulii 1789: « Hic contractus (matrimonialis) etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per leges suppleatur, in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat ». S. P. Pius XI id eisdem verbis repetit in Encycl. *Casti connubii* (Alleg. III).[1]

[1] Sanchez, lib. III, disp. XXVI, cum aliis, agitat quaestionem num Deus sua potentia absoluta possit efficere, ut matrimonium sit sine partium consensu. Non dubitamus responsionem negativam veram esse, si de matrimonio proprie dicto sermo sit, cum Deus nequeat efficere ut res sit sine sua essentia, seu simul sit et non sit.

Acc. 4895

Iure nostro canonico consensus utriusque partis, interior, sufficienter et in debita forma manifestatus, non solum matrimonio essentialis est, sed ipse solus matrimonium totaliter in suo esse constituit, ita ut nil aliud ad eius essentiam requiratur (n. 8). Hinc in c. 3, X, *De sponsa duorum*, IV, 4, traditur matrimonium contrahi mutuo viri et mulieris consensu, verbis consuetis expresso. Concinit c. 14, X, *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1: « Matrimonium autem solo consensu contrahitur »; et c. 23 eiusd. tit: « Sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur »; et c. 25: « Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum »; et c. 1, C. XXVII, q. 1: « Matrimonium non facit coitus, sed voluntas »; et c. 2, l. c.: « Sufficiat, secundum leges, eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus, si in nuptiis forte solus defuerit, cetera omnia, etiam cum ipso coitu, celebrata frustrantur ». Huic canoni alludit Innocentius III in c. 5, cit. tit., tradens: « Ut postquam inter legitimas personas consensus legitimus intervenerit de praesenti, qui sufficit in talibus iuxta canonicas sanctiones, et si solus defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, si personae iunctae legitime cum aliis postea de facto contrahant, quod prius de iure factum fuerat, non poterit irritari ». Unde contractus matrimonialis ab AA. communiter recenseri solet inter contractus consensuales, non reales, quia sufficit ea traditio quae habetur in expressione consensus, et non requiritur realis.[1]

Iam vero ut hanc materiam amplam et implicatam, quae est de consensu matrimoniali, ordine exponamus, in distinctis articulis loquemur de notione consensus matrimonialis, deinde

---

[1] Quaestio est utrum iure romano matrimonium solo consensu consisteret legitime expresso, an requireretur insuper *deductio mulieris* in domum viri. Haec quaestio antiqua est: communior sententia erat solum consensum sufficere. Altera sententia nostris diebus validiores nacta est defensores: nam Facultas Parisiensis, duce Ortolan, eam sustinet. Nos primam veriorem putamus. Cf. Voet, *Comm. ad Pandect.*, tit. 2, *De iustis nuptiis*; Bonfante, *Corso di Dir. Rom.*, vol. I (1925), p. 189-190.

de iis, quae eidem opponuntur, postea de eiusdem consensus expressione seu manifestatione, tandem de consensu praestito sub conditione, modo, causa, demonstratione.

Articulus I.

De notione consensus matrimonialis.

776. Consensus in aliquo contractu in genere est actus voluntatis assentientis alteri personae circa obiectum aliquod in omnibus, quae ad eius substantiam pertinent.[1] Atqui obiectum substantiale matrimonii est vitae consuetudo et nominatim ius in corpus alterius perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (n. 7). Ergo consensus matrimonialis erit actus voluntatis quo utraque pars tradit-acceptat ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (cit. can. 1081 § 2). Aliis verbis est actus voluntatis quo Titius tradit Semproniae hoc ius in corpus suum et acceptat simile ius in corpus ipsius. *Perpetuum* et *exclusivum*, ob essentiales matrimonii proprietates indissolubilitatis et unitatis, quibus in matrimonio christiano accedit ratio Sacramenti.

In nonnullorum opinione huic notioni consensus matrimonialis addi deberet: *liber*; quia, aiunt, si actus ille voluntatis in Titio est coactus, iam est natura sua insufficiens ad matrimonium. Nos putamus etiam in metu haberi consensum matrimonialem, quia voluntas etiam sub metus influxu semper libera manet, nisi metus rationis usum omnino auferat, ideoque consensum, licet metu extortum, per se sufficere, citra ius positivum, ad validitatem matrimonii; ac proinde *τὸ liber* omisimus. Ceterum hanc quaestionem utrum metus irritet matrimonium iure naturae vel iure ecclesiastico tantum, fuse n. 839 seq. evolvimus.

Iuxta aliorum opinionem definitioni consensus matrimonialis addendum foret: *et in vitae societatem*; sed nos iam

[1] D'Annibale, p. III, § 430.

diximus (cit. n. 7) communionem tori, mensae, habitationis potius ad integritatem quam ad essentiam matrimonii pertinere, ita ut matrimonium valeat, exclusa per pactum hac vita communi, salvo tamen iure in corpus, de quo supra, ut evenit in matrimonio conscientiae, de quo n. 1052 seq.

777. Quamquam vero consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo pars tradit alteri eiusmodi ius et ab altera traditum acceptat, tamen non est necessarius duplex actus formaliter distinctus, alius scilicet quo ius alteri tradatur, et alius quo ius ab altera traditum acceptetur; sed unus idemque actus traditionis virtualiter continet acceptationem, et unus idemque actus acceptationis traditionem. Id accidit etiam in aliis contractibus bilateralibus;[1] e. g., si Petrus ait Ioanni: *Do tibi centum pro equo*, id significat: *Do tibi centum, et accepto equum a te tradendum*, et si Ioannes respondet: *Accepto*, id significat: *Accepto tua centum, et do equum*. Ad rem De Lugo, *Resp. Mor.*, lib. I, dub. XLII, n. 2: « Adverto coniuges iisdem omnino verbis, quibus proprium consensum exprimunt, significare etiam se acceptare obligationem et consensum ab altero coniuge expressum: neque enim alia verba proferunt praeter illa: *Accipio te in meam* vel *in meum*, quae verba utrumque significant, nempe et obligationem propriam et acceptationem obligationis alterius coniugis, nec possunt unum sine altero exprimere. Cum enim sit contractus constans essentialiter ex mutua utriusque obligatione, nec possit ex una parte claudicare, quin ex utraque deficiat, non potest vir e. g., dicere: *Volo esse tuus vir*, quin eo ipso dicat: *Volo habere te in uxorem*, ac per consequens habere te mihi obligatam, sine qua obligatione non esset uxor, nec vir esset eius maritus. Debet ergo velle indivisibiliter utramque obligationem, et per consequens iisdem verbis exprimit et suam obligationem et quod vult seu acceptat obligationem alterius; quae voluntas sufficit, ut, absolutis verbis secundi coniugis, censeatur perfectus undique contractus, nulla alia exspectata morula temporis subsequentis: iam enim uterque expressit suum con-

[1] D'Annibale, p. II, § 430, not. 34.

sensum et novit consensum alterius et illum acceptavit. Et quidem de consensus expressione constat: siquidem uterque supponitur protulisse verba necessaria ad exprimendum consensum; rursus singuli ea verba audierunt, quilibet consensum alterius acceptavit et dixit se acceptare: nam dicendo se velle alterum in coniugem, dixit se velle alterum sibi obligatum, cum non possit esse coniux, nisi qui coniugi obligatus est, atque ideo dixit se velle acceptare alterius obligationem et consensum ».

778. Pariter nec refert an inter traditionem et acceptationem unius, atque acceptationem ac traditionem alterius sit aliquod temporis intervallum, dummodo, accedente acceptatione et traditione alterius, primus suum consensum non revocaverit. Id commune est omnibus contractibus bilateralibus: e. g., si Petrus ait Ioanni: *Do tibi centum pro equo*, et Ioannes post diem respondet: *Accepto*, perfectus est contractus emptionis-venditionis, dummodo Petrus in sua voluntate persistat, quia voluntas Petri virtualiter perseverat, et voluntas virtualis sufficit ad constituendos actus humanos ideoque et contractus. Ita etiam in matrimonio: praescindendo a substantiali matrimonii forma, si Titius dicit Semproniae: *Contraho tecum*, Sempronia autem hic et nunc non respondet, sed deliberat et tandem ait: *Accepto*, stat matrimonium, nisi Titius interim consensum suum revocaverit: nam consensus a Titio non revocatus virtualiter perdurat ac proinde, accedente Semproniae consensu, efficaciter matrimonium perficit. Haec autem de rigore iuris valere potuisse etiam post decretum *Tametsi* Conc. Trid., vide apud Sanchez, lib. II, disp. XXXIII, n. 16. 17; at longe difficilius valere poterunt post promulgationem Codicis, qui exigit praesentiam partium per se aut per procuratorem (can. 1088 § 1), quorum consensum sacerdos assistens requirit ac excipit (can. 1095 § 1 n. 3º). Diximus: *nisi Titius...*: quia tunc haberetur solum Semproniae consensus, sicut ante consensum Semproniae et revocationem Titii habebatur solum Titii consensus, ideoque matrimonium non adesset.

779. Porro Titius consensum suum revocare potest tacite vel expresse, et in foro externo praesumitur revocavisse, si tem-

poris intervallum fuerit satis longum iudicio prudentis viri. Hinc si Sempronia statim non acceptavit, et postea, ipsa assentiente, Titius affirmet se consensum revocavisse, credendum ei est, quia in dubio praesumitur consensisse sub ea tacita conditione, si alter statim assensum praebeat, [1] nisi forte illud tempus ad deliberandum ipse ei dederit et nisi contrarium circumstantiae suadeant. Quae post Codicis promulgationem vix aut ne vix quidem verificari possunt.

780. Item etsi matrimonialis consensus sit actus voluntatis tradentis et acceptantis ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, tamen non est necessarius actus voluntatis explicitus horum omnium, sed sufficit etiam implicitus. Ita e. g., si pars vult inire *verum matrimonium, sicut ceteri ineunt, prout a Deo institutum est*, etc., habetur sufficiens matrimonialis consensus implicitus; quia omnia vult implicite, quod satis est, dummodo positivo voluntatis actu aliquid essentiale non excluserit, quia hoc in casu consensum matrimonialem deficere palam est. Sed haec melius patebunt ex dicendis in art. seq. Ceterum id verificatur etiam in omnibus aliis contractibus. « Ut enim contractus quivis validus sit (maxime si non unam tantum obligationem secumferat), non exigitur ut singula officia et obligationes cognoscant contrahentes, quae ex ipso contractu derivant, sed satis est ut voluntas contrahentium feratur in contractum universim sumptum, prout ab aliis frequentari consueverit », uti legitur in *Acta S. Sedis*, vol. V, pag. 554, et concinunt AA. communiter. [2]

781. Ex dictis intelligitur quid dicendum de nota consensus distinctione, applicata matrimonio, in *actualem, vir-*

---

[1] Pirhing, lib. IV, tit. I, n. 82; Sanchez, lib. II, disp. XXXII, cum communi.

[2] Quando matrimonia contrahi poterant inter absentes, tunc perfici censebantur, cum notitia acceptationis a proponente recipiebatur. De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 27 seq. Verum hodie nec per nuncium nec per epistolam matrimonium licet contrahere, sed tantum inter partes praesentes per se aut per procuratorem (can. 1088 § 1), quo etiam in ultimo casu matrimonium statim perficitur, dummodo mandantis consensus perseveret.

tualem, habitualem, interpretativam, de qua in tractatu *De Sacramentis in genere*. Nam consensus interpretativus certe non sufficit, et nec consensus nomen meretur, qui *exstitisset* in aliqua hypothesi, sed de facto numquam exstitit. Actualis certe sufficit, sed nullatenus est necessarius. Etiam virtualis absque dubio satis est: e. g., si quis ecclesiam petit ad matrimonium ineundum, sed postea verba profert penitus distractus. Tandem circa habitualem DD. inter se non conveniunt; sed dissensus est de nomine. Nonnulli putant sufficere, quia valet matrimonium per procuratorem, licet mandans quando fit matrimonium, sit ebrius, dormiens, etc., ac proinde eius consensus sit tantum habitualis. Alii negant, quia etiam in his casibus consensus verius est virtualis, ita ut consensus virtualis ab habituali revera non differat. Contracto autem matrimonio, nomine consensus virtualis seu habitualis intelligitur idem consensus primitivus non revocatus (n. 2); cum enim pars voluit tradere-acceptare ius coniugale, praeterito actu physico volitionis, in eadem voluntate perseverat et haec voluntas permanens dicitur et est consensus virtualis seu habitualis. Id in aliis quoque materiis verificatur. Exinde apparet consensum actualem, qui matrimonium efficit, et consensum virtualem seu habitualem post matrimonium esse unum eumdemque numero consensum seu indicare unam eamdemque animi dispositionem tradendi-acceptandi ius coniugale; consensu actuali haec animi dispositio enascitur et foris exprimitur; virtuali seu habituali continuat, intus in mente reposita, donec revocetur; quae revocatio, utpote factum, non praesumitur, sed claris probanda est argumentis.

Articulus II.

De iis quae matrimoniali consensui opponuntur.

782. Cum consensus matrimonialis, uti supra dictum est, sit actus voluntatis, qui supponit cognitionem intellectus, quia nil volitum quin praecognitum, sequitur deficere posse vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis, quae, posita in-

tellectus cognitione, consentire recusat. Ex primo capite consensui matrimoniali opponuntur *defectus discretionis* et *error*, ex altero *simulatio, vis metusve* et *conditio*. Nonnulli addunt et *raptum*, sed vide n. 638. De conditione sermo erit art. IV, ibique exponemus quaenam conditio consensum evertat. Modo de ceteris agendum est.

§ 1. - *Quae consensui matrimoniali opponuntur ex parte intellectus.*

I. - Defectus debitae discretionis.

Can. 1082. - § 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

§ 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

783. Ad consensum contractualem in genere et matrimonialem in specie necessarium esse usum rationis, qui septennio completo adesse solet, palam est. At non sufficit usus rationis simpliciter, sed requiritur discretio seu maturitas iudicii contractui proportionata, ita ut contrahens naturam et vim contractus intelligere possit; secus in eumdem consentire nequit. Hinc DD. communiter admittunt impuberes infantiae proximos neque civiliter neque naturaliter contractu in genere obligari. Proinde ut matrimonium ipso naturae iure valeat, utraque pars usu rationis ita pollere debet, ut quid sit matrimonium eiusdemque essentiales proprietates satis intelligere valeat, idest matrimonium consistere in iure perpetuo et exclusivo in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081 § 2), secus patet neque explicitum neque implicitum consensum habere posse. [1] Haec certa sunt apud omnes; modo potius videamus in quibusnam personis haec iudicii maturitas seu discretio ad matrimonium ineundum sufficiens et necessaria reperiatur.

---

[1] Giovine, p. I, § 291, n. 3; Pirhing, lib. IV, tit. 1, n. 85; Barbosa, in cap. 3, *De desp. imp.*, n. 3; Covarruvias, *De matr.*, p. 2, c. 5, n. 5; Gonzalez, in c. 2, *De desp. imp.*; Sanchez, lib. VII, disp. CIV, n. 21.

784. In primis ante pubertatem haec matrimonialis mentis discretio non praesumitur, sed probari debet; e contrario post pubertatem praesumitur, nisi contrarium evincatur, uti docet Codex in rel. can. 1082 § 2.[1] Hinc ante pubertatem ille qui affirmat prudentiam, idest debitam mentis discretionem, praevenisse aetatem, probare debet: de qua re vide quae diximus agentes de impedimento *aetatis*. E contrario post pubertatem ille qui negat debitam mentis discretionem adesse, probare debet. Huc spectat responsio S. C. C. in *Ventimilien., Matrimonii*, 19 maii 1888. Catharina S., puella duodecim annorum et novem mensium, et Antoninus S., vir quintum lustrum attingens, qui, e militia redux, in familia S. receptus vivebat, nuptias inibant in paroeciali ecclesia loci *Carpasio*, dioecesis Ventimiliensis, die 18 sept. 1871. Parochus loci, iuxta fidem archipresbyteri Montisalti, nolebat eos in matrimonium coniungere ob aetatem ac parvam intelligentiam sponsae et quia peiora quaedam suspicabatur, sed, re ad Vicarium Generalem deducta, hic, audita puella, matrimonium fieri praecepit. Sponsi per octo menses vitam communem duxerunt primum in paterna uxoris familia, dein in ipsa familia viri; sed, gravioribus in dies exortis dissidiis, Antoninus Catharinam a se reiecit, quae paternos lares repetiit. Deinde cum in pagum *San Remo* venisset ut ex honesto famulatu viveret, cum quodam Carcioffi civile foedus contraxit. Res ut innotuit Episcopo in sacra visitatione, processum institui curavit, qui tamen cum aliqua irregularitate confectus fuit, forte ob adiunctorum loci et personarum difficultates. Ex triplici capite matrimonium nutabat: quia mater Catharinae cum Antonino pluries rem habuerat; quia Catharina, vi metuque coacta, in matrimonium consenserat; quia, licet pubertatem adepta, carebat debita ad matrimonium discretione; tandem ferebatur matrimonium non fuisse consummatum. Propositis dubiis: « 1º An constet de matrimonii nullitate in casu, et quatenus negative, 2º An sit consulendum Ssmo pro dispensatione a matrimonio rato et non

[1] Ita quoque Alex. III in c. 8, X, *De desponsatione impuberum*, IV, 2, et communiter DD. ante Codicem.

consummato in casu?»; S. C., die 13 iunii 1885, respondit: «Dilata et compleantur acta». Praeclarissimus Antistes curavit acta compleri, novum efficiendo processum, licet aliquis defectus substantialis rursus irrepserit, praesertim in eo quod defensor matrimonii non adstitit testium examini. Iam vero ex auditorum testium depositionibus satis eruebatur defectus discretionis requisitae in Catharina. Omnes enim unanimiter affirmabant Catharinam tempore matrimonii, ad modum parvarum puellarum vestitam, puerilibus ludis deditam, ingenio tardam, ignoravisse quid *esset matrimonium, fuisse incapacem et inidoneam matrimonio, nullatenus intellexisse onera matrimonii*, et similia.[1] Proinde iisdem dubiis positis S. C., cit. die 19 maii 1888, reposuit: «Ad 1um, praevia sanatione actorum, affirmative. Ad 2um provisum in primo».

785. *Mentecapti* sunt vel *amentes seu furiosi*, si insaniunt circa omnia, vel *dementes* (monomaniaci), si circa unam rem tantum vel alteram.[2]

Amens per omnia et in omnibus est inhabilis ad matrimonium, ex c. 24, X, *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1, sicuti ad quemlibet contractum et actum humanum, ob defectum usus rationis.[3] In lucido intervallo iuxta plurium, maxime canonistarum, sententiam, matrimonium valet; sed in genere est illicitum, quia amens ineptus est ad prolem educandam, nisi id munus alii committere possit.[4] In dubio utrum matrimonium initum sit tempore amentiae, an in lucido intervallo, censetur initum tempore amentiae, quia «cum amentiae vel furoris morbus suapte natura perpetuus, insanabilis ac desperatus sit, praesumitur durare omni tempore, et illa lucida intervalla sunt per accidens, ideoque minime praesumuntur»;

---

[1] Haec omnia bene evolvit consultor theologus in suo voto, iussu S. C. dato.

[2] D'Annibale, p. I, § 31.

[3] De nullitate matrimonii ex capite dementiae actum est in S. C. C. in *Treviren., Nullitatis Matrimonii*, 22 iulii 1899; item apud S. Rom. Rotam in *Buscoducen., Nullitatis matrimonii*, 15 maii 1915, in qua declaratum fuit nullum esse matrimonium ob amentiam mulieris.

[4] Schmalz., lib. IV, tit. I, n. 14; Pirhing, lib. IV, tit. I, n. 10; Sanchez, lib. I, disp. VIII, n. 18.

Sanchez, l. c., n. 17. Cum vero hodie plures gravesque medici putent amentem, maxime ab infantia, ne in lucido quidem intervallo esse compotem sui, if ~~aut~~ in ipso lucido intervallo sit quaedam latens amentia, et ideo in nulla recentiori legislatione amens puniatur de delictis in lucido intervallo commissis, aut habeatur validus contractus in lucido intervallo celebratus, sequitur nec matrimonii validitatem, in lucido intervallo initi, extra dubium esse et potius praesumi defectum consensus, donec contrarium aperte probetur. Perpendendae igitur sunt omnes casus circumstantiae: si, omnibus rite consideratis, intervallum adeo lucidum fuerit et intervallum lucidum adeo longum, ut consensus matrimonialis sit certus, standum est pro consensus validitate, secus pro nullitate. Quod si amentia fuerit temporanea et peritorum iudicio penitus cessaverit, valet matrimonium antea vel postea celebratum. Ita explicari debet c. 26, C. XXXII, q. 7: «Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur»; nempe matrimonium antea contractum, superveniente amentia seu furore, subsistit.

Demens in his, quae ad dementiam ipsius pertinent, aequiparatur amenti. Certe nostris civilibus legislationibus quilibet contractus ab ipso initus habetur nullus, et ipse censetur irresponsabilis: proinde de demente repetantur, quae de amente diximus.

Tandem illi, quos *fatuos* vel *stupidos* appellamus, si sufficientem habeant discretionem, possunt utique matrimonium inire, sicuti alios contractus.

786. *Surdi-muti-caeci* simul a nativitate, quos *idiotas* vocant, accensentur infantibus, ideoque matrimonii sunt incapaces. [1]

Surdi-muti simul a nativitate, si instituti sunt, et peccandi et delinquendi et contrahendi capaces habentur; et de hoc nullum potest esse dubium. [2] Sin minus, quidam idiotis eos

---

[1] Sanchez, lib. I, disp. VIII, n. 13; S. Alphonsus, lib. VI, n. 303; D'Annibale, p. I, § 30.

[2] Bargut, *Sullo stato fisico, intellettuale e morale dei sordo-muti*, apud D'Annibale, l. c.

comparant, quidam aliqua ratione utentibus: quaestio valde obscura ac difficilis. Illud iam fere nemo in dubium revocat eos ne scire quidem posse, quae pertinent ad fidem, eaque ignorare, quae ad ius positivum pertinent. Quaestio igitur remanet num sciant quae sunt iuris naturalis. Theologi et canonistae antiquiores fere omnes affirmant, qui proinde tenent eos peccare posse et contractus inire; quae sententia congruit iuri civili, eos aequiparans inhabilitatis. At exinde quaestio non dirimitur, quia plures recentiores, qui in surdismutis excolendis meliorem operam navarunt, contrarium tenent. Innocentius III in cc. 23, 25, cit. tit., tradit *surdos et mutos* posse matrimonium contrahere, sed non probatur Innocentium loqui de surdis et mutis copulative et a nativitate. Vide D'Annibale, l. c., qui more suo breviter et bene rem agit.

Qui autem sunt tantum vel *caeci* vel *muti* vel *surdi*, etsi a nativitate, ratione pollent sufficienti ad matrimonium.

787. *Ebrius*, cum ebrietas fuerit perfecta, usum rationis non habet, et aequiparatur amenti; unde matrimonium invalide contrahit. Idem dicas de *dormiente*, qui, somnambulus vel dum evigilat, nuptias ineat. De Lugo, *De Sacram. in gen.*, VIII, n. 100 seq. subtiles quaestiones de utroque agit, quae hodie inutiles sunt. Unus est casus quo ebrius aut dormiens coniugium valide init, nempe si procurator matrimonium contrahit, dum mandans in eo statu reperitur (n. 874).

II. - Error.

Can. 1083. – § 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum:

1°. Si error qualitatis redundet in errorem personae;

2°. Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.

Can. 1084. – Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.

Can. 1085. - Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit.

788. Etiamsi in utroque contrahente adsit debita mentis discretio, consensus matrimonialis deficere ulterius potest ex parte intellectus ob errorem, « nulla enim voluntas errantis est » l. 20, Dig., *De aqua et aquae pluviae arcendae*, XXXIX, 3. Definitur autem error *falsa rei apprehensio*, cum opponatur veritati logicae, quae consistit in conformitate intellectus cum re. Hinc differentia inter ignorantiam et errorem: in illa nulla idea est, in hac est idea, sed non conformis rei.

789. Ut vero determinetur quinam error consensum excludat ideoque matrimonium irritet, oportet animadvertatur errorem in matrimonium posse esse *facti* vel *iuris*. Error facti est vel *personae* vel *qualitatis* in sensu generico, prout complectitur etiam errorem fortunae vel conditionis.[1] Error iuris cadere potest vel *in ipsum ius* in corpus, quod est matrimonii obiectum, vel in *essentiales eiusdem proprietates*, idest perpetuitatem, unitatem, quae fidelitatem quoque complectitur, ac rationem Sacramenti. His accedit alius error vel iuris vel facti circa ipsius matrimonii *valorem*, si nempe contrahens putat matrimonium, quod init, nullum esse, quod tamen per se valet. In primis de errore facti, deinde de errore iuris.

790. Error *facti* circa *personam* verificatur quando quis vult contrahere cum persona certa et determinata, e. g., Maria, filia Maevii, qualem falso putat esse hanc praesentem cum qua contrahit. Exemplum prostat *Gen.*, XXIX: siquidem Iacob intendens ducere Rachelem, sibi ab eiusdem patre Labano desponsatam, transacta prima nocte, reperiit per fraudem sibi substitutam esse Liam. Quod si quis cognoscit hanc mulierem, quae se iactat esse Mariam, filiam Maevii, et ideo id credens eam ducit, non est error personae,[2] quia mulier nubit in propria persona; sed est error in nomine, una cum errore qualitatis dante causam contractui. Proinde si praescindamus a matrimonio in tenebris inito, uti in exemplo

[1] Cf. Gratianus in C. XXIX, q. 1.
[2] Cf. c. 26, X. *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1.

scripturali, vel a matrimonio caeci, facile patet errorem personae tunc adesse, quando haec simul concurrunt: quod quis velit contrahere cum persona certa ac determinata, e. g., Maria, filia Maevii, quae sit de facto absens et ignota; quod aliqua alia mulier praesens iactet se esse eam personam; quod ipse deceptus eam ducat in uxorem.

791. Iam vero certum est hunc errorem personae sive invincibilem sive vincibilem, crassum ac supinum irritare matrimonium ob defectum consensus (rel. can. 1083 § 1); quia Titius revera non consentit in personam, cum qua contrahit, sed in aliam.[1] Quod si Titius in casu adducto dum matrimonium contrahit, vult contrahere cum muliere praesente (quam putat esse suam Mariam), quaecumque tamen ea sit, ita ut dicat in corde suo: *Volo ducere hanc mulierem etiamsi non sit Maria*, matrimonium valet.[2] At si praecesserunt tractatus de matrimonio ineundo cum absente et ignota Maria, haec mens non praesumitur, sed potius praesumitur Titium intendisse Mariam. E contrario matrimonium est aeque nullum, si Titius dicat intra se: *vellem ducere hanc mulierem etiamsi non esset Maria*; nam illud *vellem* est voluntas interpretativa quae non exsistit, et Titius de facto non consentit in praesentem, sed in absentem.[3]

Aliter res se habet in aliis Sacramentis baptismi, confirmationis... quae ab errore personae non irritantur, e. g., si baptizas Caium, putans esse Maevium; quia personae praesenti, quaecumque ea sit, ea Sacramenta conferuntur; irritarentur tamen, si ministri intentio (prouti fit in matrimonio) huic personae alligaretur, sed tunc minister peccaret.

Ex his sequitur quod inter patriarcham Iacob et Liam verum coniugium non fuisset, nisi cognito errore consensus fuisset subsecutus. Neque tamen propterea fornicarius Patriarca fuit, quia ipsum ignorantia excusavit. Liam quidem

---

[1] De Lugo, *De Sacram. in genere*, disp. VII, n. 116-117.

[2] Schmalz., lib. IV. tit. I, n. 444; Pirhing, lib. V, tit. I, n. 160; Scavini, vol. III, n. 842; Sanchez, lib. VII, disp. XVIII, n 6; D'Annibale, p. III, § 444, not. 9.

[3] Schmalz., l. c.; Sanchez, l. c.; D'Annibale, l. c.

adulterii et incestus ream existimat Cornelius a Lapide in *Gen.*, XXIX, 24, sed ab utroque peccato illam excusat S. Thomas 4, dist. 30, c. 1, a. 1, ad 4, quia lege primogenitarum et paternis imperiis se Iacob legitime copulatam existimavit. Ita etiam in C. XXIX, q. 1. Haec quidem plana sunt, sed non aeque plana erunt, quae de errore qualitatis nunc sequuntur.

792. Error facti circa *qualitatem*, etsi det causam contractui, e. g., si Titius putat suam Mariam, cum qua contrahit, esse divitem, bonam, nobilem etc., cum sit e converso pauper, perversa, ignobilis, irritat matrimonium in tribus tantum sequentibus casibus:

a) Si error qualitatis redundet in errorem personae (rel. can. 1083 § 2 n. 1°).

b) Si persona libera matrimonium contrahat cum persona, quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta (rel. can. 1083 § 2 n. 2°).

c) Si consensus datus sit sub vera ac proprie dicta conditione illius qualitatis quae deest; e. g., *si Titius dixit: Volo ducere Mariam, dummodo nobilis sit.*

De tertio casu fusius loquemur art. IV; modo de primo et altero breviter agendum est.

793. Ad primum quod attinet, omnes quidem admittunt errorem qualitatis, qui redundet in errorem personae, irritum reddere matrimonium, sed deinde minime conveniunt quandonam error qualitatis redundet in errorem personae. Quaestio *maximi momenti* et *difficillima*, quam DD. dum student extricare, implicant magis.[1] Ut etiam nos eam extricare breviter conemur, dicimus, iuxta traditam notionem erroris personae, errorem qualitatis redundantem in errorem personae tunc verificari, quando quis volens contrahere cum persona certa ac determinata per eam qualitatem, e. g., cum *primogenita Maevii* absente et ignota, deceptus ducit mulierem praesentem, quae fingit se esse illam personam. In hoc casu est *error qualitatis*, quia Titius putat hanc mulierem esse primogenitam Maevii, dum est alia mulier; hic autem error

[1] Clericatus, dec. XIX, n. 27, apud D'Annibale, p. III, § 314; not. 13.

qualitatis *includit errorem personae*, quia indifferens est personam determinari vel nomine vel qualitate individuali; hinc in casu *error qualitatis refunditur in errorem personae.* Quod si quis cognoscit hanc mulierem, quae se iactat primogenitam Maevii, et id credens eam ducit, non est error qualitatis qui refunditur in errorem personae, quia error personae hinc abest; sed est simplex error qualitatis dans causam contractui, qui non officit, ut mox dicemus, nisi qualitas apposita fuerit uti vera conditio *sine qua non.* Hanc regulam ipse S. Thomas tradit, in IV, dist. 30, q. 1, art. 2, ad 3um: «Error nobilitatis, in quantum huiusmodi, non evacuat matrimonium, eadem ratione qua nec error qualitatis. Sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium. Unde *si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error de nobilitate ipsius non impedit matrimonium. Si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque ille sit, tunc si alius praesentetur ei quam filius regis, est error personae et impeditur matrimonium*». Haec regula pro errore qualitatis redundante in errorem personae verissima est:[1] alii alias addunt, sed tu, si vis errores evitare, eam tantum retine et secundum eam casus occurrentes resolve.

794. Praeter hos casus error qualitatis matrimonium non irritat; praesumitur enim consensum terminari in substantiam, qualitatem vero illum reddere promptiorem et pleniorem. Id quidem omnes uno ore fatentur tum de contractibus in genere, tum de matrimonio in specie, si error fuit mere concomitans; e. g., si Titius duxit Semproniam, putans eam esse nobilem, dum est ignobilis, sed ita ut, cognita etiam veritate, illam duxisset. Quod si error fuerit antecedens seu dederit causam matrimonio, ita ut, nempe, Titius, veritate cognita ante matrimonium, Semproniam non duxisset, casus est magis implexus. Pontius, lib. IV, cap. XXI, n. 7, citans Aragona et Ledesma, imo et Sanchez, sed immerito, sustinet matrimonium esse nullum, quia consensus est virtualiter conditionatus: *Si Sempronia est nobilis.* Communis et certa sententia tenet ma-

[1] Sanchez, l. c.; D'Annibale, l. c.; Lehmkuhl, vol. II, n. 734.

trimonium valere, etsi error proveniat ex dolo malo alterius partis, quae tamen peccat et de damnis etiam tenetur. Probatur clare ex c. 18, X, *De sponsalibus et matrimonio*, IV, 1, ubi Urbanus III validum dicit matrimonium, dolo viri, initum a muliere ex errore dante profecto causam. Nam villicus matrimonium invalidum cum alia muliere iniverat et declarationem nullitatis ab ecclesiastica auctoritate petierat; reversus in patriam publice proposuit sententiam divortii fuisse ab Ecclesia iam promulgatam; et sic, falsitate suggesta, quamdam aliam, facti nesciam, sibi copulare praesumpsit; tandem delegati iudices super prioris matrimonii quaestione sententiam divortii protulerunt. Urbanus III respondet quia « villicum et mulierem quam superinduxit, pendente lite prioris uxoris, invicem asseris consensisse..., imposita viro poenitentia competenti, et intra poenitentiae tempus carnali commercio interdicto, postmodum in maritali copula poterunt remanere ». Revera Titius in casu ducit Semproniam pleno consensu, ideoque matrimonium valeat necesse est. Utique, cognita veritate, ipse Semproniam *ducturus non fuisset*; sed haec est voluntas interpretativa, quae in rerum natura non exsistit, ac proinde nil operatur.[1] In aliis contractibus onerosis error huiusmodi, quando est ex dolo alterius partis, vitiat actum in favorem partis deceptae, sed *iure civili tantum*.[2] Etiam Ecclesia de rigore iuris potuisset, lege positiva, constituere dolum alterius partis irritare matrimonium non quidem pro parte decepta tantum, cum matrimonium claudicare non possit, sed pro utraque parte: sed hoc impedimentum non tulit, imo expresse declaravit matrimonium in casu valere, ut constat ex dictis, ne innumera coniugia evaderent dubia et litibus exposita.[3]

Nonnulla exempla doctrinam hactenus traditam de errore qualitatis illustrabunt.

---

[1] Sanchez, lib. VII, disp. XVIII, n. 18; D'Annibale, p. I, § 136, not. 24; et p. III, § 444. not. 16.

[2] D'Annibale, p. II, § 414; et p. III, § 444, not. 12; De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, sect. VI, ubi solide, pro more, de errore in contractu loquitur.

[3] S. Alphonsus, lib. VI, n. 1012; Scavini, vol. III, n. 842.

795. Casum practicum erroris qualitatis, qui redundat in errorem personae, ita fingit Bangen, tit. II, § 18: « E. g., familia comitis A. statutis utitur domesticis, quibus cautum est, ut comes hereditarius uxorem sibi adsciscat aequalis conditionis. Comes itaque A., hac aperta intentione, uxorem sibi quaerit. Audit tandem praenobilem Florentiae exsistere comitis B. familiam et comitem B. habere unicam filiam. Hinc comes A. litteras, quibus eamdem filiam sibi uxorem petit, Florentiam mittit. Attamen mulier cubicularis eiusdem filiae, litteris fraudulenter suppressis, ad comitem A. scribit, et, responso accepto, in Germaniam proficiscitur. Sub falso comitissae B. nomine cum comite A. matrimonium contrahit. Consummato iam matrimonio, fraudem aperit. Quaeritur an illud irritum sit ob errorem qualitatis in personam redundantis? Respondemus dubium non esse, quin in hoc casu error qualitatis in personam redundet ». Subiungit: « At vero res aliter se habet, si casum sequenti modo formamus. Cubicularis illa, accepto responso, Germaniam petit, et sub falso comitissae B. nomine, diutius ante nuptias cum comite A. conversatur. Hic ob eius pulchritudinem amore captus saepius asserit: *Te* DUCERE VELLEM, *etiamsi esses plebeia*, vel similia. Hoc casu sane error qualitatis praefatae non irritat matrimonium: namque qualitas comitissae, circa quam versatur ille error, non constituit praecise motivum, quo ductus contrahit cum hac persona ». Nos putamus etiam in hoc casu matrimonium nullum esse eadem prorsus ratione (nisi forte comes A. *velit* contrahere cum muliere praesente, quaecumque ea sit, quod ex praecedenti personali conversatione praesumitur); nam de facto ipse consentit in aliam personam, idest filiam comitis B.; illa autem voluntas: *te ducere vellem*..., est voluntas interpretativa, quae revera non exsistit (n. 791).

796. Clericatus, dec. XIX, n. 31, alium casum refert, qui confictus non est, sed revera accidit. Dalilam foeminam, alto nomine praeditam, reperit Romae Sempronius, homo Germanus, dives, sed non nobilis. Dicebat Dalila se, filiam comitis a Liebenstein, fugisse parentum tyrannidem, et velle nubere. Cognoscebat Sempronius comitem, sciebat eumdem habere

filiam, quae, rigoris et domus patris pertaesa, ad monialium asceterium confugerat. Credit hanc esse, et eam in uxorem ducit. Revertitur in patriam, opinione sua iam comes factus: at ibidem reperit comitis filiam adhuc degere apud moniales, et mulierem a se ductam esse meretriculam quamdam, quae castae et nobilis virginis nomen usurpaverat. At iuristae dixerunt tenere matrimonium; et merito, cum error solum versaretur circa qualitatem, nec redundaret in personam; vir enim intenderat contrahere cum hac muliere praesente, quam per errorem putabat illa qualitate praeditam esse.

797. Sanchez, l. c., n. 35 alium casum enarrat: «Quidam enim, duas filias habens, iuveni, pulchritudine minoris capto, eam sibi in matrimonio collocari postulanti, denegavit, offerens primogenitam. Iuvenis petiit eam ostendi cuidam amico, a quo de illius pulchritudine certior fieri volebat. Pater dolose filiam minorem ostendit amico, eo quod primogenita deformis esset. Iuvenis ergo bene instructus de foeminae pulchritudine, eoque errore ductus contraxit (per procuratorem) cum primogenita, existimans esse eam quae amico exhibita fuerat. Dubitatum fuit num solus qualitatis error esset, ac proinde valeret matrimonium». Tabiena et Sanchez responsionem affirmativam amplexati sunt, quia fuit simplex error qualitatis, licet Sanchez deinde plures ponat distinctiones. Sed probabilius contradicunt Pontius, lib. IV, cap. XXI, n. 3; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1016, aliique, quia iuvenis volebat contrahere cum puella ostensa amico, et ita fuit vel error circa personam, vel error qualitatis redundans in errorem personae atque irritans matrimonium.

798. S. C. C. in *Valachiensi, Matrimonii*, 20 dec. 1862, respondit non constare de nullitate matrimonii in sequenti specie. Eugenia L. cum Alexandro G., quem a pluribus mensibus cognoscebat, matrimonium contraxit, putans eum esse divitem, nobilem ac bonis moribus praeditum. Consultor theologus P. Perrone S. I. in prima causae propositione putaverat matrimonium esse nullum ob errorem qualitatis redundantem in errorem personae; adeo haec materia salebrosa est! Sed ex dictis apparet adfuisse in casu simplicem errorem qualitatis dantem causam contractui. Aliunde ipsa Eugenia fassa

est se, cum fraudem nullo modo suspicaretur, illas qualitates non apposuisse tanquam conditionem *sine qua non*; proinde nulla erat nullitatis causa ex defectu consensus.

799. Similem sententiam eadem S. C. tulerat die 19 aug. 1817 et 27 maii 1827 in *Romana, Matrimonii*, in qua Cassandra Luci petebat declarationem nullitatis sui matrimonii cum Vincentio, filio Stephani Venturini de Castro Novo Farfensi, ex capite vis et metus, defectus sollemnitatum, et praesertim erroris, quia eidem nupserat eo quod ipse se iactasset esse Vincentium Bellonch, filium Stephani Bellonch de Valentia, nepotem sacerdotis Bellonch, divitiis affluentis. In folio S. C. in utraque causa theoria philosophica et canonica erroris simplicis, ac erroris redundantis in personam perbelle exponitur.

Vide etiam eamdem S. C. in *Compostellana* seu *Licen., Matrimonii*, 21 aug. 1744, et in *Romana, Matrimonii*, 22 sept. 1708.

800. Ad alterum casum (n. 792) quod attinet,[1] notum est plures distingui servorum classes. Sunt servi *servitute proprie dicta*, qualis erat apud Romanos et adhuc viget apud infideles: *servi glebae addicti*, sive adscriptitii sive originarii, prout erant paucis abhinc annis in imperio russiaco; *famuli conductitii*, qui pro certa mercede operas suas locant; tandem *servi poenae*, idest damnati ad carcerem perpetuum vel triremes. Hic de primis tantum agitur: de aliis enim nil speciale a iure, quoad matrimonium, statutum est. Nonnulli auctores, inter quos Clericatus, dec. XX, n. 10, legislationem, quae primos respicit, ultimis immerito applicabant.

801. Iam vero inter servos, servitute proprie dicta, ius romanum verum matrimonium recognovit, quod tamen appellavit *contubernium* (n. 3 in nota). Etiam Ecclesia semper admisit verum matrimonium inter eos consistere posse. Usque ad saec. VIII pro coniugii validitate requisivit domini consensum;[2] sed deinde receptum fuit servos posse matrimonium licite et valide inire etiam insciis ac invitis dominis, sed exinde a servitute non liberari, uti expresse docet Hadrianus IV, c. 1.

---

[1] Vide Canonistas in X. *De coniugio servorum*, V, 9.

[2] Giraldi, *Expos. Iuris Pontif.*, p. I, sect. 700; Feije, n. 123.

cit. tit. Patet autem dominum, matrimonio valido semel inito, non amplius potuisse in servos coniugatos, quae iuri naturae, in quantum matrimonium regit, adversantur e. g., unum coniugem vendere. Pariter Ecclesia semper habuit uti validum licitumque coniugium inter partem servam et partem liberam, quae notam habeat alterius servilem conditionem, licet ius civile aliud statuerit, l. 3 pr., Cod., *De incest. et inutil. nuptiis*, V, 5.

802. At casu quo pars libera, ducens servam, ignorasset huius servilem conditionem, matrimonium declaratum fuit nullum, cc. 2, 3, et clarius 4, cit. tit., etsi haec ignorantia aut error non dedisset causam contractui, et pars serva evasisset libera, antequam pars libera errorem suum cognosceret; et hoc ius Codex confirmavit in rel. can. 1083 § 2 n. 2°. Nonnulli excipiunt casum quo haec ignorantia fuit crassissima et levissima; quod Sanchesio, lib. VII, disp. XIX, n. 20, est valde probabile, licet contrariam sententiam habeat probabiliorem. Hic auctor, l. c., n. 4, putat valere quoque matrimonium, si pars serva erit libera intra breve tempus, idest intra semestre; quae sententia nulli innititur iuridico fundamento, ut bene ostendit P. Wernz, n. 242, not. 24. At certe matrimonium validum est si pars serva statim libera evadit matrimonium contrahens. Item si pars libera contraxit cum libera, putans eam servam, aut pars serva contraxit cum serva, putans eam liberam.[1]

803. Nonnulli putaverunt matrimonium in casu nullum esse ex iure naturali, quia conditio servilis repugnat bonis substantialibus matrimonii; praeterea antiqui canones citati hoc ius proprie non ferunt, sed potius exsistens supponunt; tandem error huius qualitatis refunditur in errorem personae. Sed primum nimis probat; si enim ipsa servitus obicem matrimonio ineundo praestaret iure naturae, sequeretur matrimonium exsistere non posse nec inter liberum et servam, cognita etiam servitute, nec inter servum et servam; quae certe falsa sunt. Ceterum iam diximus, inito coniugio, iura naturalia sarta tectaque esse debere. Alterum nil probat; nam multa sunt

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 1017.

iuris positivi, quorum initium indicari nequit, et nil vetat quominus dicamus hoc ius inductum fuisse ex consuetudine. Tandem et tertium per se falsum est, ut patet ex dictis. Igitur certum omnino est errorem conditionis servilis matrimonium irritare solo iure ecclesiastico. Scilicet supra (n. 794) diximus errorem qualitatis (qualis est error conditionis servilis) in genere nuptias nec iure naturali, nec iure positivo irritare. At Ecclesiam posse, iusta de causa, statuere, ut error alicuius qualitatis, seu aliqualis consensus defectus, reddat nullum matrimonium, quod ex iure naturae valeret, indubium est:[1] hoc autem Ecclesia statuit pro errore conditionis servilis, nolens partem liberam ignoranter tale coniugium subire, in quo tanta est inaequalitas, tanta incommoda, tanta in exercitio iurium matrimonialium difficultas; atque ita in favorem partis liberae statuit *errorem conditionis servilis* irritare matrimonium ex defectu consensus, sed iure ecclesiastico tantum.

804. Ex dictis sequitur hunc errorem inter infideles matrimonium non irritare. Hinc si infidelis liber ducit infidelem servam, ignorans illius servitutem, matrimonium est validum-legitimum, nisi hoc impedimentum latum sit ab auctoritate civili. Praecisione facta ab impedimento *disparitatis cultus* et a fortiori eo dispensato, si fidelis liber ducit infidelem servam, cuius servitutem ignorat, matrimonium est nullum, quia nullitas statuta est in favorem partis liberae; voluit scilicet Ecclesia ut consensus, hoc errore diminutus, foret inefficax ad vinculum matrimoniale constituendum: atqui pars libera in hypothesi subdita est Ecclesiae ac proinde hac lege tenetur. E contrario, matrimonium valet, si infidelis liber ducit fidelem servam, quia lex ecclesiastica infidelem non afficit et ideo eiusdem consensus, licet errore diminutus, tamen adhuc sufficiens est iure naturae.[2]

Huc usque de errore facti.

---

[1] Sanchez, lib. VII, disp. XVIII, n. 9.

[2] Contrarium putat P. Wernz, n. 242, not. 27 et post ipsum P. Vidal, op. cit., n. 479, not. 48, qui tamen non bene nos perlegerunt; nos enim non diximus hoc impedimentum latum fuisse in favorem *partis fidelis*, sed in favorem *partis liberae*, seu Ecclesiam statuisse consensum partis

805. Ad errorem *iuris* quod attinet, error iuris circa *ipsum ius* in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, tunc verificatur, quando contrahens putat, e. g., matrimonium esse societatem non ad filios habendos, sed mere amicalem, in eamque consentit. Hoc in casu deficere matrimonialem consensum, et ideo matrimonium esse nullum, per se patet ex praescripto can. 1081 § 2. Id verum est, etsi contrahens, veritate cognita, in matrimonium fuisset aeque consensurus, cum haec non sit nisi interpretativa voluntas. At ille error post pubertatem in foro externo non praesumitur, ex rel. can. 1082 § 2; et admodum difficilis probationis esset. Quod si puella nubens scit, e. g., matrimonium esse societatem cum viro, qui ex uxore filios procreat, et in hanc societatem consentit, sed nescit filios haberi per carnalem copulam, imo hanc carnalem copulam prorsus ignorat, est casus ignorantiae, quae non excludit matrimonialem consensum et coniugii valorem, cum puella revera satis consenserit in ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. etiamsi, cognita veritate, nuptias initura non fuisset, et modo eas respuat, quia de facto voluit, et voluntas interpretativa in rerum natura non exsistens nihil operatur. Ceterum neque haec ignorantia in foro externo praesumitur, quia post pubertatem natura ipsa has res edocere solet. Haec confirmantur ex pluribus responsionibus S. C. C. declarantis validum matrimonium in praedicta facti specie,[1] nisi has responsiones explicare velis ex praesumptione iuris et de iure notitiae rei.

806. Error iuris circa *essentialem matrimonii proprietatem* verificatur, si contrahens vel putat vinculum matrimoniale solvi posse saltem in aliqua circumstantia, uti tenent infideles, nec non Graeci schismatici, qui contra definitionem Conc. Trid., sess. XXIV, *De matrim.*, can. 7, adhuc autumant adulterio induci divortium plenum, et nonnulli perversi ac ignorantes

---

liberae esse insufficientem ad matrimonium constituendum ob errorem qualitatis servilis alterius partis; quod et ipsi docent; hoc autem admisso, ultima nostra conclusio evidens est.

[1] *Acta Sanctae Sedis*, vol. V, pag. 551 seq., ac alibi.

catholici praesertim post funestam divortii civilis legem; vel putat se post illum maritum aut uxorem posse alium quoque vel aliam superaddere, uti rursus infideles; vel tandem putat matrimonium non esse Sacramentum, uti protestantes, quibus adhaerent plures perversi et ignorantes catholici.

807. Iam vero hoc in casu certum est haberi consensum matrimonialem ideoque matrimonium per se valere cum simplici errore iuris etiam dante causam contractui. Nam si contrahens, qui in eo versatur errore, modo *vult matrimonium verum inire, prout a Deo institutum est*, et positivo voluntatis actu non excludit proprietatem matrimonio essentialem, licet excluderet, si de ea cogitaret, profecto id sufficit pro consensu matrimoniali et matrimonii valore, minime obstante illo errore iuris (rel. can. 1084). Equidem si contrahens explicito voluntatis actu, seu vera mentis conditione, illam proprietatem excluderet, matrimonium irritum esset, de qua re postea redibit sermo, sed ex hypothesi non excludit. Porro propter matrimonii favorem praesumitur contrahentem ad matrimonium accessisse illa generali voluntate cum simplici errore iuris, donec conditio proprie dicta probetur, eo vel magis quod ille alter positivus voluntatis actus esset factum, facta autem non praesumuntur, sed probantur.[1] Iuxta hanc doctrinam Innocentius III in c. 7, X, *De divortiis*, IV, 19, declaravit matrimonium inter hebraeos, qui admittunt libellum repudii, valere, et virum etiam ad Christi fidem conversum, vivente

[1] Dices: Si leges aut mores regionis admittunt divortium quoad vinculum vel polygamiam, haec potius videtur esse praesumptio, scilicet nupturientes *velle matrimonium legibus aut moribus nationis conforme*; unde sequitur omnia matrimonia, in illa regione celebrata, retinenda esse invalida, nisi in casibus particularibus probetur nupturientes in actu matrimonii aliam habuisse voluntatem. Sed facile evincitur hanc doctrinam (quae ad matrimonia ubique fere terrarum celebrata applicari deberet) admitti non posse. Nam etiam in regione ubi admittitur divortium quoad vinculum vel polygamia, praesumptio debet esse quam diximus, tum propter favorem iuris, quo gaudet matrimonium, tum quia supponendum est nupturientes, dum ad nuptias ineundas accedunt, saltem generatim loquendo, ne cogitare quidem de solutione vinculi matrimonialis, aut de aliis nuptiis ducendis et multo minus haec ita cogitare et velle, ut secus ipsum matrimonium excluderent.

uxore, non posse, salvo fidei privilegio, aliam habere; item Ecclesia habet validum matrimonium aliorum infidelium. Graecorum, Calvinistarum..., qui retinent vinculum solvi per adulterium, nisi expressa conditio solubilitatis apposita fuerit, uti saepissime SS. CC. RR. reposuerunt.

808. Multo magis matrimonium valet si utraque vel alterutra pars christiana vult quidem verum matrimonium contrahere, sed putat matrimonium inter christianos non esse Sacramentum; valet, inquam, et est verum Sacramentum.

809. Tandem error circa *validitatem* matrimonii verificatur, si utraque vel alterutra pars putat obstare matrimonio aliquod impedimentum dirimens et ideo matrimonium esse irritum, dum nullum obstat impedimentum et matrimonium per se valet; e. g., putat adesse tertium consanguinitatis gradum, dum adest quartus, aut scit esse quartum, sed putat et ipsum adhuc post Codicem matrimonium dirimere... Quaestionem aliquantulum extendentes, videamus num verus consensus matrimonialis coexsistere possit cum impedimento dirimente tum *iuris ecclesiastici* tum *iuris divini* sive putativo tantum, sive etiam reali, sive in casu bonae sive in casu malae fidei.

810. Quod attinet ad impedimentum *iuris ecclesiastici*, nonnulli putaverunt matrimonialem consensum numquam esse aut esse posse, quando adest impedimentum dirimens in genere, etiam iuris ecclesiastici tantum, etiam ignoratum, dummodo sit reale, quia tunc consensus, cum cadat in materiam illegitimam et non aptam, *nullus* est, aut, si mavis, est *invalidus*, sed invalidum esse et non esse, paria censentur. [1]

---

[1] Sanchez, *De matr.*, lib. II, disp. 35: « Cum prior consensus fuerit omnino ex parte utriusque invalidus eo quod super illegitimam et inhabilem materiam ceciderit, denuo uterque renovandus est, nec durare potest consensus, qui nullus omnino fuit, cum enim permanentia exsistentiam supponat, consensus qui numquam exstitit, permanere non potest ». Anacletus, lib. IV, *Decret.*, App. n. 591: « Licet ignorans impedimentum consenserit in matrimonium, tamen quia consensus illius fuit invalidus, idem est ac si non consensisset seu nullum habuisset consensum; consensus autem, qui numquam exstitit, perseverare non potest, cum non entis non sint qualitates ». Et paulo ante, n. 594, statuerat principium: « Invalidum esse et non esse paria censentur, l. *Quoties*, 6, § *Qui satisfacere cog.* ».

811. Haec opinio est falsa et innititur evidenti aequivocationi verborum; nam ratione impedimenti dirimentis consensus est *nullus iuridice* seu *invalidus*, quatenus inefficax est ad matrimonium constituendum, et in hoc sensu, nempe in ordine ad matrimonii validitatem, consensum invalidum esse et non esse, paria censentur; sed per se non est nullus *physice*, quatenus in mente contrahentium realiter non exsistat, quia per se exsistere utique potest. Id extra omne dubium ponitur 1° ex ratione. Nam inter causas nullitatis matrimonii aliae se tenent ex parte consensus, si nempe consensus deficit aut (quod idem est) est substantialiter vitiatus; aliae ex parte personae, si persona in illis circumstantiis est inhabilis ad contrahendum. Porro inhabilitas personae per se nullo modo excludit consensum, quia consensus est voluntatis actus, quo quis in mente sua vult tradere-acceptare ius perpetuum et exclusivum in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem; atqui hic voluntatis actus, non obstante inhabilitate personae, potest utique exsistere, licet matrimonium non constituat, quia cadit in materiam inhabilem. 2° Ex praxi Ecclesiae, quae matrimonia nulla ob impedimentum iuris ecclesiastici, inhabilitans personam, maxime si partes fuerunt in bona fide, revalidare solet absque renovatione consensus; ergo supponit consensum exstitisse et exsistere, non obstante impedimento dirimente iuris ecclesiastici reali quidem, sed ignorato. 3° Ex iure Decretalium, quod admittit matrimonia nulla ratione impedimenti dirimentis ob inhabilitatem personae, sed non nulla ob defectum consensus. Ita, e. g., Bonifacius VIII in c. un., *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1, in VI°, haec habet: « Ex sponsalibus puris et certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur... impedimentum iustitiae publicae honestatis ». Iam vero Bonifacius VIII verbo *sponsalium* comprehendit sponsalia tum de futuro tum de praesenti; et supponit possibilitatem matrimonii invalidi ob impedimentum dirimens, non autem invalidi ob defectum consensus. 4° Tandem non est praetermittenda contradictio in

exposita doctrina; nam si consensus cadit in materiam illegitimam et inhabilem et est invalidus; ergo exsistit.

812. Alii, e contrario, concedunt consensum matrimonialem esse compossibilem cum impedimento dirimente iuris ecclesiastici, si impedimentum fuit ignoratum, sed negant, si fuit cognitum, sive reale sive etiam putativum tantum. Scilicet opinantur partem in mala fide, quae, nempe, scit impedimentum dirimens subesse, aut falso id putat, non posse consentire, quia voluntas non fertur in impossibile.[1]

Etiam haec doctrina est falsa, idest consensus matrimonialis est utique possibilis, cum notitia aut opinione impedimenti dirimentis: idque probatur iisdem argumentis, quae supra adduximus. Nam 1° quod attinet ad argumentum rationis, nil impedit quominus pars, domina suae voluntatis, non obstante notitia aut opinione impedimenti dirimentis, *velit in mente sua*, dum nuptias init, tradere-acceptare ius coniugale, vel quia praescindit in mente sua a lege irritante, vel quia aliqua ratione, licet absurda, ab eadem sese excusat, vel quia putat rem in posterum posse componi, vel etiam quia directe agit contra legem, veluti dicens in corde suo: *Equidem ita statutum est, sed, hoc non obstante, ego, quantum a mea voluntate pendet, volo tradere-acceptare ius coniugale.* In his casibus adest verus matrimonialis consensus, qui totus consistit in illo voluntatis actu tradendi-acceptandi ius coniugale, licet hic consensus sit semper graviter peccaminosus; insuper sit inefficax ad matrimonium constituendum, si impedimentum dirimens est reale, seu realiter exsistit; sit efficax, si impedimentum dirimens est putativum tantum. 2° Accedit praxis Ecclesiae, quae non raro a renovando consensu dispensat etiam illos qui, matrimonium nullum in mala fide, obstante impedimento iuris ecclesiastici,

---

[1] Perrone, op. et loc. cit., a. 1; Giovine, tom. II, § 327, n. 3; Gury, vol. II, n. 895, cum aliis. Sanchez, lib. I, disp. XXXIII, consensus possibilitatem admittit si impedimentum est putativum, e. g., si pars falso putat priorem alterius coniugem adhuc vivere; sed cohaerenter ad sua principia negat, si impedimentum est reale, quia tunc consensus cadit in materiam inhabilem et ideo *nullus* est; aliis verbis, iuxta Sanchesium, excludit consensum non scientia vel opinio impedimenti, sed impedimentum ipsum.

iniverunt: igitur non admittit scientiam vel opinionem impedimenti consensum matrimonialem per se et necessario excludere. 3º Etiam verba Bonifacii VIII in cit. c. un., immerito restringeres ad casum matrimonii invalidi ob impedimentum ignoratum: sunt enim generalia. 4º Tandem haec confirmantur ex responso S. C. de Prop. Fide, die 1 oct. 1785, ad Vicarium Apostolicum Constantinopolitanum: « Per gli altri finalmente della terza classe, i quali hanno volontà di prendere una vera moglie, ma sono nell'errore che non sia sufficiente al valore del matrimonio di presentarsi d'innanzi al giudice turco, ma se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz'altro di contrarlo, la S. Congregazione... ha deciso che questi matrimonî siano validi, quando non vi intervenga qualche altro canonico impedimento. Imperocchè secondo le circostanze del caso proposto non può dubitarsi del vero, legittimo, interno e reciproco consenso dei contraenti... » [1] Igitur etiam cum scientia vel opinione impedimenti dirimentis iuris ecclesiastici, seu cum mala fide, coexsistere potest consensus matrimonialis et quaestio debet esse facti, non iuris. Si contrahens intendit, quantum in se est, verum matrimonium, consensus adest, licet inefficax ratione impedimenti reipsa exsistentis; si non intendit verum matrimonium, sed potius concubinatum, caeremoniam mere civilem, sponsalia, etc., consensus deest, et ideo matrimonium est nullum, etsi impedimentum dirimens fuerit putativum tantum. Si verba verum matrimonium sonant, putamus, etiam in casu scientiae vel opinionis impedimenti dirimentis iuris ecclesiastici, praesumi maritalem consensum, quia intentio praesumitur semper verbis respondere, donec contrarium

[1] *Latine*: Tandem pro aliis tertiae classis, qui habent voluntatem ducendi veram uxorem, sed errant reputantes quod non sufficiat validitati matrimonii sistere se coram Turcico iudice, qui tamen, si scirent sufficientiam huius sui actus ad effectum ineundi verum coniugium, omnino vellent hoc inire; S. C... resolvit haec matrimonia esse valida, quando non occurrit aliud canonicum impedimentum. Etenim secundum adiuncta propositi casus nequit dubitari de vero, legitimo, interno ac mutuo contrahentium consensu...

probetur;[1] sed fatendum est ex scientia vel opinione impedimenti non immerito ingeri suspicionem, quae ex facti aut personarum circumstantiis confirmari vel minui aut destrui potest.

Huc etiam fortasse spectat responsio S. C. C. in *Parisiensi, Matrimonii*, 12 aug. 1882. Nobilis ac perdives puella Maria Magdalena d'I., Lutetiae Parisiorum nata, tali aestuabat amore erga aeque nobilem virum Paulum M., religione schismaticum, natione Graecum, ut cum eo nuptias contrahere statueret, quibus tamen mater obstabat. Paulus tunc temporis Londini morabatur, uti primus secretarius legationis Turcarum Imperii penes aulam Britannicam; et cum matrimonium in Galliis sine matris assensu (mortuo patre) leges prohiberent, Maria, die 10 octobris 1879, comitante et adiuvante sua institutrice, Londinum petiit, ubi matrimonium civile celebratum fuit, et biduo post sponsi rei uxoriae operam dederunt, lubente ac excitante Maria, si Paulo credatur, Maria vero invita et coacta, si Mariae depositionibus fides adhibeatur. Ad matrem Maria reversa, aestu passionis pacato, petiit declarationem nullitatis sui matrimonii. Processus confectus fuit penes Curiam Archiepiscopalem Parisiensem, et proposito dubio: « An constet de matrimonii nullitate in casu », S. C. respondit: « Affirmative, constare de nullitate ». Porro petitio nullitatis pluribus innitebatur capitibus; sed putamus rationem decidendi hanc fuisse. Maria scilicet coram magistratu civili, vulgo *Registrar*, non intendit verum matrimonium, sed sponsalia. Id suadebatur ex eo quod in Galliis ex consueta catholica educatione receptisque moribus omnes retinent civilem actum non esse verum matrimonium, uti iudex Parisiensis testabatur, et praeterea id satis probabatur ex depositione tum Mariae, tum etiam Pauli, quam alii quoque testes confirmabant.

813. Demum quoad impedimentum *iuris divini* sive naturalis sive positivi, quale est impedimentum *consanguinitatis* in primo gradu lineae rectae, impedimentum *ligaminis* et impe-

[1] De Lugo, *De Sacram. in gen.*, disp. VIII, n. 136; Gury, *Theol. mor.*, vol. II, n. 904, aliique.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

dimentum *impotentiae*, gravior erat dissentio; et plures DD. etiam magni nominis, admittentes possibilitatem consensus matrimonialis cum impedimento dirimente iuris ecclesiastici, eam negabant et negant, si impedimentum sit iuris divini. Sed immerito; nam 1° qui contrariam tenent sententiam aiunt impedimentum dirimens iuris divini excludere matrimonialem consensum ob *specialem vim* quam habet in consensum matrimonialem; sed quaenam sit aut in quonam consistat haec *specialis vis* non intelligitur. Nam sicuti impedimentum iuris ecclesiastici personam, e. g., baptizatam in Ecclesia catholica reddit inhabilem ad contrahendum cum persona non baptizata, ita impedimentum *ligaminis* iuris divini personam matrimonio iunctam reddit inhabilem ad contrahendum cum alia quacumque; et sicuti in primo casu persona baptizata in Ecclesia catholica, non obstante impedimento iuris ecclesiastici, potest de facto contrahere cum persona non baptizata et velle, quantum in se est, praescindens ab impedimento, dare et acceptare ius perpetuum et exclusivum in corpus in ordine ad prolem, ita et in altero casu, non obstante impedimento iuris divini. Igitur in subiecta materia non est differentia inter impedimentum iuris ecclesiastici et impedimentum iuris divini; utrumque excludit *efficaciam* consensus, sed per se non excludit *consensum ipsum*. Dicunt etiam: qui per suae voluntatis actum dedit uni ius in corpus in ordine ad prolem exclusivum et irrevocabile, non potest per alium voluntatis actum alteri dari idem ius exclusivum et irrevocabile: atqui in hoc voluntatis actu consistit consensus matrimonialis; ergo hic consensus matrimonialis est impossibilis, si obstat impedimentum *ligaminis*, quod est iuris divini. Haec difficultas, quae valeret etiam pro casu in quo obstaret impedimentum iuris ecclesiastici, solvitur ex dictis n. 811 seq.; nam qui actum voluntatis emisit in favorem unius, potest utique, cum sit dominus voluntatis suae, similem actum emittere in favorem alterius; uterque voluntatis actus est consensus matrimonialis, sed primus est *validus* seu *efficax*, alter est *invalidus* ob impedimentum dirimens, atque ita patet consensum matrimonialem, invalidum quidem ipso divino iure, esse compossibi-

lem cum impedimento *ligaminis* sive cognito sive ignorato; idemque dicatur de aliis impedimentis iuris divini. 2° Ante Codicis promulgationem Bonifacius VIII in cit. c. un. cit. tit. (cit. n. 811) comprehendit etiam impedimenta iuris divini, supponens possibilitatem matrimonii invalidi propter impedimentum dirimens etiam iuris divini, non autem invalidi propter defectum consensus: ergo impedimentum iuris divini, iuxta Bonifacium VIII, necessario non excludit consensum. 3° Tandem fingamus duplicem casum ut res evidentior appareat. Primus casus: Mulier scit se esse impotentem, sed potentem evadere posse operatione chirurgica, quae mortis periculum secumferre solet: matrimonium igitur est nullum ob impedimentum *impotentiae*, quod est iuris divini. Amore capta, matrimonium contrahit cum animo subeundi hanc operationem, quam reipsa feliciter subit. Alter casus: Antonius, Annae maritus, ad bellum profectus, partem habuit in cruentibus pugnis et disparuit: post plures annos, servatis inutiliter servandis, auctoritas tum ecclesiastica tum civilis permisit Annae ad alias nuptias transire; et Anna matrimonium contraxit cum Francisco, a quo filios habuit; postea Anna notitiam certam et authenticam habuit Antonium ductum fuisse in captivitatem, et paucis abhinc mensibus mortuum esse. Quis dicet has mulieres in contrahendo matrimonio non habuisse matrimonialem consensum, in primo casu ob cognitum impedimentum *impotentiae*, in altero ob ignoratum impedimentum *ligaminis*, et ideo eorum matrimonium, cessante impedimento, non posse sanari in radice? de qua re rursus redibit sermo in cap. VIII, art. I, § 2.

Tandem quaelibet controversia definita dici debet ex praescripto rel. can. 1085. Nam inibi declaratur scientiam aut opinionem nullitatis matrimonii, matrimonialem consensum necessario non excludere; ergo consensus matrimonialis adesse potest, licet pars certo sciat (scientia) aut putet (opinio) matrimonium quod contrahit, nullum esse ob impedimentum dirimens in genere ac proinde etiam iuris divini.

§ 2. - *Quae consensui matrimoniali opponuntur ex parte voluntatis.*

I. - Fictio seu simulatio et iocus.

Can. 1086. - § 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

814. Fictio seu simulatio consensus matrimonialis tunc verificatur, quando contrahens externe quidem verba consensum exprimentia serio et rite profert, sed interne illum non habet. Iam vero animadvertimus hanc simulationem posse in contractu in genere verificari tripliciter: sicut enim consensus plenus est intentio contrahendi et sese obligandi et tandem implendi, ita contrahens simulate, dum contrahit, vel non habet intentionem contrahendi; vel habet intentionem contrahendi, sed non sese obligandi; vel tandem habet intentionem contrahendi et sese obligandi, sed non implendi.[1] In primo casu est simulatio in strictissimo sensu et totalis, in altero et tertio est simulatio in sensu minus proprio ac partialis.[2] Iam vero prima simulatio certe contractum in genere irritat; tertia certe non irritat; de altera disputant DD., aliis affirmantibus, quia cum obligatio sit contractui intrinseca, volens contrahere eo ipso vult obligari; aliis negantibus, quia cum obligatio sit contractui intrinseca, nolens obligari, eo ipso non vult contrahere. Haec altera sententia est verior, quia prima optime procedit, si pars mente sua expresse non excludit obligationem; sed si hanc expresse excludit, implicita obligationis voluntas saltem eliditur; praeterea prima sententia ex responsione S. C. C. diei 8 iulii 1724 (n. 899) grave vulnus videtur accepisse.[3] Sed iam de matrimonio.

---

[1] D'Annibale, p. II, § 411.

[2] S. Rom. Rota in decisione diei 21 iunii 1911 coram Many.

[3] D'Annibale, p. II, § 412.

815. 1° Ad *primum casum* simulationis quod attinet, nempe si pars non habet intentionem contrahendi matrimonium, quaeritur in primis num matrimonium simulans proprie dicti sacrilegii reus sit ob Sacramenti simulationem. Plerique affirmant,[1] quia ipse simulat matrimonium quod est Sacramentum, ideoque simulat Sacramentum: atqui simulatio Sacramenti importat grave sacrilegii peccatum, a quo nec metus gravis excusat ex prop. 29 damnata ab Innocentio XI: « Urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi ». Alii negant, [2] et fortasse probabilius. Nam proprie dicta Sacramenti simulatio, quae sacrilegium secumfert, tunc verificatur, quando quis ponit materiam et formam Sacramenti sine intentione; [3] atqui id in casu nostro non accidit, quia contrahens sua simulatione reddit nullum contractum, ideoque non ponit materiam et formam Sacramenti sine intentione, cum forma et materia Sacramenti matrimonii sit in contractu valido (n. 34), sed potius Sacramentum non exsistit defectu intentionis, materiae et formae, licet ex culpa contrahentis. Ob hanc rationem a sacrilegii reatu certe excusatur, qui metu gravi coactus matrimonium init. « Quod si sacrum ritum adhibuit (simulans), nisi fecerit ex metu gravi, alicuius sacrilegii quoque tenebitur Laym., p. IV, c. I, n. 5 »; D'Annibale, l. c.

816. At, si sacrilegium abest, omnes admittunt simulate contrahentem ex dolo, idest cum deceptione alterius, per se graviter peccare. Mentitur enim, ac simul notabilem iniuriam et gravia damna (maxime si pars decepta est mulier) infert alteri parti, ideoque graviter delinquit contra veracitatem et contra iustitiam, et, si coeundi animum habet, quoque contra puritatem. Imo iuxta meliorem sententiam ficte consentiens tenetur ex iustitia matrimonium revalidare, verum ponendo consensum, tum quia damnum illatum, maxime mulieri, vix aliter compensari potest, tum quia ipse debet consensum et

---

[1] Pirhing, lib. IV, tit. I, n. 97; Schmalz., lib. IV, tit. I, n. 268.

[2] Sanchez, lib. I, disp. XI, n. 2, et melius, lib. IV, disp. XVI, n. 2 seq.; S. Alphonsus, lib. VI, n. 62; D'Annibale, p. III, § 427, not. 28; Rosset, n. 2805.

[3] S. Alphonsus, lib. VI, n. 59.

« aliud pro alio invito creditori solvi non potest », l. 2 § 1, Dig., *De rebus creditis*, XII, 1. Excipe, si matrimonium iam contrahi nequeat ob impedimentum enatum, vel scandala, vel malos exitus qui ex eo timentur, quo in casu damna aliter, quantum fieri potest, compensari debebunt; aut si pars decepta cesserit iuri suo vel aliam acceptaverit compensationem.[1] DD. ficte contrahentem excusant ab omni obligatione et a peccato saltem gravi (excluso semper coeundi animo), si quod ex una parte sit impedimentum dirimens matrimonium, et ex altera gravis causa illud celebrandi urgeat. Nam cum adsit impedimentum dirimens, ipse sua simulatione non infert gravem iniuriam et damnum alteri contrahenti, quia matrimonium esset aeque nullum sine simulatione; et cum gravis causa ipsum urgeat, uti potest aequivocatione seu restrictione mentali, quae mendacium removet, e. g.: *Contraho tecum*, interius intelligendo: *Si non esset impedimentum.*[2] Hinc nullatenus peccat qui, metu gravi coactus ad matrimonium, pronuntiat verba absque ullo interno consensu, animo omnino reluctante. Item si contrahens scit aliquod adesse impedimentum, et sine magno scandalo ac admiratione ab altari recedere non potest.[3] Quod si haec simulatio fiat sine alterius partis deceptione, quae de hac simulatione certior facta est, aut ipsam ex indiciis satis certis animadvertere potuit, contrahentes non peccant, nisi quatenus ritu sacro adhibito abutuntur, a quo peccato minor ratio ac bona fides excusare potest; et simulans ad nihil tenetur.

817. Ulterius haec simulatio, sive dolosa, sive non, cum consensum excludat, matrimonium reddit prorsus nullum ex rel. can. 1086 § 2. Huc spectat c. 26, X, *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1, cuius verba habes n. 822. At vero huiusmodi fictio seu simulatio in foro externo non praesumitur, sed probanda est certis argumentis ex rel. can. 1086 § 1, quia « nemo existimandus est dixisse quod non mente agitaverit »; l. 7

---

[1] Rosset, n. 109 seq.; P. Wernz, n. 46, not. 100.

[2] Sanchez, locis citatis. Rosset, n. 1321, negat hanc restrictionem mentalem esse necessariam.

[3] S. Alphonsus, lib. VI, n. 62; *Hom. Apost. XVIII*, n. 29; *Exam. Ord.*, n. 17, cum communi contra Milante.

§ 2, Dig., *De suppellectile legata*, XXXIII, 10, et in dubio standum est pro valore matrimonii etiam in foro interno. Quod si simulatio revera adfuit, sed in foro externo non probatur, matrimonium erit reipsa nullum in foro interno; sed in foro externo habebitur validum, et iudex posset putativos coniuges cogere ad vitam coniugalem, qui tamen deberent quamcumque poenam patienter tolerare, potiusquam commercium inter se habere, ex c. 44, X, *De sententia excommunicationis*, V, 39. Nempe est conflictus inter forum internum et forum externum. Et si ille qui simulato animo matrimonium inivit, deinde vero consensu aliud celebravit, hic conflictus gravior est. Nam in foro interno primum est nullum, alterum est validum, nisi quod obsit impedimentum; dum, e converso, in foro externo primum habetur validum, et consequenter alterum nullum, donec fictio probetur. Proinde iudex potest et debet eidem praecipere ut alteram mulierem deserat, et pro circumstantiis ad primam redeat: quo posito iudicis praecepto, ipse potest ac debet sese separare ab altera muliere ad scandalum vitandum, sed non potest ullo pacto, quacumque non obstante poena, officia maritalia a prima petere aut ei reddere contra conscientiam. Hinc neutro matrimonio uti potest; non primo, quia nullum est, nec revalidabile, vivente altera coniuge; non altero, quia iudicis praecepto prohibetur ab eius usu, et a cohabitatione cum vera uxore. Quam miserrimam conditionem, quae forte ipsum nolentem ad servandam continentiam damnaret, non aliis, sed uni sibi simulator imputet. Quod si, remoto scandalo, commercium cum vera uxore haberet, non esset inquietandus.

818. Porro probatio simulationis in foro externo facilis non est. Certe non sufficit affirmatio etiam iurata simulantis, «nimis enim indignum esse iudicamus ut quod sua quisque voce diiucide protestatus est, id in eumdem casum infirmare, testimonioque proprio resistere»; l. 13, Cod., *De non numerata pecunia*, IV, 30. Secus apage matrimonia. Item nec sufficit assertio iurata utriusque partis, quia, cum simulatio alteram partem lateat, rursus unica simulantis affirmatione simulatio probaretur. Necesse igitur est in primis probare causam si-

mulationis, curnam scilicet Titius ficte contraxerit, ac deinde ipsa simulatio evinci debet coniecturis seu circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, subsequentibus, quae adeo praecisae ac urgentes sint, ut certum moraliter reddant iudicem de hoc ficto consensu. Quando autem id verificetur, prudens iudex in singulis casibus videbit. Ea autem quae sequuntur aliquam lucem afferre possunt.[1]

819. Folium S. C. C. in *Chiensi, Matrimonii*, 12 martii 1729, in subiecta materia docet: « Inter ceteras coniecturas et circumstantias, hunc simulatum consensum efficaciter demonstrantes, ea ad nostrum propositum recensetur a praedictis theologis, quando, scilicet, vir illico et incontinenti post contractum matrimonium animum suum aperit se ficte consensisse, vel factis, statim nempe fugiendo, vel verbis, id expresse fatendo, et insimul aliud matrimonium ineat, aut ad religionem transeat, aut ad ordines sacros se promovere faciat. Ista enim consensus ficti citissima manifestatio, et insimul si audeat aliam uxorem ducere, aut ad alium statum incompatibilem transire, demonstrare videntur suum fictum consensum, cum praesumendum non sit, si vere consensisset, tam cito se poenitere, et tam immemorem suae salutis esse, ut alias nuptias contrahere auderet... Imo post istos et alios theologos subiungit idem Sanchez, n. 5, iam dicta procedere, etiamsi post aliquod temporis intervallum hic fictus consensus detegeretur a viro, quoties id iuramento firmaret, ac ex eius vitae qualitate probabile fieret eum non periurare, quia nempe solitus esset Sacramenta recipere et frequentare, bonorumque familiaritate uti, et insimul aliam uxorem duceret. Quia in his circumstantiis verosimile non esset eum velle in re tam gravi sibi et uxori adeo perniciose mentiri ».

820. Praeterea glossa in cit. c. 26, haec habet: « Sed pone quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quae dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat: *Consentio in te*, numquid est hic matrimonium, vel non? In casu isto dico quod Ecclesia iudicare

[1] Conf. prae ceteris Sanchez, lib. II, disp. XLV, n. 1 seq.

debet pro matrimonio: quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam... Talia enim verba non possunt servire suae intentioni: praeterea si probet, quod illa verba protestatus fuit primo, potuit postea recedere ab illa voluntate, et consentire in illam, et hoc videtur per illud quod postea publice fecit: et si dicat quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contra eum fieri debet interpretatio, qui dolum adhibet... ».

821. Haec Glossa, si omnibus casibus applicari velit, rigida est: et melius Sanchez, l. c., n. 19 seq., inter varias sententias ita distinguit: « Ceterum distinguendum est sic: si ea protestatio fiat, altero coniuge sciente et consentiente, valet, et per eam recessum videtur a consensu sequenti, nec praesumetur matrimonium: si vero fiat, altero ignorante, vel si scivit, dissensit protestationi, nihil prodest, sed per sequentem consensum videtur ab ea recessum. Probatur prior pars, quia cum alter consensit, videtur cedere iuri suo, et nolle contrahere matrimonium; posterior vero pars probatur: 1° quia matrimonium est contractus ex duorum voluntate pendens: id autem generale est in omni contractu huiusmodi, ut protestatio alterius nihil iuvet, nisi, altero sciente et consentiente, facta sit...; 2° quia protestans, faciendo actum contrarium protestationi, videtur ab ea recedere et simpliciter consentire... ». Deinde vero merito docet requiri consensum expressum et non sufficere tacitum, si nempe protestatio facta sit, altero sciente et tacente: et insuper, si copula accedat, praesumptione iuris et de iure praesumi recessum a protestatione, et matrimonium valere, si illa protestatio fuit occulta. Sed iam nonnulla exempla afferamus.

822. In cit. c. 26, de hac specie agitur. Titius cum non posset puellam ad turpia inducere, nisi desponsasset eamdem, nulla sollemnitate adhibita, vel alicuius praesentia, contraxit simulato animo cum ea matrimonium, dicens: *Te Ioannes desponsat*, cum ipse Ioannes non vocaretur, sed finxit se vocari Ioannem, non credens esse coniugium eo quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantum exsequendi carnalem. Interro-

gatus Innocentius III de valore huius matrimonii respondet: « ... Quum praefatus vir praedictam desponsaverit mulierem in propria persona, et sub nomine alieno, quo tunc vocari se finxit, et inter eos sit carnalis copula subsequuta, videtur forte pro coniugio praesumendum, nisi tu Nobis expresse scripsisses, quod ille nec proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem, quod qualiter tibi constiterit, non videmus. Nos autem quid iuris sit respondentes, dicimus quod si res ita se habuerit, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec umquam consensit in praedictam personam, non debet ex illo facto coniugium iudicari, cum in eo nec substantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugium valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, et defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt foedus perficere coniugale ». Proinde contrahere matrimonium sub ementito nomine, per se non est argumentum sufficiens pro simulatione consensus in foro externo.

823. S. C. C. in *Mutinensi, Matrimonii*, 9 iulii 1725, declaravit matrimonium esse nullum ob simulatum consensum ex sequentibus circumstantiis. Anna de A. in arce Mutinae detinebatur a quatuor mensibus, ne matrimonium contraheret cum quodam iuvene, qui eius amore captus erat. Bene ipsa intelligebat se numquam esse consecuturam egressum e praedicta arce, nisi matrimonium contraheret cum alio viro non disparis, sed aequalis conditionis, vel professionem religiosam emitteret. Tunc in animum induxit matrimonium simulare cum aliquo. Plures epistolas dedit ad quemdam Abbatem M., quibus eum exorabat ut virum callidum inveniret, qui aptus esset ad simulationem, eidemque subinde notificavit quod Hannibalem T. invenerat, cum quo erat matrimonium simulatura; quod consilium fuit a dicto Abbate approbatum. Ante matrimonium concordata fuerunt capitula matrimonialia, in quibus conventum fuerat, quod futuri coniuges deberent in separatis domibus permanere, unusquisque propriis expensis usque ad proximum futurum mensem maii. Igitur die 4 febr. 1720 Anna inivit matrimonium cum Hannibale in cappella privata domus comitis Gubernatoris eiusdem arcis. Sponsi in eadem domo non

cohabitaverunt. Die 23 febr. stipulati sunt dotale instrumentum, ad quam tamen stipulationem Anna devenire noluit, nisi postquam certiorata est ab Abbate instrumentum sibi praeiudicium allaturum non esse, eo quod causa simulandi adhuc perduraret. Tandem die 25 februarii, sub praetextu cuiusdam necessitatis, Anna et Hannibal Mantuam petierunt, ubi Anna protestationem emisit de nullitate matrimonii; et tandem causa delata est ad S. C. C. Exhibita fuerunt capitula matrimonialia, instrumentum dotale, epistolae Abbatis ad Annam et Annae ad Abbatem, qui insuper sua depositione totam simulationis telam in aperto posuit. Hannibal quoque ingenue fassus est, enarrans omnes circumstantias, sibi revera ab Anna dictum fuisse, quod ipsa intenderet matrimonium simulate contrahere, sed se sperasse eam tractu temporis a simulatione esse recessuram. Proposito dubio: « An matrimonium sit nullum in casu »; S. C., die 19 aug. 1724, reposuit: « Dilata, et examinentur testes formiter, et coadiuventur probationes iuxta instructionem ». Tandem rursus, eodem dubio proposito, cit. die 9 iul. 1725, responsum prodiit: « Affirmative et amplius ».

824. Pariter in *Parisiensi, Matrimonii*, 7 martii 1885, eadem S. C. probationem simulationis admisit. Augustus Americanus, Parisiis degens cum suis parentibus, vehementer amabat Mariam, cui matrimonium promiserat. Obstitere Augusti parentes, qui eidem proposuerunt matrimonium cum Magdalena, eius consanguinea in quarto gradu. Parentes Augusti filio assignabant 250.000 libellarum, parentes Magdalenae filiae constituebant 60.000 libellarum in dote. Obtenta dispensatione, matrimonium civile et matrimonium religiosum celebratum fuit. Post mensem Augustus aufugit in Americam cum Maria. Magdalena petiit ab Ecclesia declarationem nullitatis matrimonii ob simulatum consensum ex parte viri. Revera plura documenta aut indicia suadebant Augustum noluisse contrahere matrimonium cum Magdalena, sed tantum materialem actum ponere ad pecuniam a parentibus assignatam habendam, qua deinde una cum Maria Americam peteret. In pluribus epistolis, ante et post matrimonium ad Mariam datis, Augustus id clare affirmabat. Idem et Maria repetebat, quae huic matrimonio

Augusti cum Magdalena hac de causa minime obstabat. Die matrimonii civilis et religiosi Augustus prorsus indifferens erat, imo in ecclesia circumspiciebat, sperans videre Mariam. Post matrimonium neglexit Magdalenam, voluit statim pecuniam habere, et cum id non posset, vivente Magdalena, eam veneno de medio tollere tentavit. Effectu non sequuto, in Americam abiit cum Maria. Haec omnia certa erant et insuper plures testes, nemine contradicente, id confirmabant. Quaestio erat num haec omnia simul sumpta plene probarent in foro externo simulationem. Curia Archiepiscopalis Parisiensis sententiam tulerat affirmativam. S. C. C. post duas dilationes, proposito dubio: « An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu »; reposuit: « Sententiam esse confirmandam ».

Vide etiam cit. *Chiensem, Matrimonii*, et *Patavinam, Matrimonii*, 2 maii 1868; apud S. Romanam Rotam *Massilien.*, 11 iunii 1911 coram Sebastianelli.

825. 2° Modo de *altero casu*, nempe si contrahens habet quidem intentionem contrahendi matrimonium, sed simul habet intentionem explicitam ac positivam sese non obligandi aliquo modo; scilicet non vult tradere-acceptare ullum ius in corpus, aut ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem aut ius perpetuum et exclusivum, dicens non interpretative tantum, sed positive in mente sua: *Volo contrahere matrimonium, sed nolo tradere alteri parti ullum ius in corpus*, aut *ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem*, aut *hoc ius perpetuum et exclusivum*. De hac conditione exterius apposita redibit sermo n. 892 seq.; modo de mentali dicimus hunc contrahentem in genere peccare (n. 816), insuper matrimonium esse irritum ex defectu consensus. Sane ex rel. can. 1081 § 2 matrimonialis consensus est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem; atqui contrahens in casu ex una quidem parte affirmat se matrimonium velle sed ex alia excludit hunc voluntatis actum; ergo excludit matrimonialem consensum. Exinde facile intel-

ligitur curnam simplex error contra substantiam non irritet (n. 807 seq.), dum intentio sese non obligandi irritat: quia scilicet in casu simplicis erroris habetur unicus ac sufficiens voluntatis actus, in casu autem intentionis sese non obligandi habentur duo actus voluntatis, se mutuo destruentes; unde illic adest consensus matrimonialis, hic non adest.

826. Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, cap. XXII, n. 7, DD. explicationem quam dedimus his verbis reassumit: « Quicumque contractum vult, necesse est ut eiusdem substantiam velit; ideoque si contrahentes in matrimonii foedere ineundo conditionem apponunt illius substantiae contrariam, certissimum est argumentum nequaquam eos in veri matrimonii contractum consentire; sine contrahentium autem consensu matrimonium esse non potest. Quod si expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo minime apposita fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi possit, nihilominus locus est praesumptioni ut, dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum ac, interveniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente; quo fit ut matrimonium ita contractum validum firmumque maneat. At ubi contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum matrimonio in casu adulterii, iam fieri nequit ut error particularis absorptus maneat a generali voluntate contrahendi matrimonium, prouti a Christo Domino institutum fuit; sed potius voluntas generalis huiusmodi extinguitur ab errore particulari, qui manifeste praevalet ac dominatur; atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiae contraria ». [1]

[1] Haec est etiam S. Thomae doctrina, *Suppl.*, q. 49, a. 3 ad 4um: « Consensus qui facit matrimonium, formaliter loquendo, est perpetuus, quia est de perpetuitate vinculi, alias non faceret matrimonium, non enim consensus ad tempus in aliquem, matrimonium facit ».

Ceterum haec intentio excludendi ius in corpus, aut ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, aut essentialem eiusdem proprietatem, non praesumitur (rel. can. 1086 § 1), sed luculenter probari debet.

827. Quod si pars mentali intentione excludat tantum rationem Sacramenti, dicens positive in mente sua: *volo matrimonium, sed nolo Sacramentum*, valet matrimonium et est verum Sacramentum. Ratio est quia intentio ministri est necessaria ad ritum sacramentalem ponendum (in casu nostro contractum matrimonialem); sed hoc posito, quod ille ritus habeat Sacramenti rationem et effectus sacramentales producat, non pendet ab intentione ministri, sed ab institutione Christi. Quid vero iuris si pars non interpretative tantum, sed positive diceret in mente sua: *volo matrimonium, sed nolo Sacramentum, secus nolo ipsum matrimonium*, vide n. 907.

828. 3° Tandem in *tertio casu*, nimirum si contrahens habet intentionem contrahendi et sese obligandi, sed non implendi, seu iura matrimonalia servandi, intendens, e. g., abusum matrimonii, adulteria, procurationem abortus futurae prolis, etc., ipse quidem graviter peccat, sed matrimonium valet.[1] Nam intentio contrahendi et sese obligandi stare utique potest cum firmo proposito obligationem violandi; illa autem intentio constituit consensum et satis est pro validitate contractus. Propter favorem iuris, quo matrimonium gaudet, in dubio praesumitur contrahentem habuisse hanc intentionem peccandi, salvo iure matrimoniali. Multo magis valet matrimonium, nec per se est peccatum, si pars simpliciter non desiderat prolem et ideo propositum habet abstinendi a matrimonii usu.

829. Ex dictis colligitur quid dicendum in casu mulieris, quae, antequam ad nuptias accedat, chirurgicam operationem subiit ea praecise intentione ut maternitatis fastidia evitet. Scilicet haec peccavit mortaliter; insuper ea ex solo defectu post-vaginali non laborat corporis vitio, quod dirimens *impo-*

---

[1] Sanchez, lib. V, disp. IX, n. 2, et lib. II, disp. XXIX, n. 12; D'Annibale, p. III, § 448, not. 7, et p. II, § 412; Lehmkuhl, vol. II, n. 688, cum communi.

tentiae impedimentum constituit (n. 503 seq.). Quaeritur num matrimonium in casu nullum dicendum sit ex defectu consensus. Nonnulli affirmant etiam inter illos qui censent *impotentiae* impedimentum deesse;[1] sed putamus eorum sententiam veram non esse. Nam fieri optime potest (et ob favorem iuris praesumendum est) ut haec mulier, dum matrimonium contrahit, velit tradere-acceptare ius in corpus in ordine ad actus *per se* aptos ad prolis generationem, perpetuum et exclusivum, eo vel magis quod iam persuasum habeat coitus esse infoecundos: quo posito, consensus matrimonialis adesset. Sane secus dicendum foret hanc mulierem iam non posse habere consensum matrimonialem; quod est absurdum, quia consensus matrimonialis est actus, qui a nostra pendet voluntate. At ultro admittimus in casu esse grave indicium contra debitam mulieris intentionem, quod ex circumstantiis augeri vel minui aut destrui potest; igitur in casu practico recurratur ad S. C. S. Officii.

Huc usque de fictione seu simulatione.

830. De ioco brevis est sermo. Nempe matrimonium ioco initum, ~~irritum~~ irritum est defectu consensus: et aliquando ex circumstantiis culpa mortali vacare etiam potest ob levitatem taliter contrahentium.

831. Huc spectat responsio S. C. C. in *Asculana, Matrimonii*, die 14 dec. 1889. An. 1865 Angelus Bordoni ex oppido *Castel di Lama*, Asculanae dioecesis, aetatis suae annum XL attingens, ingenio et usu nugator, uti oppidanis illis notum erat omnibus, otio tabescens prope ecclesiam et domum parochi, insidebat muro. De more suo cum quadam Livia conquerebatur se non posse ducere uxorem, quod nulli mulierum esset gratus ob tetrum olei odorem, quem spirabat: munus enim suum erat oleum vendendi vel transferendi. Interea Anna Campitelli annorum circiter 20 casu viam pertransibat cum infantula super brachia, et Livia, ex Annae Campitelli transitu arrepta occasione, dixit Angelo: *En ista, duc eam.* Angelus, laudata puellae pulchritudine, ipsam interrogavit, utrum

[1] Eschbach, *De novo quodam sterilitatis conceptu*, App. II, n. 1.

secum vellet matrimonium contrahere. Puella respondit: *Utinam*. Angelus de more suo hilariter et iocose ipsam deprecatus est ut secum domum parochi peteret ad matrimonium illico contrahendum. Ambo domum parochi ingressi, coram eo et duabus foeminis ibi commorantibus matrimonii formulam protulisse visi sunt, sed semper iocose et hilariter. Parochus ipsos reprehendit; verum ipsi ridentes abierunt et, ut antea, nullam inter se societatem habuerunt, ita ut matrimonium, si unquam initum fuit, inconsummatum remanserit. Parochus tale matrimonium in librum non retulit, quia rem habuit tamquam irrisoriam et ludicram, sed tamen dubius rem detulit Curiae episcopali. Cum vero deinde Anna Campitelli vellet serium inire coniugium cum alio viro, dubitatum fuit de validitate sui cum Angelo matrimonii, et factus processus ad iuris tramites omnia, prouti supra relata sunt, in aperto posuit. Propositis dubiis: « 1° An constet de matrimonii nullitate in casu: Et quatenus negative, 2° An consulendum sit Ssmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu »; S. C. respondit: « Constare de nullitate matrimonii ».

Sed haec in substantiali matrimonii forma a Codice introducta vix aut ne vix quidem possibilia sunt.

II. - Vis et metus.

Can. 1087. - § 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

§ 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert.

832. P. Wernz, n. 261, iure animadvertit *vim* et *metum* saepe confundi, sed posse etiam distingui sicuti causam et effectum, quia vis causat metum. Nam vis alia est *physica*, alia *moralis*. Prima definitur: *maioris rei impetus, qui repelli non potest*, ex l. 2, Dig., *Quod metus causa*, IV, 2. Afficere nequit nisi actum externum, et verificatur, quando hic actus ponitur sub coactione physica, cui resistere non possumus, animo prorsus reluctante aut absque rationis usu. Iam vero talis actus nullum habet moralem ac iuridicum valorem « quum (agens) magis

pati, quam agere convincatur »; c. 5, X, *De his, quae vi metusve causa fiunt*, I, 40. Proinde matrimonium sub vi initum, est nullum defectu consensus; e. g., si signum capitis, exprimens consensum matrimonialem, a Titio physice extorqueatur, animo ipsius renuente. Imo est nullum, etsi, per hypothesim, Titius intus in corde suo reipsa consentiat. Nam signum illud exprimit consensum, quando est ab agente sponte positum, non vero quando est vi physica extortum, ac proinde in hypothesi consensus interior non esset externe manifestatus. [1] Iure Codicis non potest esse ut matrimonium contrahatur sub vi, si ipsae partes matrimonium contrahunt, sed casus non est omnino exclusus si consensus manifestetur per procuratorem (can. 1088 § 1 et can. 1089).

833. *Vis* seu *coactio moralis*, active seu causaliter considerata, est alicuius mali instans vel futurum periculum, animum nostrum commovens; quae animi commotio seu trepidatio est *metus*. Hinc metus ex l. 1, Dig., *Quod metus causa*, IV, 2, definitur: *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio*. Nempe nos natura malum aversamur, ab eoque refugimus. Hinc quando illud videmus instans vel futurum, animus noster trepidat: en timor. Et eodem naturae instinctu, quo refugimus a malo, nos inclinamur ad id, quo malum evitatur. Quandoque trepidatio mentis talis est ac tanta ut illud medium evitandi malum amplectamur motu, ut aiunt, primo-primo absque ulla deliberatione et electione. In hoc casu deest prorsus consensus, quia voluntas in illud non assentitur, et quidquid nos facimus, est involuntarium simpliciter. Proinde matrimonium hoc modo initum esset manifeste nullum pleno consensus defectu; e. g., si Titius, arma gestans, mortem minitatur Sem-

[1] In Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1416, legitur: « Nel celebrare (in Costantinopoli) i matrimoni, dopo la triplicata interrogazione sopra il consenso, la sposa non risponde, ma standole una donna dietro, le mette la mano in capo e glielo fa chinare, quasi che consenta violentemente ». S. C. de Prop. Fide, reposuit, die 4 febr. 1664: « Quoad abusum de consensu in matrimoniis (de quibus agitur) videtur tolerandus, cum non valeat inde inferri defectus consensus ». Scilicet signum capitis in casu, licet vi aliena positum, satis exprimebat consensum ratione morum receptorum et circumstantiarum.

proniae, nisi hic et nunc ei nubat, et puella *complètement affolée*, ut dicitur lingua gallica, verba consensus profert. Saepius vero trepidatio mentis admittit deliberationem et electionem, dum aliquid facimus ad fugiendum malum instans vel futurum. In hoc casu consensus adest, quia voluntas assentitur in illud; hinc adagium: *coacta voluntas est semper voluntas*; sed tamen consensus procedit ex metu ad malum evitandum, et quod agimus est voluntarium simpliciter mixtum alicui involuntario imperfecto. Hinc defectus discretionis, error, simulatio, conditio auferunt vel suspendunt consensum dum metus minuit tantum.

834. Certum est graviter peccare tum illum qui metum incutit, tum illum qui, sciens metum alteri parti incussum, matrimonium contrahit. Pars metum passa, si ad matrimonium accedit, sciens illud nullum esse et cum animo illud consummandi, peccat; sed si firmum habet propositum vitandi omnes actus coniugatis licitos et solutis prohibitos, aut hunc propositum non habet, sed nescit matrimonium ex metu irritari, non peccat, sive simulate contrahat (n. 815), sive consentiat ex metu. Quaeritur utrum matrimonium ex tali metu initum validum sit, necne.

835. Equidem si pars, metum passa in antecedens, nunc plenum ac directum praebeat consensum, matrimonium certe valet; e. g., Sempronia ab initio vere coacta fuit sed nunc, Titii amabilitate seducta, toto animo ipsi nubit. Hanc vero mutationem voluntatis confessarius ex confessione partis desumit; iudex ex indiciis et circumstantiis. Pariter si pars metum passa, videns matrimonii consummationem vitari non posse, malit contrahere matrimonium, quam Deum offendi, atque ita plene, licet reflexe, in illud consentiat, matrimonium valet, quia ille consensus plenus, etsi reflexus, satis est; secus ipsi necessario aut peccandum foret, aut matrimonii usu abstinendum, nec posset quod minus malum sibi videtur, eligere.[1]

[1] D'Annibale, p. III, § 445; Lehmkuhl, vol. II, n. 738, aliique; et huius sententiae probabilitatem admittit quoque Schmalz., Sanchez, etc. Contrarium putat P. Wernz, n. 268; Rosset, n. 1325 seq. aliique.

At rursus, posita coactione, hic plenus consensus reflexus non praesumitur. E contrario matrimonium est evidenter nullum, si pars metum passa in ipso matrimonii actu simulat consensum (n. 817); imo ipsa excusatur quoque a peccato, dummodo firmum propositum habeat omnes actus coniugatis licitos ac solutis prohibitos vitandi. Quaestio igitur respicit casum quo pars iugum matrimoniale acceptat, consensu diminuto ex metu, ad malum evitandum.

836. Iam vero indubium est metum, si requisitas conditiones habet, quas infra exponemus, irritare matrimonium ut expressis verbis statuit rel. can. 1087 § 1. Id tradebat quoque Alexander III, c. 14, X, *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1: «Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut, ubi assensus cuiusdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et, ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur effectus qui de invitis solet nuptiis provenire. Quocirca mandamus quatenus puellam, de cuius matrimonio quaestio ventilatur, in domo in qua nihil eam timere oportet, facias honeste teneri, donec praedicta causa terminata fuerit, et sententia sine contradictione cuiusquam valeat exsecutioni mandari».

Confirmatur ex c. 15, eiusd. tit., de quo infra redibit sermo, et ex c. 28 eiusd. tit., ex quo eruitur matrimonium esse nullum, si mulier verba consensus protulit metu illato, qui cadere potuit in constantem virum; et tandem, aliis iuribus omissis, ex c. 2, X, *De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, IV, 7.

Nullitas matrimonii in casu est in favorem partis metum passae, et per accidens tantum alteri prodesse potest, quia illius consensus est insufficiens ad matrimoniale vinculum constituendum.

837. Nonnulli putant hunc metum matrimonio non officere, si pars cogatur ad personam incertam inter certas ducendam, e. g., unum ex filiis Petri. At vera sententia est etiam in hoc

casu metum irritare coniugium;[1] quia minuit consensum, sicuti si pars cogeretur ad determinatam personam, et infelices exitus eodem modo timendi sunt, et iniuria aeque infertur, ideoque canones citati etiam hunc casum comprehendunt. Haec probant matrimonium esse nullum, etsi pars cogatur ad matrimonium in genere: nam sunt eaedem rationes. Pro matrimonio igitur consensus mere electivus non sufficit, si in electionem ipsam quis coacte consentit.[2]

838. Cum matrimonium ex metu nullum sit, manifeste patet omnes actus, qui solutis prohibentur, etiam iis suppositi tiis coniugibus prohiberi. Praescindimus modo a bona fide vel ignorantia invincibili, qua pars metum passa facilius excusatur, difficilius alia, si ipsa metum incussit, aut metus incussi conscia erat. Sed si res obiective spectetur, nisi prius matrimonium revalidetur, de qua re alias, pars metum passa debet potius mortem subire, quam in actum, qui fornicatio est, consentire. « Potest etiam, si per id ex conscientiae angustiis libera evasura est, atque id sibi possibile iudicat, in sui violatione passive se habere»; Lehmkuhl, vol. II, n. 738; quod tamen de facto vix possibile erit.

839. Quaeritur utrum matrimonium, tali metu initum, sit nullum iure naturae, an solo iure positivo Ecclesiae. Magna est DD. dissentio.

840. Plures censent esse nullum iure ipso naturali; inter quos pauci id retinent pro omnibus actibus in genere, ideoque et pro matrimonio, quod tamen non est probabile; alii pro matrimonio in specie. Nam 1° in cit. c. 14, Alexander III docet sub tali metu deesse consensum; atqui matrimonium, deficiente consensu, iure naturae est nullum; 2° matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter coniuges, quod in tali metu non habetur; 3° ius naturae alios actus reddit rescindibiles ad petitionem partis metum passae; cum autem id matri-

[1] Schmalz., lib. IV, tit. I, n. 396; Pirhing, lib. IV, tit. 1, n. 103; Sanchez, lib. IV, disp. XII, n. 20.

[2] Sanchez, l. c.; Pontius, lib. IV, cap. XVIII, n. 14; Salm., tr. IX, cap. IX, n. 39 seq ; Cleric., dec. XXVIII, n. 35. Quod idem hodie statuitur de electionibus ecclesiasticis (can. 169 § 1 n. 1).

monio applicari nequeat, debuit illud irritum reddere, secus innocenti non consuluisset.[1]

841. Plerique putant esse nullum solo iure ecclesiastico.[2] Nam consensus sub tali metu adest (n. 833), et sicut est sufficiens ad validitatem aliorum contractuum, ita et matrimonii: Ecclesia autem merito illum insufficientem declaravit, quia alias parti metum passae succurri non poterat. In prima sententia sunt inextricabiles difficultates; nam sequeretur, e. g., etiam metum gravem supernaturalem, aut metum gravem naturalem ex causa necessaria, aut metum gravem naturalem ex causa libera iuste incussum, irritare matrimonium, cum diminutio voluntarii eadem possit esse, imo et maior; ac proinde si gravis voluntarii diminutio irritat matrimonium iure naturae, matrimonium foret nullum etiam in omnibus his casibus. In altera vero sententia facile patet curnam ii metus matrimonium non irritent; nempe quia Ecclesia pro eis id non statuit, et pro nonnullis nec statuere poterat.[3] Nec rationes in contrarium allatae pro prima sententia peremptoriae sunt: nam in cit. c. 14, dicitur sub tali metu deesse consensum ad matrimonium requisitum a iure in genere;[4] mutuus autem coniugum amor necessarius quidem est ut matrimonium felices exitus sortiatur, non vero ad illius valorem; et tandem iuri naturae supplevit Ecclesia, hanc ferens legem, prout alias quoque fecit. Proinde haec lex habet fundamentum in iure naturae, sed formaliter non est a iure naturae.

Hanc alteram sententiam veram putamus, eaque in sequentibus utimur.

842. Ex his facile intelligitur: 1° Quid dicendum de matrimonio infidelium. Nempe si auctoritas civilis hanc legem

---

[1] S. Thomas, *Suppl.*, q. 47, a. 3; Rosset, n. 1314 seq.; Pontius, lib. IV, cap. XIV, n. 4; P. Wernz, n. 266; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1054, cum pluribus aliis, qui hanc sententiam appellat *non minus probabilem et forte probabiliorem*.

[2] Sanchez, lib. IV, disp. XIV, n. 2; De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 120; Schmalz., lib. IV, tit. I, n. 406; Pirhing, lib. IV, tit. I, n. 106; De Angelis, lib. I, tit. XL, n. 4; Santi, lib. IV, tit. I, n. 149.

[3] De Lugo, l. c., n. 115 et n. 120.

[4] Lessius, lib. II, cap. XVII, n. 43.

irritantem tulit, matrimonium nullum est (n. 240 seq.); secus in prima sententia est nullum, in altera, quam secuti sumus, est validum; in quo dubio cui favendum sit, vide n. 21. Cum autem una pars est christiana, altera infidelis, tunc, si pars metum passa est christiana, matrimonium est certe irritum, quia eius consensus est certe insufficiens; si infidelis, in prima sententia matrimonium viribus caret, in altera valet, quia consensus in quem cadit lex, non subest Ecclesiae. Vide casum analogum n. 804.

843. 2° Curnam Ecclesia nunquam in hac lege dispenset. Nam dubium est num sit iuris naturalis, quo in casu Ecclesia dispensare non posset; ac insuper, admissa quoque, uti certa, altera sententia, numquam removenda foret nullitas, quae est in favorem partis metum passae, ne haec matrimonio invita ligetur, et metum incutiens ex sua iniquitate commodum reportet, nam «metum comprobare contra bonos mores est»: l. 116, Dig., *De regulis iuris*, L, 17. Hinc S. C. S. Officii in instructione (n. 661) diei 15 febr. 1901 ad Episcopos Albanenses, merito docuit matrimonii nullitatem ob vim et metum *in ipso iure naturali fundamentum habere*, et, *quoties adsit, nullum dispensationi locum esse.*

844. His positis de metu in genere, quoniam inter vim et vim (moralem seu metum) est differentia, ut ait Alexander III, c. 6, X, *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1, modo videndum est quinam metus, iuxta sacros canones, irritet matrimonium. Ante Codicis promulgationem DD. hoc generale principium tradere solebant: *ille metus irritat matrimonium, qui ceteros contractus facit rescissioni obnoxios.*[1] Sed post Codicem regula magis practica et clara traditur in rel. can. 1087 § 1, scilicet: matrimonium irritat *metus gravis, ab extrinseco et iniuste incussus a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.* Hanc igitur regulam modo nos declarare debemus. Igitur matrimonium irritat:

845. 1° *Metus gravis.* Est enim vulgaris distinctio metus in *gravem* et *levem*. Metus gravis erit gravis trepidatio mentis,

[1] Schmalz., lib. IV, tit. I, n. 390, ac alii cum communi.

metus levis erit levis trepidatio mentis, uti ex metus definitione apparet. Metus gravis dici quoque solet in iure *metus cadens in virum constantem*, ex cit., cc. 15, 28, X, *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1 et c. 6, X, *De his quae vi metusque causa fiunt*, I, 40, ita ut haec expressio, proverbii loco posita,[1] nihil aliud significet, nisi metum gravem; et in l. 6, Dig., *Quod metus causa*, IV, 2, dicitur *cadens in viro constantissimo*, ubi superlativum est pro positivo. Et aliquando appellatur quoque *metus iustus*, licet iniustissimus sit.

846. Sanchez, lib. IV, disp. I, n. 10, quinque conditiones, ut metus gravis dici possit, ponit et explicat; sed eae quinque conditiones ad duas optime revocantur, scilicet ut malum instans vel futurum sit grave pro illa persona quae timet, et ut haec persona persuasum habeat illud malum sibi revera imminere; secus metus est levis. De utraque conditione breviter.

847. Ad *primam* quod attinet, malum instans vel futurum debet esse grave *pro illa persona*, ita nempe ut haec persona facile illud sustinere nequeat. Sunt nonnulla mala, quae gravia ab ipso iure habentur absolute seu pro omnibus hominibus, scilicet mors, mutilatio, cruciatus corporis, exsilium, amissio libertatis, status, omnium bonorum, aut maioris vel magnae partis eorumdem, et etiam instrumentorum, quibus haec bona vindicantur; ita quoque amissio magni lucri, si ad illud ius aliquod habes, e. g., hereditatem paternam, aut saltem ius ne ab illo iniuste impediaris, comminatio stupri, infamia iuris aut facti, cui non facile occurri potest, excommunicatio iniusta, quae facile removeri nequit, et similia; et haec omnia, sive quatenus nobis ipsis impendunt, sive quatenus nostris parentibus, liberis, uxori, fratribus, imo etiam aliis consanguineis et affinibus ac domesticis.[2] Proinde haec mala praesumuntur gravia etiam *pro illa persona*, nisi, attenta eius qualitate,

---

[1] Sanchez, lib. IV, disp. III, n. 3.

[2] Sanchez, lib. IV, disp. IV; Reiff., lib. I. tit. XL, n. 19; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1047 cum communi. De singulis vide fuse Sanchez, lib. IV, disp. V; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1048; Pontium aliosque.

aliud prudenti iudici constet; e. g., carcer aliquorum dierum aut mensium pro homine perditissimo, qui pluries iam carcere detentus fuit, nihil fortasse erit; item monasterium pro puella, quae solitudinem amat et vitae interiori studet, etc. In his casibus ea mala sunt gravia absolute seu pro omnibus in genere, sed levia relative, ideoque illi personae metum gravem non gignunt. Alia mala maioris momenti pro aliquibus personis gravia possunt esse, pro aliis levia: e. g., idem malum potest esse leve pro viro, grave pro muliere aut puero propter naturalem eorum fragilitatem, et idem malum potest esse grave pro hac puella, leve pro aliis mulieribus, grave pro hoc iuvene vel viro, leve pro aliis. Prudens iudex in singulis casibus videbit, attentis omnibus circumstantiis, utrum illud malum pro illa persona grave sit, an leve. Tandem quandoque plura sunt mala instantia vel futura, singula fortasse levia, sed quae simul sumpta quid grave, iudicio prudentis, pro illa persona constituunt. Blanditiae pro nemine important malum grave: item nec preces importunae, nisi importunitas tanta sit, ut contineat iniuriam gravem.[1]

848. Si autem quaeras num indignatio illius, cui reverentiam debemus, grave malum censeatur, ita ut metus exinde ortus (qui *reverentialis* appellatur), gravis per se sit, responsionem desumimus ex D'Annibale, p. I, § 138, not. 16: « Est et metus reverentialis (v. Sanchez, lib. IV, disp. VI). Et ille dicitur quem auctoritate sui facit is in cuius potestate sumus; puta praelatus, dominus, pater, maritus, tutor (ex. l. 22, *De rit. nupt.*; Pontius, lib. IV, cap. V; Salm., IX, 9, n. 34; S. Alphonsus, VI, 1056). Definitur: futuri mali existimatio quod ab iis metuimus in quorum potestate sumus (Pontius, n. 1; Salm., l. c.). Et ab ingenio et moribus eius metiri cum primis debet (Less., II, XVII, 35; Pontius, n. 4). Nec eius est qui fecit ut morem eius gereret, si non fecit invitus (Lugo, n. 150). Hunc nonnulli esse putant eius qui solam domini, patris, etc., offensam veretur; alii, contra, eius qui ab eo metuit aliquid

[1] De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 146; Sanchez, lib. IV, disp. VII.

grave, e. g., exheredationem, expulsionem, etc. Neutrum plane: non primum, quia metus sine periculo alicuius damni non intelligitur (l. 6 C., *De iis quae vi*; Pontius, n. 3); non alterum, quia ubi tam grave damnum impendit timor gravis *simpliciter* dicendus est. Itaque timor reverentialis dicitur, cum aliquis patris, domini, etc., indignationem, quae profecto malum est, metuit, licet absint (quod tamen limitat Sanchez, lib. IV, disp. VI, n. 7, 11, 12, 13, 14) verbera aut minae. Quae si gravis et diuturna futura sit, malum grave ideoque et metus gravis non immerito existimabitur (Sanchez, cit. n. 14: Pontius, n. 6; Salm., IX, 9, 34; Reiff., III, XXXI, n. 115). Et ut generaliter dixerim, quod quis revera fecit coactus *paterno imperio* (ex *C. Puella*, 8, 2, 5) aut *nimia reverentia* (l. 1, § 6, *Quarum rerum*; v. Sanchez, n. 16) timore reverentiali fecisse dicendus est ». Ita quidem, sed in foro externo non praesumitur eiusmodi indignatio esse malum grave neque pro puella, nisi circumstantiae aliud suadeant, aut accesserit aliquid aliud, e. g., iurgia, minae, preces importunae et instantissimae, etc.[1]

849. In causis de nullitate matrimonii ex capite vis et metus, quae apud tribunalia ecclesiastica agitantur, de metu reverentiali agi solet, actrice timida puella, quae in specialibus circumstantiis gravi reverentiali timore induci potest ad nuptias ineundas cum viro quem non amat, et frequentius naufragium faciunt defectu probationum. Nonnulla harum causarum exempla afferemus, n. 859 seq.

850. Quoad *alteram* conditionem pro metu gravi habendo, persona metum patiens persuasum habere debet illud malum sibi imminere. Hinc licet malum instans vel futurum sit grave, tamen metus est levis: *a*) si persona scit eum, qui malum minitatur, non posse aut non solere minas exsecutioni mandare; e. g., parentes dicunt Semproniae: *Aut monasterium, aut matrimonium cum Titio*, sed Sempronia scit, etiam recusato

[1] Santi, lib. IV, tit. I, n. 144; Reiff., lib. I, tit. XI, n. 95; Engel, lib. IV, tit. I, § V, n. 4; Pignatelli, tom. IX, cons. 130, n. 19; Clericatus, dec. 97, n. 24; Rosset, n. 1289 seq.; P. Wernz, n. 264. Lege votum canonistae in *Tolentinatensi. Matrimonii*, 17 apr. 1869, qui de metu reverentiali perbelle disserit.

matrimonio, parentes nolle, aut non posse eam in monasterium detrudere; *b*) si persona potest sine magna difficultate illi malo occurrere, e. g., implorando superioris aut amicorum auxilium, vel declinando a potestate illius qui metum incutit. Hinc si malum est remotum, plerumque metus non est gravis. Addit tamen Sanchez, lib. IV, disp. I, n. 16: « Imo crediderim quamvis regulariter ad metum iustum (idest gravem) exigatur malum, quod timetur, esse iam iam impendens, quia multis viis occurri potest periculis futuris longe distantibus; si certum esset illi malo gravi, multo post tempore probabiliter eventuro, non posse subveniri, nisi praesentem contractum ineundo, iudicandum esse metum gravem ».

851. Ad metum levem quod attinet, omnes uno ore fatentur matrimonium metu levi initum validum esse, si metus fuit mere concomitans, aut ex parte tantum concurrit ita ut matrimonium, etiam sine metu, contractum fuisset. Si vero metus levis dedit causam contractui, nonnulli ante Codicis promulgationem censebant matrimonium esse nullum in foro interno, validum in foro externo; quia Ecclesia, ubi metus est levis, non praesumit coactum, sed spontaneum consensum.[1] Alii communissime docebant metum levem, etiam dantem causam contractui, non importare nullitatem matrimonii;[2] quae sententia iure Codicis certa est ex rel. can. 1087.

852. 2° *Metus gravis ab extrinseco... incussus*, a causa libera, ab homine scilicet metum inferente. Proinde metus ab intrinseco non irritat matrimonium, sive supernaturalis sit sive naturalis. Metus *supernaturalis* ab intrinseco verificaretur, si malum quod timetur, fide apprehensum, est privatio

---

[1] Ita Navarrus. Veracruz, Manuel Rodriguez aliique apud Sanchez, lib. IV, disp. XVII, n. 2; De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 141; Sanchez, l. c., n. 4, hanc sententiam dicit satis probabilem, et si admittas matrimonium metu contractum esse iure naturae irritum, habere longe maiorem probabilitatem, licet ipse eam non sequatur.

[2] Sanchez, l. c., qui tamen hanc sententiam habet tantum *probabiliorem*; Pontius, lib. III, cap. XVIII, n. 3; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1055, qui eam appellat *communissimam*: S. Thomas, *Suppl.*, q. 47, a. 3; Schmalz., lib. IV, tit. I, n. 387; Rosset, n. 1275 seq.; P. Wernz, n. 263; Pirhing, lib. IV, tit. I, n. 117; Reiff., lib. I, tit. XL, n. 25, et lib. IV, tit. I, n. 330.

boni supernaturalis, e. g., si quis matrimonium contrahit quia secus persuasum habet, se grave peccatum committere et ideo non posse vitam aeternam assequi. Metus ab intrinseco *naturalis* tunc haberetur, cum malum quod timetur est ordinis naturalis et a causa vel libera vel necessaria procedit, e. g., si quis putat matrimonium sibi esse necessarium ad vitam corporis servandam et hoc mortis metu nuptias init. Iam vero ex rel. can. 1087 § 1, patet metum ab intrinseco non irritare matrimonium; et sane contrarium foret absurdum. Etiam alii actus positi sub tali metu validi sunt, nec sunt rescindibiles, e. g., in c. 17, X, *De regularibus et transeuntibus ad religionem*, III, 31, declaratur validum servarique iubetur votum religionis emissum ad sanitatem recuperandam ab eo qui in lethali infirmitate constitutus erat.

853. 3° *Metus gravis... iniuste incussus.* Hinc metus gravis *iuste incussus* nec irritat nec impedit matrimonium. Porro metus gravis est incussus iuste, si pars malum, quo compellitur ad matrimonium contrahendum, plene meretur; e. g., Titius stupro puellam violavit et modo ad iustas gravesque sui facinoris consequentias evitandas, praefert puellam consentientem ducere in uxorem; matrimonium in casu non solum est validum et licitum, sed etiam laude dignum. Hoc modo solvimus casum, qui revera occurrit in nonnullis Americae Septemtrionalis provinciis. Lex enim est ut vir, qui mulierem vi cognovit, eam consentientem ducat, secus detruditur in carcerem, non antea quam eam duxerit, dimittendus. Putamus matrimonium esse validum, quia metus est iustus, nam hoc delictum est mixti fori atque ideo, supposita veritate delicti, ea poena non videtur iniusta, licet alia sit a canonica.[1] Modo videamus quandonam metus dicatur et sit incussus iniuste.

854. Metus est incussus iniuste *quoad ipsam suam substantiam*, quando pars malum, cuius timore compellitur ad nuptias, omnino non meretur; aliis verbis quando malum est

[1] D'Annibale, p. III, § 445, not. 19. Sane olim sponsalium proditores cogebantur vel adhibita excommunicatione ad nuptias coeundas.

undequaque iniustum. Ita, e. g., parentes filiam reluctantem cogunt ad matrimonium contrahendum cum Titio, posito eidem dilemmate: *aut matrimonium aut monasterium*, et filia, ut monasterium evitet, matrimonium contrahit; item parentes diuturna indignatione instanter, instantius, instantissime, minis quoque et aliquibus forte levibus verberibus, ad matrimonium cum Titio ineundum filiam reluctantem impellunt, quae timida, resistere non valens, tandem consentit. In his et similibus casibus metus gravis est incussus iniuste quoad ipsam suam substantiam, qui proinde nuptias irritat ex rel. can. 1087 § 1.

855. Sed metus potest esse incussus iniuste etiam *quoad modum* tantum, si nempe pars malum aliquod reipsa meretur, sed non illud quod timet et quo compellitur ad nuptias; aut malum quod meretur, ei comminatur persona incompetens; aut illud comminatur persona competens, sed non servato ordine iuris. Ita e. g., pater Titium deprehendit cum filia turpiter agentem; eidem mortem minitatur, nisi eam ducat in uxorem; et Titius, ut mortem evitet, eam ducit; hoc in casu metus est incussus iniuste dupliciter, nempe quia poena est nimis gravis et quia persona, quae eam minitatur, est persona privata, quae rem debet ad publicam auctoritatem deferre, sed non potest ipsa poenam infligere. Item si Titius stupri reus est, sed iudex non est competens, qui, hoc non obstante, iuxta acta et probata Titium poena legitima damnaturus est, nisi contrahat matrimonium cum Sempronia, et Titius, ut poenam evitet, Semproniam ducit; hoc in casu metus est incussus iniuste ob iudicis incompetentiam. Tandem, ut alia exempla omittamus, si Titius stupri reus est, sed secundum acta et probata innocens est dicendus, et nihilominus iudex competens in eum sententiam damnatoriam laturus est, nisi nuptias ineat cum Sempronia, quam Titius reipsa ducit ut sententiam declinet; hoc in casu metus est incussus iniuste, quia iudex secundum acta et probata sententiam pronuntiare debet.[1]

[1] Cappello, op. cit., n. 606; De Smet, op. cit., n. 538, not. 5; Wernz-Vidal, op. cit., n. 501, not. 24.

856. 4° *Metus gravis... iniuste incussus, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.* Antiquo iure gravis erat hac de re controversia. Gravissimi enim AA. putabant metum gravem... non irritare matrimonium, nisi esset directus ad extorquendum consensum matrimonialem;[1] sed alii non minus graves DD. id negabant, inter quos Schmalz., lib. IV, disp. I, n. 398 seq., et De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 175 seq. Ut legitur in actis praeparatoriis ad Codicem, examini Consultorum propositus fuerat canon primae sententiae favens: § 1. *Nullum quoque est matrimonium initum ob metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem.* Praeses Commissionis recoluit gravem, quae in subiecta materia aderat, controversiam inter canonistas; et P. Palmieri proposuit ut formula, quae in suo voto erat quaeque utramque sententiam comprehendit, acceptaretur: *Metus debet esse ab extrinseco, iniuste incussus, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium*, quae reipsa acceptata fuit. Hinc iure Codicis nullum est matrimonium tum si metus gravis sit directe incussus ad extorquendum consensum matrimonialem, tum si ad hoc non sit directe incussus, sed pars persuasum habeat se ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat. Proinde iure Codicis matrimonium est certe invalidum in casibus qui sequuntur: 1° Si Titius aggreditur Caiam ut eam interficiat: Caia, ut mortem effugiat, offert nuptias; Titius acceptat; 2° Si pater Titium, stupratorem filiae suae Annae, vult interficere ad vindictam criminis et offensae: Titius ut sese liberet, nuptias proponit cum Anna; pater acceptat; 3° Si mulier infirma, cum medicus curationem ex officio et iustitia debitam eidem denegaverit ex odio, ignavia, aliave causa, promittit matrimonium eidem vel eius filio, ut sic medicus ad praestandam curationem inducatur; medicus assentitur; et ita porro in similibus casibus.

[1] Sanchez, lib. IV, disp. XII, n. 3; Pirhing, lib. IV, tit. I, n. 100; D'Annibale, p. III, § 445; Gury, n. 832; Santi, lib. IV, tit. I, n. 148; De Angelis, lib. IV, tit. I, n. 19; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1049, qui eam dicit *communem*: P. Wernz, l. c.

857. Ex hactenus disputatis satis apparet quinam metus, iure Codicis, irritet matrimonium ex rel. can. 1087; si haec prae oculis habeas plures DD. disquisitiones erunt tibi, benevole lector, plus minusve inutiles.

858. Metus matrimonium irritans, de quo huc usque, non praesumitur, sed ab allegante probandus est, l. 2, Cod., *De his quae vi metusve causa*, II, 20. Haec probatio difficilis est «tam ex parte illum patientis, cum in eius animo sit reconditus, tam ex parte inferentis, cum secreto et clam inferatur..., praesertim quando infertur a patre filiae secum habitanti, et propterea in ea leviores probationes sufficiunt...»; Rota, dec. 326 *coram Ludovisio*. At non est impossibilis: et tunc habetur quando tales testes, coniecturae et adminicula simul iuncta concurrunt, ut moralem certitudinem in iudice pariant. Quare nil mirum si admittantur testes, qui alias non admitterentur, et si idonei vocantur, uti in cap. fin. *De testibus* notat Glossa. Hinc admittuntur etiam domestici ipsique consanguinei et parentes illius, qui metum passus est. Ita folium S. C. C. in *Lucerina, Restit. in integr.*, 26 mart. 1768, § *Clare*. Imo ut adminicula probationis cumulentur, et inde moralis in animo iudicis exsurgat persuasio de metus exsistentia cum omnibus conditionibus ad matrimonium irritandum, plurimum deferendum est iuratae depositioni illius qui metum passus est, praesertim si aliae praesumptiones concurrant, quae eidem faveant.[1] Tandem in quaestione de metus valore probando ipsi etiam audiri solent, qui metum incusserunt, uti tradit Rota in decis. 373, n. 13 et 14, part. 18, t. 1 *Recent.* Plures huiusmodi metus praesumptiones recenset Bossius, *De matr.*, cap. XIII, n. 369 seq.; et lege votum canonistae in cit. *Tolentinatensi, Matrimonii*, 17 apr. 1869.

859. Expositas doctrinas facile possemus pluribus exemplis, ex thesauro S. C. C. et ex actis S. R. Rotae desumptis, confirmare; satis sit unum vel alterum heic referre.

860. Primum exemplum desumimus ex S. C. C. in *Parisien., Matrimonii*, die 15 maii et 5 sept. 1903, cuius haec erat facti

---

[1] Pignatelli, tom. I, Cons IV, n. 9; S. C. C., *Valentina, Professionis*, 1773.

species. Margarita de B. Roberto de C. nupsit an. 1877 praecise sub metu reverentiali gravi absque verberibus minisve gravibus. Ex una parte erat avia, ditissima, indole supra modum absoluta in ipsos filios et filias iam aetate provectos, ita ut nemo ei resistere aut contradicere auderet; quae firmiter matrimonium volebat, coadiuvantibus, eius iussu, amita et avunculo; ex alia autem parte erat puella septemdecim annorum, orphana ex patre, quae in domo aviae vivebat, indole dulci et aviae omnino submissa; quae oblatas nuptias omnino perhorrebat. Ad frangendam puellae voluntatem adhibitae fuerunt preces instantissimae, suasiones importunae, imperiosa verba, circuitiones et etiam aliquae minae, e. g., quod aliud matrimonium puella non contraheret, quod avia ipsam hereditate privaret, etc. Margarita omnibus modis restitit, qui adolescentulae tenerrimae praesto esse poterant, et tandem circumventa et oppressa detestatum matrimonium subiit. Curia Parisiensis, inita causa, sententiam tulit: *non constare de nullitate matrimonii*; sed S. C. C., hanc sententiam reformans, stetit pro nullitate. Vide similem causam et sententiam in alia *Parisien., Matrimonii*, 21 nov. 1903. Ratio decidendi est quia iuxta circumstantias displicentia et indignatio magna et diuturna aviae, parentum, etc., potest esse malum gravissimum timidae puellae; cuius mens proinde graviter trepidat et ita metus est gravis.

861. E contrario, eadem S. C. C. in *Ebroicen., Matrimonii*, sententiam in prima instantia latam pro matrimonii nullitate reformavit die 26 iulii 1876. Nam Baro Petrus de B., licet gallus, per plures annos vixerat in Germania, ubi amore captus est cuiusdam puellae, cui promisit matrimonium. An. 1862 in Galliam rediit cum hac puella, ut matrimonium celebraret; sed familia, praesertim mater, amita Eulalia, et avus Abel nuptiis obstiterunt, eo quod puella nec nobilis nec dives esset: et potius Petro proposuerunt matrimonium cum puella divite ac nobili ex Galliis. Petrus recusavit, et tunc parentes eidem indicaverunt aliam puellam aeque nobilem ac divitem, et amita Eulalia, quae pingue patrimonium habebat et Petrum iam scripserat heredem, hoc ma-

trimonium vehementer suasit. Petrus ob timorem amittendi hereditatem tandem consensum dedit, et matrimonium celebratum fuit, die 22 nov. 1862. Felices exitus non habuit: an. 1864 coniuges separationem quoad torum et cohabitationem a tribunali civili petierunt et obtinuerunt, ac postea Petrus apud S. C. C. institit ut matrimonium nullum declararetur ob metum incussum a sua familia, praesertim ab amita Eulalia, quae alium scripsisset heredem, si ipse ab ea commendatum matrimonium recusasset. Cardo igitur quaestionis in eo fuit, num amita Eulalia illas minas revera serio protulisset, et quatenus affirmative, num timor amittendi alienam hereditatem matrimonium irritet. Defensor Petri utrumque affirmabat: defensor matrimonii utrumque negabat, exponens in puncto iuris receptam doctrinam (n. 847), nempe timorem amittendi magnum lucrum non irritare matrimonium, nisi quod ius ad illud sit, aut saltem ius sit, ne ab illo quis impediatur;[1] quia secus matrimonium iniretur non timore, sed potius concupiscentia boni illius, aut clarius quia sacri canones non statuunt hunc timorem nuptias irritare, quod ex ipsa communi sententia deducitur. Proposito dubio: «*An constet de nullitate matrimonii in casu?*» S. C. reposuit: «*negative*»: et rursus eodem dubio proposito, die 16 dec. 1882, stetit in decisis.

862. In eodem sensu reposuit S. Rom. Rota, die 21 maii an. 1915, in *Parisien., Nullitatis matrimonii.* Nam Agatha, vidua cum sex filiabus ex unione maritali habitis, eius erat mentis, ut unamquamque earum, vix maiorennem effectam, quam cito in matrimonio collocaret. Helenae, quartae filiae, annum vigesimum agenti, tamquam futurum maritum, Aemilium indicavit. Consilium haud placuit Helenae; sed mater suam voluntatem modis omnibus imposuit, suasionibus, minis... et eius erat auctoritatis, ut filiae eidem resistere nec vellent nec possent; hinc Helena tandem matrimonium cum Aemilio acceptavit vel potius subiit. Per tredecim fere annos vita

[1] Sanchez, lib. IV, disp. V, n. 27 seq.; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1048; S. C. C. in *Urbinatensi, Matrimonii*, 10 maii 1732: Pontius, lib. IV, cap. V, n. 10; De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 144.

coniugalis perduravit, sed ab initis nuptiis fere numquam pacifica fuit. Tandem Helena domum mariti dereliquit; divortium civile petiit obtinuitque; et tandem causam nullitatis in foro ecclesiastico instituit, a Commissione pontificia impetrato ut causa in prima instantia apud S. Romanam Rotam ageretur; quae, cum ex actis et probatis constaret de metu gravi reverentiali ad consensum matrimonialem extorquendum imposito, ad dubium: « *An constet de nullitate matrimonii in casu* » reposuit: « *Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate in casu* ».[1]

863. Hanc materiam concludimus recolentes Decretum Conc. Trid., sess. XXIV, *De ref. matrim.*, c. 9, ubi ad consulendum libertati coniugiorum decernit excommunicationem latae sententiae contra illos dominos ac magistratus sive laicos sive ecclesiasticos, qui quovis modo directe vel indirecte subditos impediunt quominus libere matrimonium contrahant. De hac poena nulla in Codice mentio fit; hinc ex can. 6 n. 5°, tamquam abrogata haberi debet. Attamen omnes, qui puellam vel iuvenem ad matrimonium cogunt, graviter peccant, ut dictum est n. 834 et puniri possunt a iudice tum ecclesiastico tum laico, uti reposuit S. C. C. in *Romana, Matrimonii*, die 20 oct. 1721; insuper qui coegit ad nuptias damnum reparare tenetur: quod si coegit alter coniux et alia ratione damnum reparari nequeat, ipse tenetur, parte metum passa id postulante vel acceptante, matrimonium cum eadem inire.[2]

---

[1] Plures aliae causae de matrimonii nullitate ex defectu consensus resolutae fuerunt apud S. Rom. Rotae tribunal, quas nos brevitatis gratia praetermittimus; in eis doctrina iuris ita clare et solide exponitur, ut magna cum utilitate iuris canonici studiosus eas perleget; et dolendum has causas nam amplius referri in *Actorum Apostolicae Sedis. Commen. Offic.*

[2] P. Wernz, n. 272.

Articulus III.

De expressione consensus matrimonialis et de matrimonio inito per procuratorem et interpretem.

Can. 1088. – § 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem.

§ 2. Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint.

Can. 1089. – § 1. Firmis dioecesanis statutis desuper additis, ut matrimonium per procuratorem valide ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus.

§ 2. Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.

§ 3. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint.

§ 4. Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi.

Can. 1090. – Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest.

Can. 1091. – Matrimonio per procuratorem vel per interpretem contrahendo parochus ne assistat, nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.

864. Diximus n. 775 internum consensum, ut matrimonium habeatur, debere esse exterius manifestatum sufficienter, ita scilicet ut traditio-acceptatio unius ab altera parte satis intelligatur. Modo videamus quibus modis matrimonialis consensus sit manifestandus ut matrimonium valeat. Absolute loquendo consensus matrimonialis quavis ratione exprimi potest, sicut consensus in quolibet alio contractu; sed Codex rel. can. 1088 § 2 iubet regulariter consensum debere *verbis* manifestari; nec *signa aequipollentia* admittit, si partes loqui

possint; et consensus manifestari quoque posse per *procuratorem* et per *interpretem* (rel. can. 1088, 1089, 1090, 1091). Haec modo declarare debemus; de forma autem matrimonii infra loquemur in cap. V.[1]

865. *Verbis.* Antiquo iure nonnulli putabant nullo modo praeceptum esse consensum verbis exprimere, sed nupturientes posse proprium consensum manifestare sive verbis sive signis; plures vero docebant nupturientes teneri sub gravi ex praecepto Ecclesiae consensum exprimere verbis, si loqui possent, non autem pro matrimonii validitate; quod ipse tradit Innocentius III in c. 25, X, *De sponsalibus et matrimoniis*, IV, 1. Hanc alteram sententiam sequitur Codex in rel. can. 1088 § 2, ubi ad praecavendas plures possibiles molestias ac cavillationes, praecipit ut nupturientes consensum exprimant verbis, si loqui possunt, sed verborum defectus, iuxta canonem, non videtur secumferre nullitatem actus.

866. Sed ad matrimonii validitatem necesse est ut verba, iuxta receptam significationem, exprimant consensum maritalem de praesenti. Quaenam verba importent hunc consensum, vide fuse apud Sanchez, lib. I, disp. XVIII, et seq. *Accipio te in uxorem, accipio te in maritum; consentio ut sis mea uxor, ut sis meus maritus; tu es mea uxor, meus maritus; contraho tecum matrimonium*, aliaque similia manifeste exprimunt consensum matrimonialem. Aliquando, etiamsi verba quoad sonum sint de futuro, tamen indicant consensum de praesenti, e. g., *Ex nunc* vel *ab hoc tempore*, vel *deinceps habebo te pro uxore* vel *tractabo te semper ut uxorem*. Ad rem Pirhing, lib. IV, tit. I. n. 87: « Verba haec, etsi sint

[1] Iure antiquo sive ante Concilium Tridentinum sive post promulgatum eiusdem Concilii Decretum *Tametsi*, matrimonium contrahi poterat etiam per *epistolam* et per *nuntium*. Hoc iure Codicis admitti amplius non potest; nam ex una parte Codex enumerans, l. c., modos quibus matrimonium valide contrahi potest, de *epistola* et *nuntio* tacet omnino; ex alia autem parte in rel. can. 1088 § 1 statuit partes ad valide contrahendum debere esse *praesentes* et in can. 1095 § 1 n. 3, praescribit sacerdotem, qui matrimonio assistit, debere contrahentium consensum *requirere* et *excipere*, ut suo loco fusius explicabimus; quae omnia matrimonium per epistolam aut nuntium penitus excludunt.

futuri temporis quoad sonum, tamen reipsa important consensum de praesenti: si enim quis promittat quod *ex nunc et deinceps* semper hanc foeminam habebit pro uxore, seu tractabit ut uxorem: ergo est uxor ipsius (Sanchez, lib. I, disp. XVIII, n. 14). Quamvis vero in c. 9, cit. tit. in responsione mulieris non apponantur ea verba: *Ab hoc tempore*, quae faciunt ut consensus de futuro importet consensum de praesenti, tacite tamen subintelliguntur, cum respondent iuxta praecedentia verba viri». E contrario, verba: *Habebo te in uxorem*, vel *promitto quod ducam te in uxorem*, continent sponsalia, ceteris de iure concurrentibus, non matrimonium.[1] At si quis per haec verba de futuro intendit matrimonium, nec matrimonium habetur, nec sponsalia; sicuti si per verba de praesenti intendit sponsalia.

Quod si verba ambigua sint, in foro interno quisque suipsius iudex est; in externo, ut sensus verborum determinetur, recurrendum ad circumstantias in quibus verba prolata sunt et ad communem verborum intelligentiam, uti expresse statuitur in cit. tit. 7; in dubio autem standum est pro valore matrimonii etiam in foro interno.

867. Ceterum parochus in excipiendo consensu eam adhibeat verborum formulam, quam cuiusque dioecesis praxis aut statuta praecipiunt, et sponsi iuxta eam respondeant. Cum enim Conc. Trid., sess. XXIV, *De ref. matrim.*, c. 1, ita loquatur: « Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum », innuit quidem per interrogationes exquirendum esse sponsorum consensum; ast modum et formam, quibus huiusmodi consensus exquiritur et a contrahentibus declaratur, non praecise definire, sed magis cuiusque dioecesis praxi relinquere voluit, quod et iure Codicis valere dicendum est, dummodo sponsi consensum matrimonialem verbis exprimant. Verum eiusmodi formam per praxim et ritualia semel inductam,

[1] Pirhing, l. c , n. 88.

parochus sine peccato nec mutare nec aliam adhibere potest.[1]

868. *Signis aequipollentibus.* Innocentius III in cc. 23-25, cit. tit., declarat mutum et surdum posse matrimonium inire « quum quod verbis non potest, signis valeat declarare ». Consonat Rituale Rom. *Ritus celebr. matr. sacram.* Haec confirmat Codex in rel. can. 1088 § 2.

869. Quaenam autem signa consensum satis exprimant, non potest regula generali indicari. Capitis inclinatio ad alterius propositionem in communi usu, assensum significat. Hinc e. g., si, parocho interrogante, mulier caput inclinat, iam maritalis consensus satis expressus est. Idem dicas, si mulier, quae prae nimia commotione nec verba protulerat nec caput inclinaverat, *ultro* porrigit manum ut vir annulum immittat; aut si, viro exprimente consensum, mulier pro responsione *ultro* dexteram praesentat et viri dexteram stringit. Si post matrimonium peractum sponsi cum testibus ad sacristiam accedunt ut ibi a parocho conscribantur in libro matrimoniorum simul cum testium nominibus, id quoque, ni fallimur, continet sufficientem consensus expressionem. At satis non est, si, muliere neque respondente neque inclinante caput, neque dexteram porrigente, vir apprehendit eius dexteram, ut annulum immittat et mulier tantum se non retrahit.

870. *Per procuratorem* matrimonium, ad instar aliorum contractuum, iniri potuisse iure antiquo, nemo dubitat. Id tradit expresse Bonifacius VIII in c. ult. *De procuratoribus*, I, 19, in VI°: « Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis alias is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu (propter magnum quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit concessum. Sane si procurator antequam contraxerit a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse quam ea cum qua contraxit, revocationem huiusmodi

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 888; Bangen, III, p. 34.

penitus ignorarent), nullius momenti exsistit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit ». Haec confirmavit et melius complevit Codex in relatis canonibus.

871. Firmis dioecesanis statutis desuper additis, ut matrimonium per procuratorem valide ineatur, in primis, ad normam rel. can. 1089 § 1, requiritur mandatum speciale ad contrahendum matrimonium, datum certae ac determinatae personae, ad effectum illud contrahendi cum certa ac determinata persona. Huc spectat responsio S. C. C. in *Neapolitana, Matrimonii*, 7 iulii 1736. Nam Ioannes Baptista Bassand, chirurgus cuiusdam legionis Gallorum militum, Neapoli morabatur an. 1706: et cum Dux quidam minis ipsum continuo compelleret ad matrimonium contrahendum cum Genovefa, ad eas declinandas folium nudum a se tantum subscriptum in manibus praefati Ducis relinquens, Taurinum primum petiit, deinde Viennam, ubi matrimonium cum Maria rite inivit an. 1715, ex qua prolem habuit. Dux post ipsius discessum curavit in enunciato folio sibi tradito scribi mandatum procurae in personam Ioannis Antonii sui familiaris ad matrimonium contrahendum nomine dicti Ioannis Baptistae cum Genovefa; quod revera die 9 maii 1706 coram parocho et testibus initum fuit. Post plures annos, mortua ipsa Genovefa, Ioannes Baptista expostulavit nullum declarari matrimonium cum Genovefa suo nomine initum, legitimam vero prolem a se ex altero matrimonio susceptam. Propositis dubiis: « 1° An constet de nullitate matrimonii. Et quatenus negative; 2° An saltem reputari debeat ad omnes iuris effectus legitima proles suscepta ab altero matrimonio contracto an. 1715 in casu », S. C. reposuit: « Ad 1um affirmative. Ad 2um provisum in primo ».

872. Insuper mandatum debet esse subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato vel a duobus saltem testibus (cit. can. 1089 § 1). Quod si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotandum est et alius testis addendus, qui scripturam ipse quoque subsignet (cit. can. 1089 § 2). Omnes enumeratae condiciones ad validitatem requiruntur,

praeter statuta dioecesana desuper forte addita. In procuratore autem nulla qualitas exigitur pro matrimonii validitate, nec certa aetas, nec sexus diversitas.

873. Procurator debet mandatum ipse per se exsequi, ut matrimonium validum sit (rel. can. 1089 § 4). Monet tamen Codex ne parochus matrimonio per procuratorem assistat, nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia (rel. can. 1091).

Quando matrimonium celebratur, procurator in actu matrimonii exhibet mandatum, et parochus interrogat: *Vis in uxorem Sempronìam nomine Titii? Vis Titium in maritum, mediante praesenti suo procuratore?*

874. Mandatum revocari potest tacite vel expresse. Si mandans, quando procurator matrimonium iniit, consensum etiam mentaliter tantum revocaverat, matrimonium est nullum defectu consensus (rel. can. 1089 § 3); sed si revocatio probari nequit, matrimonium in foro externo valeret. Id est speciale in matrimonio: in genere enim est iuris regula: *Actus valet, nisi procurator certior fiat de revocato mandato* iuxta textum in c. 33, X, *De rescriptis*, I, 3, et c. un. *De renuntiatione*, I, 4, in Clem. Ratio differentiae est, quia in aliis actibus lex consensum supplet; sed consensus matrimonialis nulla humana auctoritate suppleri potest (can. 1081 § 1).[1] Quod si mandans ex animo mandatum dedit ab initio, deinde consensum mentaliter revocavit, et tandem rursus consensit ante exsecutionem mandati, matrimonium valet. Idem repetas si ab initio ficte mandatum dedit, sed postea ante matrimonii celebrationem revera consentit.[2] Si mandans, concesso mandato, amplius de eo non cogitavit, et interim matrimonium celebratur, utique valet, etsi tempore celebrationis mandans dormierit vel sit ebrius, quia consensus virtualiter perseverat. At non valet si mandans tempore celebrationis in amentiam inciderit (rel.

---

[1] Sanchez, lib. II, disp. XI, n. 6. Huc spectat quoque responsum S. C. Concilii in *Eugubina* seu *Perusina, Matrimonii*, 5 iulii 1727.

[2] S. Alphonsus, lib. VI, 886.

can. 1089 § 3).[1] Nam hoc in casu consensus in mandante prorsus deficit, sicuti si supremum diem obiisset, ideoque contractus in genere ex l. 47 et 48, Dig., *De acquirenda hereditate*, XXIX, 2, et matrimonium in specie non intelligitur.[2]

875. Si mandato addita fuit aliqua vera conditio, e. g., quod matrimonium fiat, sed cum tali dote, haec conditio servari sedulo debet; secus nihil est actum, deficiente consensu. *Vera conditio*, quia si id quod in mandato indicatur est simplex desiderium, aut iam requiritur a iure non sub poena nullitatis, e. g., quod matrimonium fiat, praemissis publicationibus, censetur appositum ad meram instructionem pro actu rite faciendo, non uti vera conditio sine qua non; ac proinde matrimonium est validum, publicationibus, e. g., neglectis; est quoque licitum, illis dispensatis.[3] Praeter ea quae dicta sunt prae oculis haberi debet Instructio data Episcopis Italiae a S. Congr. de Sacramentis die 1 maii 1932, quam habes in Alleg. XV.

876. *Per interpretem* quoque matrimonium contrahi potest (rel. can. 1090), sicuti ceteri omnes contractus ex l. 2, *De verb. signif.* « Omnis sermo contineat verborum significationem ita tamen ut alter alterius linguam intelligat sive per se sive per verum interpretem ». Antiquo iure omnes AA. admittebant matrimonium per interpretem contrahi posse in locis ubi Decretum *Tametsi* non obligabat, sicuti contrahi certo poterat ante Concilium Tridentinum; sed disputabant utrum valide contrahi posset in locis ubi Decretum *Tametsi* urgebat; quam controversiam Codex per rel. can. 1090 solvit. In hoc enim casu parochus et testes attestantur de consensu per interpretem expresso, quod ad matrimonium satis est, sicuti notarius et testes in contractu per interpretem inito.

877. Concludimus hac animadversione. Matrimonium per procuratorem vel interpretem est verum Sacramentum, quando validum est, cuius ministri sunt mandans, ipse contrahens

---

[1] Ita etiam Billuart, *De matr.*, lib. VI, aliique. Aliter Sanchez, l. c., n. 12.

[2] Pontius, lib. II, cap. XV, n. 14; De Lugo, *De Sacram. in gen.*, lib. VIII, n. 108; D'Annibale, cap. I, § 32.

[3] S. Alphonsus, l. c., n. 885; Sanchez, l. c., n. 17 seq.; cum communi.

per interpretem, ac alia pars. Procurator et interpres nec ministri sunt Sacramenti, nec aliquam cognationem, aut affinitatem contrahunt: nam repraesentant principalem contrahentem, et in illius persona agunt. Hinc non peccant, si matrimonium contrahunt in statu peccati mortalis. At pars principalis ipsa quidem debet esse in statu gratiae, quando fit matrimonium. [1]

Articulus IV.

De consensu matrimoniali praestito sub conditione, modo, causa, demonstratione.

Can. 1092. - Conditio semel apposita et non revocata:

1°. Si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur;

2°. Si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum;

3°. Si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit;

4°. Si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non.[2]

878. Quoniam *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui* (*Eccl.*, XV, 14), hinc homo potest in matrimonium consentire vel pure ac simpliciter, vel nonnisi sub tali conditione, vel tandem addito modo, causa, demonstratione. Equidem matrimonium propter reverentiam Sacramenti et plurium incommodorum pericula, contrahi debet pure et simpliciter, nec parochus sinat unquam in expressione consensus aliquid huiusmodi addi; sed nunc exponendum est quid iuris, si vel in ipso matrimonii actu quid additum fuit, vel antea nec revocatum. [3]

---

[1] Sanchez, lib. II, disp. XI, n. 29 seq.

[2] Ex actis praeparatoriis ad Codicem constat inter Consultores actum fuisse de irritando matrimonio sub qualibet conditione inito iuxta principium in recentioribus legislationibus receptum: *actui legitimo conditio apponi non debet.* P. Wernz canonem relativum redegit omnesque Consultores, Praeside non excluso, assensum praebuerunt; sed postea canon redactus disparuit et loco ipsius rel. can. 1092 positus fuit, quin hac de re amplius mentio fiat in actis.

[3] Quid sit conditio, modus, causa, demonstratio, vide n. 79 et seq.

879. De matrimonio inito sub modo, causa, demonstratione expedita res est, scilicet matrimonium valet, etsi modus... sit contra coniugii substantiam: e. g., *Contraho tecum, tu vero generationem prolis evitabis*: nam haec omnia actum, cui adiiciuntur, illicitum reddunt, sed minime suspendunt. Circa matrimonium sub conditione fusius insistendum est.

880. Theoria generalis de matrimonio inito sub conditione tradita fuit (praetermissis conditionibus necessariis et conditionibus possibilibus ac licitis) a Gregorio IX in c. ult., X, *De conditionibus appositis in dispensatione vel in aliis contractibus*, IV, 5, his verbis: « Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri: *Contraho tecum, si generationem prolis evites*, vel: *Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem*, aut: *Si pro quaestu adulterandam te tradas*, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, licet aliae conditiones in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi ».

Gregorius IX hanc constitutionem edidit non interrogatus ab aliquo, « sed ut instrueret iudices ecclesiasticos quomodo de matrimoniis, in quibus conditiones impossibiles et turpes seu contra substantiam appositae adiiciuntur, pronuntiare debeant »; Gonzalez in cit. cap. Codex decretalem Gregorii IX in rel. can. 1092 recepit et melius determinavit; modo hunc canonem nos exponimus, qui revera accurata indiget declaratione, quia quam certa est disciplina constituta, tam difficilis visa est cultoribus canonum eiusdem expositio et ratio.[1] In hac declaratione sequimur ordinem eiusdem canonis.

§ 1. – *De conditione de futuro necessaria vel impossibili vel turpi, sed non contra substantiam.*

881. Conditio de eventu futuro *necessaria*, e. g.: *Contraho tecum, si crastina die sol orietur*, non suspendit consensum, sed matrimonium statim censetur purum (rel. can. 1092 n. 1°).[2]

[1] Berardi, *Ius eccl.*, tom. III, diss. II, cap. I.
[2] Sanchez, lib. V, disp. II, n. 2 cum communi.

Sane « qui sub conditione stipulatur, quae omnino exstitura est, pure videtur stipulari », l. 9, 2, Dig. *De novationibus et delegationibus*, XLVI, 2. Hinc haec conditio vitiatur, ut aiunt, et non vitiat contractum.

882. Addit tamen sapienter De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 336: « Quod quidem verum est regulariter: nam secundum se non repugnat quod illa conditio ex intentione contrahentium suspensiva sit, nec velint obligare se ad aliquid, donec conditio reipsa ponatur, ut fatetur etiam Turrianus disp. LV, dub. 9, n. 6: quod facilius praesumitur, quando contrahentes ignorabant conditionem esse necessariam; tunc enim praesumuntur illam eodem modo ponere sicut alias futuras contingentes. Idemque est quando licet conditio sit in se necessaria, nec sit in materia contingenti, contrahentibus tamen est incerta, ut si dubitantes de eclipsi futura tali die, aliquid sub ea conditione promittant, ut pro utroque casu fatetur Sanchez cum aliis supra n. 3 et 4. Aliquando etiam non apponitur per modum conditionis, sed tamquam terminus vel dies praefinita, e. g.: *Do tibi equum, si pater meus moriatur*, hoc est quando morietur; nam licet necessario moriturus sit, non tamen vult promittens obligare se ad dandum equum ante mortem patris ».

883. Notentur cit. l. 9, 2, Dig., *De novat. et deleg.*, XLVI, 2, verba: *Quae certo exstitura est.* Proinde contrahens pure videtur stipulari, et contractus in genere, matrimonium in specie, statim valet, etsi eventus futurus non sit natura necessarius, sed tamen sit certo exstiturus, e. g.: *Contraho, si Antichristus venerit.* Sensus enim praesumitur esse: *contraho, si certum est Antichristum esse venturum*, quae conditio de praesenti exsistit, donec non probetur contrahentem eam conditionem suspensive apposuisse.

884. Conditio de eventu futuro *impossibilis*, e. g.: *Contraho, si digito caelum tetigeris*, pariter consensum non suspendit, habetur pro non adiecta et matrimonium statim valet (rel. can. 1092 n. 1°). Ita etiam de testamentis statuit ius civile Romanum l. 3 et 6, Dig. *De conditionibus et demonstrationibus*, XXXV, 1. Hinc rursus haec conditio in matrimonio et in testamento vitiatur et non vitiat. Contractus vero inter vivos

irritantur conditione de futuro impossibili, ut omnes fatentur, ex § 11, Inst. *De inutilibus stipulationibus*, III, 19: «Si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur, nihil valet stipulatio»; unde haec conditio eos vitiat, et non vitiatur. Ratio ob quam matrimonium ac testamentum sub conditione impossibili valent, est favor iuris, quo gaudent, ut de matrimonio docet Gregorius IX, l. c.

885. De Lugo, l. c., n. 343, id explicat quoad testamentum his verbis: « In re tanti momenti et adeo homini expetibili, qualis est non decedere intestatum, non praesumitur testator ludere voluisse et per iocum, actum derisorium facere, sed potius addidisse illam conditionem ex errore putando rem esse possibilem, eoque fuisse animo, ut si impossibilem esse sciret, eam non apponeret, nec vellet heredem suum ad impossibile obligare. Quare ita lex interpretatur voluntatem defuncti, qui suum affectum erga heredem vel legatarium ostendit, ut nolit ei illudere, sed potius conditionem pro non adiecta haberi; et ex hac praesumptione, nisi aliunde mens contraria testatoris constet per coniecturas verisimiles, rationabiliter interpretatur lex magis esse iuxta defuncti voluntatem quod conditio auferatur, quam quod actus irritus et invalidus existimetur. Quod in aliis contractibus inter vivos non procedit, in quibus et facilius solent homines iocari et illudere quam in testamento, et non est illa praesumptio, qua testator praesumitur velle valide testari et de rebus suis disponere, praesertim cum contrahens adhuc superstes possit voluntatem suam interpretari et iterum, ablata conditione, valide contrahere, si velit ». Concinit Berardi, t. III, d. II, c. I.

886. At pro matrimonio explicatio est longe difficilior; nam, ut ait De Lugo, l. c., n. 348: « In matrimonio nec potest lex ecclesiastica supplere consensum contrahentium, vel facere quod sine tali consensu matrimonium sit validum, nec ibi locum habere potest illa praesumptio voluntatis interpretativae, ob quam in ultimis voluntatibus diximus conditiones impossibiles haberi pro non adiectis, eo quod lex praesumat testatorem, qui ex ignorantia posuit conditionem impossibilem, malle quod conditio deleatur, quam quod dispositio nullo

modo possit observari: quia ad valorem matrimonii haec voluntas interpretativa non sufficit, sed requiritur contrahentes sufficienter explicare sensibiliter suum consensum, quem certe non explicavit sensibiliter, qui solum dixit se consentire sub conditione impossibili, sicuti neque etiam testator suam voluntatem sufficienter explicuit; sed in bonorum temporalium dispositione lex potest ex interpretativa voluntate defuncti, et aequitate id suadente, decernere quod bona habeantur, ablata illa conditione; quam potestatem non habet lex in ordine ad matrimonium, ad quod requiritur essentialiter consensus formalis ipsorum contrahentium, et non sufficit ille, quem haberent, si interrogarentur ». Deinde idem Auctor refert et reiicit plures DD. sententias.

887. Dici potest, propter favorem iuris, praesumi contrahentem serio matrimonium inivisse et conditionem impossibilem per iocum addidisse: proinde iuxta hanc praesumptionem matrimonium valere et conditionem haberi pro non adiecta. At si de facto (quod plerumque erit) contrahens iocatus est, dum protulit verba matrimonialia, aut consensum alligavit verificationi illius conditionis, quia, e. g., putabat esse possibilem, matrimonium est prorsus nullum ex defectu consensus. In foro interno id constabit ex confessione partis, in externo ex coniecturis et circumstantiis. Sanchez, lib. V, disp. III, n. 8 seq., quem sequitur Schmalz., lib. IV, tit. V, n. 60 aliique, docet illam iuris praesumptionem locum non habere, ideoque matrimonium sub ea conditione, ad instar aliorum contractuum, habendum esse nullum, nisi validum probetur, si una pars ignorabat ius constitutum in casu. Id reprehendit De Lugo, l. c., n. 356; sed salva principis moralistarum auctoritate, aliquo sensu verum esse videtur. Nam si contrahens sub illa conditione sciebat iure canonico matrimonium censeri validum et illam conditionem haberi pro non adiecta, multo magis praesumitur eam ioco addidisse, et consensum matrimonialem serio expressisse.[1]

---

[1] Lehmkuhl, vol. II, n. 687. An Gregorius IX, l. c., condiderit ius novum, vide apud Schmalz., l. c., n. 66 seq.

888. Conditio de eventu futuro *turpis*, non tamen contra substantiam, e. g., *Contraho tecum si fratrem tuum occides*, vel: *Si sorori tuae dederis venena sterilitatis*, vitiatur et non vitiat matrimonium (cit. can. 1092 n. 1°), sicuti conditio impossibilis (n. 884 seq.), cum Gregorius IX, l. c., et Codex eodem tenore de utraque loquantur, et in iure turpis conditio aequiparetur impossibili, quia id possumus, quod iure possumus, uti romano iure edicitur. Nimirum propter favorem iuris praesumitur contrahentem nuptias serio fecisse, illam autem conditionem ioco (equidem non probando) posuisse, ne dicamus aliam partem ad peccatum invitare voluisse, vel, si mavis, eam posuisse non uti veram conditionem, sed uti modum, ita ut sensus sit: *Contraho tecum; tu vero deinde fratrem tuum occides*; idque eo magis praesumitur, si contrahens ius constitutum cognoverat (cit. n. 887).

889. At haec non est nisi praesumptio iuris: unde si contrahens consensum suum illi turpi conditioni revera alligavit, matrimonium non valet et alia pars certe nec debet nec potest conditionem implere; sed, ea impleta, iam est matrimonium; ea non impleta, matrimonium non intelligitur, sicuti in casu conditionis honestae. Utrum vero contrahens voluerit necne consensum illi conditioni adnexum, in foro interno ipse suipsius iudex est, in externo probari debet ex circumstantiis, quae probatio plerumque facilis erit; et si conditionem honestam putavit, grave indicium est eidem suum consensum alligavisse.

890. Praeterea illa praesumptio non est nisi pro conditionibus turpibus, quae ad peccandum invitant; unde alia turpis conditio, e. g.: *Contraho tecum, si ab hostibus iniuste vulnereris*, non habetur pro non adiecta, sed matrimonium suspendit.[1]

891. Haec conditio: *Contraho tecum, si te virginem invenero*, est turpis, si intelligatur per concubitum; est honesta, si intelligatur per alium modum licitum.

Etiam in testamentis conditio turpis habetur pro non apposita, quod bene declarat De Lugo, l. c., n. 369 seq. In aliis

[1] De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XXII, n. 372; Schmalz., l. c. n. 97; Sanchez, l. c., n. 5 cum communi.

autem contractibus ante impletam conditionem quilibet contrahentium resilire tenetur; sed, conditione impleta, res promissa praestari debet iuxta probabiliorem sententiam.

§ 2. - *De conditione de futuro contra matrimonii substantiam.*

892. Haec est illa quae excludit vel *ipsum ius* in corpus alterius in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, vel *aliquam matrimonii proprietatem*, perpetuitatem nempe vel unitatem, quae et fidelitatem comprehendit. Gregorius IX in cit. c. ult. (n. 880 seq.) tres conditiones enumeraverat: *Si generationem prolis evites* (contra bonum prolis); *Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem* (contra bonum Sacramenti); *Si pro quaestu adulterandam te tradas* (contra bonum fidei). At passim AA. advertunt Gregorium IX has tres conditiones recensere indicative potius, quam taxative, quia aliae quoque excogitari possunt. [1]

893. Iam vero certum est hanc conditionem irritare matrimonium ex rel. can 1092 n. 2° et ex cit. c. ult., quia conditio externe apposita manifeste indicat mentalem conditionem, quae consensum matrimonialem excludit (can. 1081 § 2). Imo matrimonium hac conditione redditur in utroque foro nullum, etsi consensus internus esset forte legitimus, quia non esset sufficienter manifestatus; nisi forte, apponens conditionem, tu declares te, ea non obstante, velle verum matrimonium, quia tunc hac declaratione revera conditionem removes et pure contrahis. [2]

894. Huc spectat responsio S. C. S. Officii diei 22 maii 1840: « Definitum fuit in Congr. generali S. Officii, die 20 maii 1754, invalidum esse matrimonium coram ministro Calvinista initum, eo quod soleat uti formula perpetuitati matrimonii contraria. Quaeritur: 1° Quid sentiendum de matrimonio catholicorum sic celebrato, si, non obstante formula ista, intendant bona

---

[1] Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, cap. XXII, n. 6; *Quaest. can.*, 386.
[2] De Lugo, *De Sacram. in genere*, disp. VIII, n. 128.

fide contrahere in sensu Ecclesiae? 2º Quid de matrimonio mixto, cum pars catholica intendit, ut supra, contrahere in sensu Ecclesiae? » S. C. reposuit: « Ad 1um: in casu prout exponitur, affirmative, seu matrimonium inter duos catholicos, qui in sensu Ecclesiae contrahunt, *interveniente declaratione contrahentium*, esse validum et indissolubile. Ad 2um: matrimonium mixtum esse nullum, scilicet parte catholica expresse declarante se contrahere matrimonium de praesenti iuxta formulam perpetuitati matrimonii contrariam. Quod si pars catholica expresse declaret se intendere contrahere in sensu Ecclesiae, et pars haeretica ei assentiatur, adhuc validum haberi debet ».

895. Quod si conditionem contra substantiam posuit una pars, alia contradixit, et ita ad matrimonium ventum est, praesumitur illa recessisse a conditione, et ideo matrimonium habendum est validum, donec contrarium probetur. [1] Nonnulli idem affirmant casu quo, post appositam talem conditionem ab uno, alter tacet: tunc enim propter favorem matrimonii censetur contradicere, et idem erit ac si conditio non esset apposita. E contrario standum est pro nullitate matrimonii, si certo constet de conditione ab una parte posita, neque requiritur alterius partis acceptatio. Sufficit enim ut consensus in una parte deficiat ut matrimonium nullum sit.

896. Simplicem errorem circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem non irritare matrimonium, vide n. 809 seq. Praestat de singulis conditionibus contra substantiam pauca verba facere.

897. Conditio contra *ipsum ius* in corpus alterius in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem: *Si generationem prolis evites*, sumi potest vel *sensu turpi*, idest si generationem prolis evites per abortum, onanismum, sumens venena sterilitatis, etc.; vel *sensu honesto*, nempe per non usum matrimonii, servando castitatem.

898. In *sensu turpi* est proprie dicta conditio contra substantiam irritans matrimonium, si contrahens ea intendit exclu-

---

[1] Schmalz., l. c., n. 116; Pirhing, lib. IV, tit. V, n. 14; Fagn. in comm. cit. cap ult. *De conditionibus...*, n. 4.

dere ipsum ius et relativam obligationem, admittens tantum tactus aliosque illicitos actus; et tunc matrimonium corruat necesse est. Si vero contrahens intendit sese obligare, verum matrimonium inire, et ea conditione vult tantum sibi fieri ab altera parte promissionem de abusu iuris matrimonialis, non est conditio contra substantiam, sed modus, matrimonium valet et conditio vitiatur. Qualis de facto fuerit intentio contrahentis, in foro interno ex eius confessione constabit, in foro externo ex circumstantiis iudex desumet. Apposita simpliciter haec conditio excludit ipsum ius, nisi aliud probetur. Apposita vero cum aliqua limitatione, e. g.: *Dummodo post primum vel alterum filium prolem evitemus de cetero abusuri matrimonio*, vel: *Dummodo interim omnem prolem excludamus, donec melior fortuna arrideat*, indicat contrahentem voluisse verum inire matrimonium, sed simul iure matrimoniali abuti, nisi aliud constet. Ad rem Lehmkuhl, vol. II, n. 689 de duobus mox allatis exemplis: « In *priori* conventione, si revera ius ad ulteriorem rectum usum matrimonii plane excludere volebant, matrimonium nullum est: nam voluntas sive utriusque sive alterutrius contrahentium non ferebatur in ius matrimoniale perpetuo concedendum: atqui id tamen ad essentiam matrimonii requiritur. Verum plerumque aderit praevalens intentio veri matrimonii, atque solum adiungitur secundaria voluntas iure matrimoniali abutendi, non ius ipsum excludendi. — De *altera* conventione idem fere dici debet. Nimirum praesumptio facilis erit, contrahentes voluisse praevalenti voluntate verum matrimonium, neque turpem illam conventionem eos aliter considerasse nisi tamquam propositum peccandi, vel tamquam tentamen adventitiae obligationis ad peccatum inducendae. At si demum de isto matrimonii abusu tamquam de vera conditione *sine qua non*, seu de conditione mutua iura restringente convenerunt, matrimonium nullum est: imo etsi pro futuro tempore (melioris fortunae) iam nunc ad iura matrimonialia sese mutuo obligare intenderunt, matrimonii valor saltem suspenditur ad modum contractus sub conditione de futuro, donec post mutatam fortunam aut criminis poenitentiam rectus matrimonii consensus evadat. Practice ergo facile

ratio est, cur ad cautelam de novo rectus consensus poni debeat ».

Huc spectat responsio S. Rom. Rotae in *Parisien., Matrimonii*, diei 10 maii 1916. Nam inter Andream et Lucianam initum fuit matrimonium, exclusa omnino prolis generatione, quin illiciti actus excluderentur. Matrimonium malos exitus habuit; et post tres annos vitae coniugalis Luciana, obtento a civili tribunali divortio, petiit a Curia Parisiensi declarationem nullitatis matrimonii ob conditionem appositam contra ipsum ius matrimoniale. Sententia fuit actrici favorabilis; a qua vinculi defensor appellavit ad S. Rom. Rotam. Haec, cum ex actis et probatis illa turpis conditionis appositio extra dubium esset, sententiam Curiae parisiensis confirmavit.

899. Si in *sensu honesto* illa conditio posita fuit, de servanda scilicet castitate in statu matrimoniali, eadem in primis fieri debet distinctio. Nam matrimonium irritum est, si contrahens ea conditione intendit nullum tradere-acceptare ius in corpus (n. 893). Confirmatur ex responsione S. C. C., 8 iulii 1724. Nam Ioanna et Ludovicus convenerant de matrimonio ineundo ea conditione ut, inito matrimonio, Ioanna intra quindecim dies monasterium monialium ingrederetur, et, elapso novitiatus anno, emitteret professionem ; interim non uteretur matrimonio nec illud consummaret; pro quo effectu renuntiabat *omni iuri* quod sibi competere posset in personam Ludovici cum ulteriori declaratione, quod in hypothesi in qua aliqua ex hisce conditionibus non adimpleretur, matrimonium perinde se haberet, ac si numquam contractum fuisset. Haec mutua intelligentia fuit in scriptis redacta et parocho ac testibus communicata. Paulo post ad matrimonii celebrationem deventum fuit, ita ut moraliter certum esset hanc conventionem non fuisse revocatam. Proposito dubio: « An matrimonium sit nullum in casu » S. C. reposuit: « Ex hactenus deductis matrimonium esse nullum in casu ». [1]

[1] Vide Benedictum XIV, qui munere Secretarii S. C. C. tunc fungebatur, in *Quaest. can.*, 383, in qua praecise refert hanc causam et erudite admodum discutit, nec non *De Syn.*, lib. XIII, cap. XXII, n. 10 seq.

900. Si vero contrahens ea conditione intendit exercitium tantum iuris matrimonialis, salvo ipso iure, excludere, subdistinguendum est. Nam si conditio est de servanda castitate ad tempus e. g.: *Dummodo castitatem servemus per tres annos*, vel *post alterum filium*, vel *feria sexta singulis hebdomadis*... omnes admittunt matrimonium valere, quia ius potest utique temporanee ab eius exercitio separari, et matrimonium in iure consistit. Si e contrario conditio est de servanda castitate in perpetuum, non levis est DD. controversia, an matrimonium valeat, necne. Quaestio huc redire debet: an ea conditione reipsa ipsum ius excludatur; si affirmative, matrimonium est nullum; si negative, matrimonium valet. Ut patet haec quaestio non respicit simplex propositum aut votum servandi castitatem, imo nec pactum de servanda castitate additum per secundariam stipulationem veri *modi* (n. 85): haec enim per se non excludunt matrimonii validitatem; sed respicit pactum de servanda castitate appositum et acceptatum per conditionem proprie dictam.

901. Iam vero plures, praesertim inter recentiores, negant. [1] Nam aiunt: 1º Exercitium iuris ab ipso iure distinguitur, ideoque nil vetat quominus, sicut ad tempus, ita et in perpetuum tum statim post matrimonium, quod omnes admittunt, tum ante matrimonium separentur; quod fit ea conditione. 2º Revera plures sanctae foeminae matrimonium contraxere ligatae voto castitatis, e. g., S. Pulcheria, quae « salva, quam Deo voverat, virginitate, coniugem (Marcianum Augustum) sibi delegit » ut legimus in Breviario; et ipsa B. Maria V., [2] et etiam S. Ioseph, ut pie creditur. Debuerunt igitur pactum de servanda castitate addere, ne sese exponerent periculo violandi votum; imo citata verba lectionis S. Pulcheriae hoc pactum expresse indicare videntur: et tamen eorum matrimonium validum fuit. 3º Demum verba Gregorii IX. l. c., necesse non est ut ad hunc casum extendamus.

---

[1] Palmieri, *De matr.*, pag. 17; Ballerini ad Gury, tom. II, n. 752; Lehmkuhl, vol. II, n. 690.

[2] Benedictus XIV, *De festis B. M. V.*

902. Plerique affirmant;[1] quia alia pars ea conditione numquam haberet potestatem utendi corpore alterius: atqui ius est potestas utendi. Ad rem Benedictus XIV, l. c.: «Matrimonii substantiae non repugnat matrimonio non uti, sed uti non posse». Hinc Gregorius IX tradit esse contra substantiam conditionem: *Si generationem prolis evites*, in genere ideoque et in sensu honesto. S. Pulcheria, si revera illud pactum addidit, nulliter contraxit; B. Maria V. autem et S. Ioseph, licet ligati voto castitatis, hanc conditionem, ineuntes matrimonium, non apposuerunt, quin tamen sese exponerent periculo violandi votum: quod explicat S. Thomas verbis relatis n. 24.

903. Nobis magis arridet prima sententia. Coniux enim hac conventione utique amittit ius morale utendi corpore alterius, non autem ius iuridicum, radicale, ut aiunt, in quo proprie matrimoniale vinculum consistit (n. 6). Neque dicas hoc ius esse inutile et iners, si coniux eodem nunquam uti potest; nam id falsum esse sequentes animadversiones ostendunt. In primis hoc iure ceteri omnes excluduntur; hinc copula cum tertia persona est adulterium. Insuper conventio mutua mutuo consensu auferri potest, et consequenter usus matrimonii licitus evadit. Tandem vir, vi metuve mulierem ad copulam adigens, fornicationem non committit, sed solum contra fidem datam peccat, quod est minus grave.[2] Atque ita solvitur argumentum fundamentale oppositum. Nec necesse est ut Gregorium IX, l. c., de hoc casu intelligamus. Matrimonium autem S. Pulcheriae non videtur dici posse nullum, cum Ecclesia eam hac de re laudet.

904. Stante hac controversia, in praxi si agatur de matrimonio contrahendo non permittatur cum illa conditione; si de contracto, interim matrimonio favendum, donec S. Sedes aliud declaraverit. Ceterum propter favorem matrimonii praesumitur contrahentes conditione de servanda castitate voluisse

---

[1] Benedictus XIV, *De Syn.*, l. c., n. 10 seq.; Schmalz., l. c., n. 119 seq.; S. Thomas, 4 dist. 30 q. 2, a. 1, et q. ad 2um; Sanchez, lib. V, disp. X, n. 1 seq.; D'Annibale, p. III, § 443 not. 4.

[2] Lehmkuhl, l. c.

exercitium tantum iuris matrimonialis excludere, praesertim si conditio sit de servanda castitate ad tempus.

905. Sunt pariter contra bonum prolis conditiones: *Dummodo debitum non petas*, vel: *Debitum reddere non tenear*, vel: *Soboles futura enecetur*, vel: *Sumas venena sterilitatis.* De iis igitur repetenda sunt, quae supra diximus. At non foret contra substantiam conditio: *Dummodo prolem orphanotrophiis exponamus*, vel: *Eam proprio lacte non nutriam*, vel: *Eam educemus in iudaismo.* Plures censent[1] esse contra substantiam matrimonii conditionem de non cohabitando in perpetuum; sed si ius matrimoniale utrique parti sartum tectumque sit, non putamus hanc doctrinam veram esse, quia communio habitationis, tori et mensae non pertinent ad substantiam matrimonii; et revera nonnunquam matrimonium conscientiae cum hac tacita vel expressa conditione permittitur (n. 1052 seq.).

906. Nunc de conditionibus contra *essentiales matrimonii proprietates.* Contra *unitatem* est conditio: *Dummodo mihi liceat aliam assumere*; contra *fidelitatem* coniugalem: *Si pro quaestu adulterandam te tradas*, de qua Gregorius IX, l. c.; contra *perpetuitatem*, praeter illam Gregorii IX, l. c.: *Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem*, frequentior est: *Si fidelitatem servaveris*, vel: *Si adulterium non perpetraveris.* S. C. C. in *Eystadiensi, Matrimonii*, 21 iunii 1732, nullum declaravit matrimonium ex conditione addita solubilitatis in casu, quo uxor maritum sequi nollet in patriam suam revertentem, et religionem orthodoxam amplecti. Conditio quae in corruptis populorum moribus saepe apponitur: *dummodo post primum vel alterum filium prolem evitemus*, est contra perpetuitatem, si coniux intendit ipsum matrimoniale ius tradere-acceptare temporaneum, idest usque ad primum vel alterum filium; non est contra perpetuitatem si coniux ius matrimoniale vult tradere-acceptare perpetuum, sed post primum vel alterum filium eodem abuti (n. 898). Iam vero ex dictis apparet conditionem contra aliquam ex essentialibus

[1] Schmalz., l. c., n. 124; Sanchez, l. c., n. 5.

matrimonii proprietatibus matrimonialem consensum evertere ideoque matrimonium irritare (can. 1081 § 2; et supra n. 776).

907. Non esset contra essentiales matrimonii proprietates (can. 1013 § 2; cf. supra n. 30), sed esset contra rationem Sacramenti conditio: *Contraho tecum, sed nolo Sacramentum et, si Sacramentum fieret, tunc nolo matrimonium.* Cum enim «inter baptizatos nequeat matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso Sacramentum» (can. 1012 § 2), sequitur exclusa, per proprie dictam conditionem, ut supra, ratione Sacramenti, ipsum matrimonium excludi necesse est, quod proinde invalidum erit ex defectu consensus; illa autem conditio non praesumitur, sed expresse probanda est.

908. Modo nonnullas instructiones SS. CC. RR. adducimus, quibus declaratur quandonam nullitas matrimonii ob conditionem contrariam perpetuitati satis probata pro foro externo dici queat.

909. S. C. S. Officii, fer. V, die 6 apr. 1843, dedit instructionem ad Vicarium Apost. Oceaniae in exsecutionem decreti lati a Gregorio XVI, in qua ad rem nostram haec leguntur: «Certum est matrimonium, contractum cum conditione ipsius substantiae et nominatim ipsius indissolubilitati repugnante, nullum esse, ut habetur ex *cap. Si conditiones, De conditionibus*... Iam vero non paucae formulae a protestantibus adhibitae illa conditione irritante contaminatae sunt, in quibus expressis verbis inhaeret haec conditio: *Contraho tecum, donec in fidelitate permanseris.* Imo eadem voluntas aliquando satis aperte factis exprimitur, vel verbis simul et factis, dum verba vel facta interpretatur ipse usus vel consuetudo illorum locorum, ita ut abfuisse intelligatur consensus in contractum perpetuum et indissolubilem.

«Tametsi autem dubitandum non sit, quin validum matrimonium contrahi possit cum errore mere concomitanti circa eius indissolubilitatem, quia tunc praevalet generalis voluntas contrahendi matrimonium iuxta institutionem Christi, et generalis illa voluntas privatum errorem quodammodo absorbet; attamen ubi adhibetur formula cum explicita vel implicita illa conditione, iam fieri nequit, ut particularis error absorptus

maneat a generali voluntate contrahendi iuxta institutionem Christi.

« Inter formulas, conditione irritante vitiatas, non postremum locum tenet ea, quae *Transilvanica* dicitur, quaque Calvinistae in Transilvania et pluribus aliis locis utuntur. Substantia huius formulae (tametsi quoad accidentalia nonnihil variare possit), in eo consistit. Minister Protestans ad contracturos dicit: *Audite S. Evangelium.* Deinde legit eis, Matth., XIX, v. 9..., quo textu ipsi abutuntur ad stabiliendos suos errores, et contracturi, qui eisdem erroribus participant, admonentur de restringendo consensu. Post consensum utrinque editum, perdurante eodem ritu, ab ipsis iuramentum exigitur, in quo sibi mutuo promittunt fidelitatem, quoadusque altera pars in honestate perstiterit. Pariter vitiata esset formula, si minister pro textu Matth., XIX, adhiberet alium, v. g., Matth., V, v. 32..., vel *ad Hebr.*, XIII, v. 4..., quibus pariter illi abutuntur ad eumdem finem; maxime si tunc, prout apud illos fieri solet, minister instructionem vel sermonem ad contracturos habeat de mutuis coniugum officiis, inter quae illud etiam numerat de unione servanda, donec altera pars in adulterium non labatur: ac denique solum iuramentum, ut supra, emissum in ipso ritu contractus sufficit ad matrimonium irritandum.

« Circa alias formulas ita pariter statuendum, si vel explicite vel implicite conditionem contineant matrimonii substantiae repugnantem. Praeterea cum vel ex precibus, vel ex adhortatione, quae aliquando praemittitur, aliquando postponitur formulae, vel ex mutuis promissionibus contrahentium, aliquod vitium irritans emergere possit, etiam ad caeremonias huiusmodi attendendum est: nam plerumque formula iuramenti et promissiones mutuae aequivalent apud ipsos pactioni huiusmodi, quod scilicet violatio illorum inducat respective cessationem et iurium et obligationum inter coniuges, proindeque rescissionem matrimonialis vinculi. Ex his omnibus et etiam ex adiunctis loci circumstantiis. ab eo qui in iis praesens sit, facile dignosci poterit quaenam sit prava coniugum intentio ».

910. Eadem S. C. fer. IV, die 9 dec. 1874, dedit instructionem ad Episcopum S. Alberti in Canada super dubiis de re matrimoniali propositis, quorum praecipuum respiciebat matrimonia infidelium, qui theoretice et practice divortium admittebant. Ait vero: « Quod autem matrimonia hac conditione vitientur, deducitur in universum ex formula, qua ad nuptias consentitur, vel ex adiunctis proximis, vel ex adiunctis remotis... Adiuncta remota interdum huiusmodi sunt, ut de matrimonii nullitate vix dubitari sinant: puta si constans vigeret et generalis consuetudo permutandi vel prostituendi uxorem, certa redeunte falsorum numinum sollemnitate, gravissima subesset causa, quare supponi posset barbaros generatim in matrimonio copulando pacisci saltem tacite conditionem aliquam eius bonis repugnantem ».

911. Tandem eadem S. C., die 24 ian. 1877, dedit instructionem ad Episcopum Nesquallien. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, in qua docet investigationem in singulis casibus faciendam esse, ita ut nequeat quacumque generali praesumptione suppleri; de qua investigatione haec habet: « Quoad ultimum denique dubitandi caput, omni diligentia et sollertia investigandum erit utrum conditio contraria perpetuitati et indissolubilitati vinculi coniugalis aliqua ratione directe vel indirecte, explicite vel implicite in pactum fuerit a contrahentibus deducta, seu utrum matrimonium fuerit contractum cum prava voluntate non consentiendi in vinculum perpetuum.

« Ad hoc cognoscendum non solum consideranda erunt verba quibus consensus fuit expressus, sed etiam ponderanda erunt facta, quae ipsam consensus expressionem, vel modum eiusdem expressionis respicere possunt. Quae si talia fuerint, et usus et consuetudo istorum locorum ea interpretentur tamquam praedictae conditionis irritantis inductiva, pronum erit inferre defuisse consensum in contractum perpetuum et omnino indissolubilem.

« Similiter considerandae et examinandae erunt formulae, quibus in istis regionibus uti solent haeretici dum ritum nuptialem exercent. Etenim illae haereticorum formulae, in qui-

bus inserta invenientur ea SS. Scripturarum testimonia, quibus iidem haeretici abutuntur ad proprium errorem tuendum et propugnandum de dissolubilitate vinculi coniugalis, qualia sunt illud quod habetur apud S. Matth., XIX, 9... et aliud apud eumdem Evangelistam, V, 32..., interdum merito censentur conditionem irritantem continere.

« Quod magis etiam manifestum apparebit, si in praedictis formulis, post expressum consensum, sed eodem ritu perdurante, a contrahentibus exigatur iuramentum de fidelitate servanda cum conditione: *Quousque altera pars in fidelitate perstiterit*; quia, habita ratione erroris, quem profitentur haeretici, nomine fidelitatis non potest venire, nisi permanentia in vinculo contracto.

« Praeterea cum ex precibus vel ex adhortatione, quae aliquando praemittitur, aliquando postponitur formulae, vel ex mutuis promissionibus contrahentium, aliquod vitium irritans emergere possit, etiam ad caeremonias huiusmodi erit attendendum. Nam plerumque formula iuramenti et mutuae promissiones aequivalere possunt pacto, quod scilicet eorumdem violatio inducat cessationem iurium et obligationum inter coniuges, et consequenter rescissionem vinculi matrimonialis.

« Neque praetermittenda erit accurata consideratio morum et consuetudinum in illis regionibus vigentium inter haereticos quoad eorum matrimonium. Quamvis enim factum inter ipsos haereticos commune, ut asseris, de rescissione matrimoniorum propter adulterium vel ob alias causas etiam levioris momenti, non impediat quominus matrimonium legitimo modo contrahatur in actu celebrationis, vel voluntas adfuerit consentiendi in vinculum perpetuum et indissolubile; tamen fieri potest, ut talis adsit communis et fere universalis persuasio, vi cuius retineatur matrimonium contractum, nonnisi temporaneum et conditionatum esse, neque aliter nisi sub hac ratione contrahatur. Unde fit ut accurata consideratio morum et consuetudinum regionis multam afferre possit lucem ad veram voluntatem contrahentium cognoscendam.

« Ex hisce omnibus, et etiam ex adiunctis circumstantiis sive loci sive personarum non omnino difficile erit, praesertim

ab iis qui praesentes sunt, dignoscere quaenam fuerit contrahentium intentio, quando matrimonialem contractum concluserunt et consensum praestiterunt. Fiant ergo in singulis casibus accuratae investigationes, utrum praesertim aliqua conditio contra matrimonii substantiam fuerit expresse in pactum inter contrahentes deducta, vel saltem emergant indicia, argumenta et praesumptiones, habito quoque respectu moribus regionis, ut coram ministro protestante contrahant, ea praecipue voluntate, ut, dissoluto iuxta protestantium praxim matrimonio, ad alia vota transeant; ex quibus omnibus deprehendatur certam contrahentium voluntatem eam esse, ut nonnisi conditionate matrimonium contrahere intendant ».[1]

912. Haec igitur prae oculis habere debet iudex in huiusmodi controversiis. His adde quae De Lugo, *De Sacram. in gen.*, disp. VIII, n. 130, docet cum aliis: « Quod si hic animus fuit in utroque coniuge, ex utriusque confessione constabit sufficienter ut matrimonium possit declarari nullum etiam in foro externo, ut docet Sanchez, lib. II, disp. XLV, n. 12, nisi esset collusionis praesumptio. Si autem fuit in solo uno, sufficiet ipsi in foro interno, imo sufficiet etiam alteri coniugi, si concurrant rationes probabiles ad existimandum ipsum non mentiri, ut docet Sanchez, l. c., n. 4 ».[2]

913. Doctrinam hactenus expositam de nullitate matrimonii ob appositam conditionem contra substantiam et nominatim contra perpetuitatem vinculi matrimonialis, applicavit S. Rom. Rota in *Westmonasterien., Matrimonii*, die 11 apr. 1927. Nam G., viduus, filios habens ex praecedenti matrimonio, an. 1913, vidit, amavit et in uxorem petiit B. Haec matrimonium cum G., quem parum amabat, tandem inire consentit, sibi reservato iure petendi divortium non solum quoad torum et cohabitationem, sed quoad ipsum vinculum, si animorum concordia, durante matrimonio, cessaret; et G. acceptavit. Post paucos annos vitae coniugalis, coniuges de communi vita pertaesi, ab invicem discesserunt; et B. petiit et obtinuit a civili

[1] Coll. de Prop. Fide, n. 1465.

[2] Vide etiam Ballerini et Gury, tom. II, n. 752.

auctoritate divortium, et ad alia vota transivit. Tunc G. suum cum B. matrimonium apud Westmonasteriensem Curiam accusavit ex defectu consensus ob conditionem appositam contra matrimonii substantiam; et sententia prodiit qua de matrimonii nullitate constare declaratum fuit. Ab hac sententia, prout de iure, Westmonasteriensis defensor vinculi appellavit ad S. Rom. Rotam; quae, cum ex actis et probatis constaret de pacto hinc inde acceptato contra vinculi matrimonialis perpetuitatem, ad dubium: «An constet de matrimonii nullitate, in casu», reposuit: «Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate». In *Neo-Eboracensi, Nullitatis matrimonii*, de matrimonii nullitate ob idem motivum actum fuit in triplici instantia, obtenta a Sede Apostolica necessaria licentia, apud S. Rom. Rotam; in prima diei 9 decembris 1911 sententia fuit pro validitate matrimonii; in altera diei 1 martii 1913, pro nullitate; in tertia diei 17 aprilis 1915, pro validitate.

§ 3. - *De conditione de futuro licita.*

914. Conditio de eventu futuro licita; e. g., *Si sententia iudicis erit mihi favorabilis*; vel: *Si pater meus consenserit*, matrimonii valorem suspendit, ut tradit rel. can. 1092 n. 3°,[1] licet ab una tantum parte consensui fuerit apposita, et alteri parti incognita, dummodo non fuerit revocata ante matrimonii celebrationem.

Haec conditio apponi potest ante matrimonii celebrationem, e. g., si vir, antequam partes ad ecclesiam accedant, dicat mulieri: *Ego matrimonium tecum contraham, sed si sententia iudicis non erit mihi favorabilis, nolo matrimonium inire.* Hoc in casu concludenter pro foro externo probari debet conditionis appositio, secus non est admittenda; et probata conditionis appositione, constare debet de eius non revocatione; parochus autem, si hanc conditionatam volunta-

[1] Ita etiam in c. 5, X, *De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus*, IV, 5. Cf. Sanchez, lib. VI, disp. VIII, n. 5; Schmalz., lib. IV, tit. IV, n. 28; De Lugo, *De iust. et iure*, disp. XXII, n. 393.

tem utriusque vel unius partis scire potuit, rem deferat ad Episcopum, qui, saltem ordinarie, matrimonium ne permittat ante verificatam conditionem.[1] Sed haec conditio, absolute loquendo, apponi etiam potest in ipsa matrimonii celebratione; si enim vir, qui primus interrogatur, consensum exprimit conditionatum, parochus matrimonii celebrationem suspendet, uti supra; sed si vir consensum exprimit absolutum et deinde mulier interrogata suo consensui addit conditionem, matrimonium iam celebratum est sub conditione suspensiva, nisi vir consensum suum revocaverit. Videamus quid iuris in casu appositae huius suspensivae conditionis.

915. In casu appositae suspensivae conditionis matrimonium non est nullum, sed eius valor in suspenso est (rel. can. 1092 n. 3°), sicuti in suspenso est matrimonialis consensus, illi conditioni alligatus. Hinc peccant qui tale conditionatum matrimonium contrahunt et, illo contracto, cum non sint adhuc veri coniuges, omnes actus coniugatis liciti solutisque prohibiti, ipsis vetantur et praesertim copula: et haec est ratio potissima ob quam tale conditionatum matrimonium permitti ordinarie non debet. Multo gravius peccat qui, inscia altera parte, conditioni suum consensum alligat, quia ipsam decipit, quae et putat et vult statim contrahere verum validumque matrimonium ab ipso celebrationis momento. Pars quae conditionem apposuit, tenetur exspectare, quia haec obligatio est intrinseca ideoque peccat aliud matrimonium pure contrahens, sed hoc matrimonium forte initum valeret. Imo pars tenetur curare verificationem conditionis,[2] aut certe debet eam non impedire. Ex his apparet matrimonium et in genere quemlibet contractum sub suspensiva conditione initum nec omnino nullum esse nec omnino completum: unde haec conditio nec vitiatur nec vitiat, ut dici solet.

916. Non verificata conditione, e. g., *Si sententia iudicis fuit contraria*, aut: *Si parentes dissenserint*, quavis de causa, culpabili vel inculpabili, conditio non verificetur, matrimonium

[1] Rosset, op. cit., n. 179; Wernz-Vidal, op. cit., n. 515.
[2] Sanchez, lib. V, disp. V, n. 36; De Lugo, l. c., n. 383.

corruit, deficiente consensu, ut patet. « In iure civili, ait Ulpianus, l. 161 ff. *De regulis iuris*, receptum est quoties per eum cuius interest conditionem non impleri, fiat quominus impleatur, perinde haberi ac si impleta conditio fuisset ». Sed hoc principium applicari nequit matrimonio, quod, conditione quacumque de causa non verificata, validum esse nequit, deficiente consensu. Huc spectat responsio S. Rom. Rotae in *Cameracensi, Matrimonii*, diei 11 aug. 1911, qua sacrum Tribunal nullum declaravit matrimonium ob conditionem a viro appositam excludentem certum morbum producentem foetorem corporalem ex parte mulieris, qui de facto aderat.

917. Verificata conditione ante matrimonii celebrationem, nil faciendum est, consensus enim iam est purus et partes possunt libere matrimonium inire in forma canonica, si aliud vitium vel impedimentum non supervenerit.

Demum verificata conditione post matrimonii celebrationem, valor matrimonii, qui erat in suspenso, quia in suspenso erat ipsemet consensus (n. 915), sicuti, adveniente conditione, consensus purus evadit, ita et consequenter matrimonium ipso iure perficitur, quin necessaria sit consensus renovatio. Ad rem De Lugo, l. c., n. 386 in fine: « Prior consensus solum virtualiter perseverans, quamdiu non revocatur, sufficit ad matrimonii valorem adveniente conditione quae sola desiderabatur ». Haec doctrina, quae iure antiquo magis recepta erat et probata fuit a S. C. C. tempore S. Pii V et Clementis VIII, teste Fagnano, Comm., in cap. 5 *De conditionibus*... hodie post Codicis promulgationem certa omnino est. In hoc igitur casu matrimonium, licet per fictionem iuris retrotrahatur ad momentum celebrationis, reipsa tamen valet et fit Sacramentum momento verificationis, uti supra. Hinc contrahentes non peccant, si in actu coniugii sub tali conditione initi non sint in statu gratiae; peccant vero si in statu culpae lethalis sint, dum conditio verificatur, quia, ut diximus, tunc matrimonium perficitur et fit Sacramentum. [1]

[1] Cappello, op. cit., n. 638, n. 5. Hinc si momento verificationis conditionis pars in amentiam inciderit, matrimonium est nullum, licet tempore initi matrimonii esset sui compos.

Quod si in foro externo constiterit de conditionis appositione, in eodem foro externo constare debet de conditionis verificatione ad hoc ut de matrimonio perfecto legitima habeatur probatio; hinc partes de verificata conditione moneant parochum, qui id adnotare debet in libro matrimoniorum.

918. Haec vera undequaque non sunt, si partes, obstrictae aliquo impedimento dirimente, e. g., *disparitatis cultus*, matrimonium iniverunt addita conditione: *Si Papa dispensaverit.* Nam hoc in casu ante obtentam dispensationem matrimonium ob dirimens impedimentum est nullum et consensus est in suspenso; post obtentam dispensationem consensus iam est purus et dirimens impedimentum non amplius exsistit; hinc iure naturae applicanda essent quae n. 917 diximus, sed obstat positiva Ecclesiae dispositio. Nam Ecclesia constituit (can. 1133 et seq.) ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens (sicuti in casu nostro) requiri ut cesset vel dispensetur impedimentum *et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia.* Igitur in casu nostro matrimonium, obtenta dispensatione ab impedimento *disparitatis cultus*, non convalidatur, nisi consensum renovet saltem pars inpedimenti conscia. Mirum est nonnullos canonistas etiam magni nominis huius argumenti vim non admittere et denegare necessitatem in casu renovandi consensum ad matrimonium convalidandum.[1] Nos de cit. can. 1133 seq. rursus loquemur n. 1189 et seq. Quod si matrimonio obstabat impedimentum impediens, e. g., *mixtae religionis* et illud partes iniverunt cum conditione: *Si Papa dispensaverit*, matrimonium graviter illicitum fuit, uti patet, et eius valor erat in suspenso, sicuti in suspenso erat consensus conditioni alligatus; obtenta autem dispensatione, iam consensus est purus et matrimonium validum; restat igitur ut partes poenitentiam agant de matrimonio contracto ante obtentam pontificiam dispensationem et curent praestitas cautiones diligenter observare.

---

[1] Wernz-Vidal, op. cit., n. 515, not. 22; Cappello, op. cit., n. 640; e contrario et argumentum et necessitatem renovandi consensum admittit De Smet, op. cit., n. 153.

919. Fieri potest ut qui matrimonium sub conditione suspensiva contraxerunt iam velint illud inire pure et simpliciter, quin exspectent verificationem eventus; quaeritur num hoc matrimonium debeant in forma canonica celebrare. Si conditio apposita fuit in ipsa matrimonii celebratione coram parocho et testibus, responsio est negativa, sed partes moneant parochum de revocata conditione; idem repetatur si conditio ante matrimonii celebrationem ita apposita fuerit, ut appositio conditionis probari in foro externo possit; secus nil faciendum et partes laudem merentur a conditione recedentes. Cf. quae diximus n. 917.

920. Antequam manum a conditione de futuro contingenti licita amoveamus, quaeritur quandonam conditio: *Si parentes consenserint*, impleta dici debeat, ita ut matrimonium iam valeat. Respondemus valere matrimonium, si parentes, certiores facti, consenserint, licet postea dissenserint; non valere, si dissenserint, licet postea consenserint, ut verius docet Sanchez, lib. V, disp. VII, n. 8 seq. Uno consentiente et alio dissentiente, conditionem deficere, et ideo matrimonium non intelligi palam est. Si parentes neque consenserint, neque dissenserint conditio habetur pro impleta, quia sensus illius conditionis praesumitur et solet esse negativus: *Nisi parentes dissenserint*;[1] sed si contrahentes illa conditione intenderunt positivum parentum beneplacitum, conditio impleta non esset. Quod si parentes mortem iam obierint, « nostri diversi, sed verius videtur conditionem vitiari, sive contrahentes ignoraverint illos diem suum obiisse, quia mens eorum fuit non copulari, invitis parentibus, sive sciverint, quia conditio ioco adiecta intelligitur ». D'Annibale, l. c.

[1] Sanchez, lib. V, disp. VII, n. 11; Schmalz., lib. IV, tit. V, n. 50; D'Annibale, p. III, § 308, not. 32.

§ 4. - *De conditione de praesenti vel praeterito.*

921. Quaevis conditio de praesenti vel de praeterito, sive *impossibilis*[1] e. g.: *Contraho, si montem aureum pro dote habes*, sive *turpis*,[2] e. g.: *Contraho tecum, si fratrem tuum occidisti*, sive *honesta*, e. g.: *Contraho tecum, si sententia iudicis fuit mihi favorabilis; Si es virgo; Si es princeps*, revera non suspendit consensum; sed hic habetur, ideoque matrimonium statim valet ab initio, si conditio exsistit; non habetur ideoque matrimonium est ab initio nullum, si conditio non exsistit, licet apud nos adhuc incertum sit (rel. can. 1092 n. 4°). « Conditiones, quae ad praesens vel praeteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt, veluti, *Si Titius consul fuit*, vel, *Si Maevius vivit, dare spondes?* Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio; sin autem ita se habet, statim valet », uti habet § 6 *Inst. De V. O.* Et l. 37 ff. *De rebus creditis*: « Quae per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint ». Quamdiu vero ignoratur, an conditio exstet, necne, nefas est rei matrimoniali operam dare, quia periculo fornicationis coniuges sese exponerent.

Hoc autem valet sive conditio in ipso matrimonii actu posita sit, sive antea posita nec revocata (rel. can. 1092).

922. Si ante matrimonii celebrationem huiusmodi conditiones appositae fuerunt, in foro externo probandum est veram conditionem fuisse appositam et ante matrimonium non fuisse revocatam; quae probatio saepe eo difficilior evadit, quo conditio est levioris momenti, quia non praesumitur contrahens eidem vere et constanter alligavisse consensum, sed potius esse errorem qualitatis dantem causam contractui,

---

[1] Aliter ante Codicem ex cap. ult. *De conditionibus...* Cfr. Sanchez, lib. V, disp. IV, n. 73; Reiff., lib. IV, tit. V, n. 46.

[2] Ita etiam ante Codicem haud exclusis conditionibus contra substantiam. Cfr. Sanchez, lib. V, disp. XV, n. 5, 6 et 7. Schmalz., lib. IV, tit. V, n. 76 seq.; Barbosa in cit. cap. ult. *De conditionibus*, n. 8.

sed non irritantem (n. 794 seq.). Causae nullitatis matrimonii huius generis saepius naufragium faciunt ex defectu requisitae probationis in foro externo. Unum aliudve exemplum afferamus.

923. Die 22 sept. 1708, in S. C. C. sequens causa agitata fuit, cuius longior expositio ita legitur in S. C. regestis: « Inito matrimonio de mense aprili 1708 inter Carolum Antonium Santarellum et Caietanam Muschinam coram parocho et testibus in ecclesia parochiali S. Nicolai de Incoronatis, cuius nullum adhuc documentum fuit exhibitum, suborta fuit controversia super illius validitate ex eo quod persona viri alia esset, quam supposita fuisset mulieri. Hinc devoluta illius cognitione ad S. C., auditus fuit Emus Urbis Vicarius, cuius iussu subiecta iurato examini in Conservatorio Clementiae Caietana haec recensuit: quod nempe sibi fuerit ab initio propositum dictum matrimonium a proprio eius genitore, praefecto domus DD. de Incoronatis, cum eo supposito, quod praefatus sponsus filius esset Gubernatoris Acumuli, haberetque pecudes et praedia multa, ac proinde ipsa sponsa nunquam aliter in eum se consensuram enixis et reiteratis protestationibus declaraverit, quam si vere propositis qualitatibus foret is praeditus; sicque, praeviis diligentiis habitis ab eodem genitore super qualitatibus Caroli Santarelli, medici in Urbe, conditione et facultatibus instructi, cum tali praesupposito fuerint stipulata capitula matrimonialia, ac subinde celebratum matrimonium in facie Ecclesiae; quamvis vero in actu eius celebrationis absque ulla conditione consensum praestiterit, in corde tamen eadem subdit huiusmodi consensum dedisse sub ea conditione, quod sponsus vere esset praeconceptis qualitatibus decoratus; quodque prae timore patris, extra modum urgentis pro effectuatione matrimonii, id palam non explicuerit, *etsi proprio parocho in actu explorationis voluntatis, aliisque personis* hanc suam conditionatam intentionem saepius patefecerit, ac fuerit protestata; quodque deinde, consummato matrimonio in domo patris ipsius mulieris, eaque praegnante reddita, post mensem circiter detectum fuerit, quod Carolus Antonius minime esset filius Gubernatoris Acumuli,

sed ex quodam Victorio progenitus, fortunae bonis destitutus; proptereaque eiectus fuit a praefata domo, et coacta fuerit ipsa Caietana invita ad quamdam domum a viro conductam sese transferre, exindeque paucis post diebus ad domum genitoris eiusdem viri perduci, quo tempore Carolo Antonio extra Urbem abeunti, ipsa sponsa ad pacandas personas mox dictae domus, ne in suspicionem fugae ab ea intentae adducerentur, epistolam maritali amore conspersam conscripserit; indeque post tres dies aufugerit, et ad mansiones paternas in aedibus DD. de Incoronatis remeaverit, a qua, traducta subinde ad d. Conservatorium de Clementia, paulo post easdem paternas mansiones repetierit; quodque inter haec consultus P. Alfarus theologus S. Poenitentiariae, pro matrimonii nullitate responderit, nec non quod Caietana non teneretur illud ratificare... Ipse vero Emus Vicarius tam circa praefatam dispositionem sponsae, quam circa binas depositiones iuratas duorum correligiosorum Ordinis Reformatorum S. Francisci testificantium de supra allata sponsae voluntate conditionata ante matrimonium contractum, nonnulla excitat motiva: inverosimile nempe sibi videri putat, quod Caietana ante matrimonii celebrationem tam enixas protestationes de persona futuri sponsi peregerit, quas tamen parocho exploranti eius voluntatem nullimode aperuit, quemadmodum in libertate posita bene poterat, uti constare subdit ex parochi testimonio, cuius tamen non apparet examen nec attestatio; quodque, detecto praetenso errore, adhuc eadem cum sponso cohabitaverit, et cum eo sese immiscuerit; quod insuper nulla sit ratio habenda consultationis theologi S. Poenitentiariae, qui, haud servatis servandis, sed iuxta casus propositionem consilium praebuerit, multoque minus attendenda contrahentium dicta, et (frustra) procurata coniugii ratificatio post illud contractum et consummatum, eo quod in hac sit spectandum initium, seu tempus celebrati contractus ... Non dedignentur itaque EE. PP., attentis his et aliis, quae hinc inde adducuntur, resolvere dubium: « An constet de validitate matrimonii in casu ». S. C., causa discussa die 17 nov. 1708, reposuit: *Affirmative, et amplius.* Scilicet S. C. censuit probatum non esse in foro externo

veram conditionem fuisse appositam, eamque usque ad matrimonii actum perseveravisse.[1]

924. E contrario, Pontius, *De matr.*, lib. IV, cap. XXI, n. 13. haec habet: « Ego obtinui in quadam causa matrimoniali ut ex errore in qualitate nobilitatis dissolveretur matrimonium. Saepe enim multo antea et proxime etiam ante matrimonii celebrationem explicuerat foemina se quidvis passuram et mortem sibi illaturam potius, quam cum illo contrahere, si Iudaeorum sanguine infectus erat. Unde cum in viro defectus nobilitatis manifestus esset, matrimonium declaratum est nullum, et huic sententiae subscripserunt apud Salmanticenses, Vallisoletanos, Toletanos, Complutenses, et Matritenses viri ex theologia et iurisprudentia doctissimi complures, et in Regis Curia fere omnes iuris consulti». Supponitur impedimentum *disparitatis cultus* abesse: quia secus nulla poterat esse dubitatio.

925. Coronidis loco, Codex in fine cap. V, *De consensu matrimoniali*, ponit hunc can. 1093: « Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit »: quod principium inservit pro eiusdem matrimonii sanatione in radice, de qua fusius infra.

---

[1] Vide etiam *Novariensem, Matrimonii*, 24 febr. 1720.

CAPUT V.

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII [1]

926. Personae habiles, consensum internum habentes, ut matrimonium habeatur, illum manifestare debent in forma praescripta, idest cum illis sollemnitatibus quas Ecclesia in matrimonio ineundo praescribit (n. 205). Iam vero sollemnitates ab Ecclesia praescriptae sunt ut matrimonium celebretur: 1º coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus; 2º cum caeremoniis quas habet *Rituale Romanum* et, si possibile sit, cum Missa votiva *pro sponso et sponsa* adnexaque benedictione quae habetur in *Missali* (n. 1031). Sollemnitates, de quibus sub n. 1º, constituunt *formam substantialem*, quia, iis omissis, matrimonium foret invalidum; ceterae vero sub n. 2º, *formam accidentalem*, quia matrimonium sine his illicitum quidem, sed validum foret. Sollemnitates Ritualis ac Missalis audiunt *ritus nuptiarum*.

927. In distinctis articulis loquemur in primis de forma substantiali celebrationis matrimonii, deinde de accidentali seu de ritu nuptiarum.

Articulus I.

De forma substantiali celebrationis matrimonii.

928. Matrimonia clandestina absque ullius testis aut qualificati aut simplicis praesentia, valida et licita esse iure divino seu naturali seu positivo, quamdiu Ecclesia ea irrita aut illicita non reddiderit, evidens est.

---

[1] Inscriptio huius capitis in Codicis schemate erat: *De matrimonii forma*; P. Palmieri proposuit et obtinuit ut hoc caput inscriberetur: *De forma celebrationis matrimonii*. Ita ex actis praeparatoriis ad Codicem.

929. Ante Decretum *Tametsi*, a Concilio Tridentino promulgatum, matrimonium sine benedictione sacerdotis erat quidem validum, sed illicitum; Ecclesia enim quovis tempore praecepit ut fideles matrimonium inirent publice in ecclesia cum benedictione sacerdotis, sive ob gravissima mala quae ex clandestinis coniugiis, attenta hominum malitia, oriri solent, sive quia cum matrimonium christianum sit Sacramentum, conveniens omnino est ut in ecclesia celebretur cum benedictione sacerdotis ac sacris ritibus, quibus uberior Dei gratia super coniuges invocetur. Utrum vero Ecclesia matrimonium sine benedictione sacerdotis irritum ullo unquam tempore ante Conc. Trid. habuerit, « quaestio est de qua secum contenderunt eiusdem Conc. Trid. Patres, ut videre est apud Card. Pallavicini in *Hist. Conc. Trid.*, lib. XXII, cap. IV »; ita Ben. XIV, *De Syn.*, lib. VII, cap. IX, n. 4, qui inclinat in validitatem coniugiorum absque praesentia sacerdotis ante Concilium Tridentinum.[1]

930. Ut malis occurreret, quae ex clandestinis coniugiis oriri solent, Concilium Tridentinum voluit matrimonium ita celebrari ut de eius celebratione nullo modo dubitari posset. Proinde statuit non solum illicitum, sed etiam nullum esse matrimonium, nisi celebretur coram parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus testibus. In Decreto enim *Tametsi*, Conc. Trid., sess. XXIV, *De ref. matrim.*, c. 1, in primis renovat et complet legem de denuntiationibus seu publicationibus a proprio contrahentium parocho faciendis, ac dein statuit:

« Qui aliter quam praesente parocho (nempe *proprio* contrahentium), vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem, qui cum

---

[1] Cf. P. Wernz, op. cit., n. 141 seq., ubi magna eruditione exponit Ecclesiae disciplinam circa formam nuptiarum ante Decretum *Tametsi*.

minore testium numero, et testes qui sine parocho et sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. Praeterea eadem S. Synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam nisi ab ipso parocho, vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse: quacumque consuetudine, etiam immemoriali, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante.

« Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.

« Habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

« Postremo S. Synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur et ad Ssmae Eucharistiae Sacramentum accedant.

« Si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri S. Synodus vehementer optat.

« Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecipit ut cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis: idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae promulgationis in eadem parochia factae numerandos ».

931. Hoc decreto Concilium quam plurima mala quae ex clandestinis coniugiis oriebantur correxit, sed simul multis

gravissimisque difficultatibus ianuam aperuit, praescribens promulgationem decreti faciendam in singulis paroeciis. Exinde enim evenit ut in nonnullis paroeciis decretum promulgatum fuerit, non vero in aliis, in quibusdam de eius promulgatione aut revocatione vehementer dubitaretur et ob faciles hominum transmigrationes saepissime exsurgerent dubia de domicilio aut quasi-domicilio; hinc plurima dubia de matrimoniorum validitate et frequentes matrimoniales causae. Ob has difficultates eliminandas S. C. C. decretum *Ne temere*, die 2 aug. 1907, edidit, quod tamen vim coepit habere die Paschatis anni sequentis 1908, quodque relatum est in fine huius Tractatus sub Alleg. VIII. Opportunissimo hoc decreto pro tota Ecclesia promulgato, S. C. reformationem canonicae disciplinae de matrimonii forma, quam iamdiu communia vota postulabant, perfecit, non tam aliquid de novo inducendo, quam reducendo legem tridentinam ad suam pristinam et genuinam significationem. Hoc decretum *Ne temere* Codex recepit, paucis opportune additis vel immutatis.

932. Historia Concilii Tridentini aperte tradit, ex eiusdem Concilii mente, sacerdotem qui matrimonio assistit, esse quidem ministrum ritus religiosi accidentalis, qui comitari solet contractum matrimonialem, sed non esse ministrum ipsius contractus et Sacramenti, nec, dum assistit, exercere ullam potestatem ordinis aut iurisdictionis, sed assistere tamquam testem qualificatum seu *auctorizabilem*, ut aiunt, pro Ecclesia, idest testem, cui Ecclesia fidem habet,[1] ad eum modum quo praesentia notarii et testium pro validitate nonnullorum actuum in materia civili requiritur; et sicut notarius est testis auctorizabilis pro auctoritate civili, ita sacerdos pro Ecclesia in re matrimoniali; imo Card. Pallavicino, op. cit., lib. XXII, cap. VIII, n. 16, 17, narrat Concilium inter scribam (notarium) et sacerdotem nonnisi post ventilatas rationes iure meritoque selegisse parochum uti suum testem auctorizabilem.

[1] Cf. Card. Pallavicino, *Historia Concilii Tridentini*, lib. XXII, cap. IV, n. 3 et n. 12; Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. XIII, cap XXIII, n. 6.

Porro hanc doctrinam valere etiam post Concilium in actuali Codicis disciplina, palam est.[1]

Iam ad canonum de forma celebrationis matrimonii explanationem accedimus.

§ 1. - *Personae quarum praesentia substantialem formam celebrationis matrimonii constituit.*

Can. 1094. - Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099.

I. - **Parochus vel loci Ordinarius.**

1. - *Parochus.*

933. Ad parochum quod attinet, ita statuitur in can. 451:

« § 1. Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda;

« § 2. Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt:

« 1°. Quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in can. 216 § 3;

« 2°. Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti;

« § 3. Circa militum cappellanos sive maiores sive minores, standum peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis ».

Necesse est ut aliquantisper immoremur circa § 2 n. 2° relati canonis, qui de vicariis paroecialibus agit.

---

[1] In ipso Conc. Trid. cum de huiusmodi forma introducenda ageretur, nonnulli obiecerunt Concilium non posse illam ferre, quia Ecclesiae nulla est potestas in materiam Sacramentorum et materiam aptam ipsa Ecclesia nequit declarare ineptam quoad validitatem. Hanc obiectionem solvimus supra n. 227.

934. Vicarii duplici modo in paroecia constitui possunt et de facto constituuntur: 1° ita ut plena potestate paroeciali praediti sint; 2° ita ut plenam potestatem paroecialem non habeant, sed parochum adiuvent in munere quod eis committitur aut in universo paroeciali ministerio ad nutum parochi. Vicarii primo modo constituti « parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt » rel. can. 451 § 2; ideoque possunt, iure proprio, valide et licite assistere matrimoniis quae in paroecia celebrantur. Non item vicarii altero modo constituti, qui sunt potius *parochorum cooperatores*, quia parochis in ministerio paroeciali cooperantur.

935. Haec clariora erunt, si breviter recolamus Codicis canones *de vicariis paroecialibus*, iurisque praescripta in aliis casibus. Scilicet:

1° *Vicarius qui actualem curam animarum* gerit in paroecia personae morali adnexa plenam habet paroecialem potestatem, ex can. 471 § 4.

2° Item *vicarius oeconomus* qui paroeciam regit tempore vacationis; de quo in can. 473.

3° Item *vicarius substitutus* parocho absenti vel parocho beneficio privato et Sanctam Sedem adeunti, de quo in can. 474, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint.

4° Item *vicarius adiutor* parochi, qui ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve permanentem causam suis muniis rite obeundis impar evaserit, si eius vicem in omnibus suppleat; secus eius iura et obligationes desumantur ex litteris deputationis, ex can. 475 § 2.

5° *Vicarius parochi cooperator* qui nempe parocho datur, qui propter populi multitudinem aliamve causam nequeat, iudicio Episcopi, solus convenientem curam gerere animarum (can. 476), in uno casu, ni fallimur, constitui potest cum plena potestate paroeciali, si nempe positus sit in paroeciae parte longe ab ecclesia paroeciali distanti; praeter hunc casum est simplex *parochi cooperator* (n. 934).

6° *Cappellanus militaris*, si ex Apostolicae Sedis indulto plena potestas paroecialis ipsi in militares commissa sit, quo

in casu, admodum raro, eius potestas praesumitur cumulativa cum parochis.

7° *Cappellanus* vel *rector pii loci* cuiusvis generis a paroeciali cura exempti, dummodo plena paroecialis potestas ipsi commissa sit et quoad personas tantum ei concreditas et in loco cui praeest, ex responsione data a S. C. C. die 1 februarii 1908, ad 10um. Hoc in casu potestas paroecialis pertinet exclusive ad rectorem, si locus est totaliter exemptus, secus est cumulativa cum parocho, ex can. 464 § 2.

936. Quod attinet ad *parochum putativum* (qui nempe non est verus parochus), hic per se nullo iure pollet, ut patet, sed si paroeciam regit in errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, valide matrimoniis assistit, quia tunc iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno, ex praescripto can. 209; licet enim assistentia matrimonio non sit actus iurisdictionis (n. 932), tamen in favorabilibus, iuxta loquendi usum, actui iurisdictionis aequiparatur; unde verba: *delegatus*, *delegatio* ad assistendum, quae verba propria sunt potestatis iurisdictionis.

937. Plures supra expositas conclusiones confirmat responsio data a pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos, die 14 iulii 1922. Nam propositis dubiis:

« 1° Utrum *vicarius substitutus* de quo in can. 465 § 4, possit post Ordinarii approbationem licite et valide assistere matrimoniis, si nulla limitatio apposita fuerit;

« 2° Utrum *idem vicarius* id possit etiam ante Ordinarii approbationem;

« 3° Utrum *idem vicarius parochi religiosi* id possit post approbationem Ordinarii, sed ante approbationem Superioris religiosi;

« 4° Utrum *vicarius seu sacerdos supplens*, de quo in cit. can. 465 § 5, id possit ante approbationem Ordinarii ».

Commissio pontificia reposuit:

« Ad 1um: Affirmative;

« Ad 2um: Negative;

« Ad 3um: Affirmative;

« Ad 4um: Affirmative, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit ».

938. E contrario, nullam obtinent paroecialem potestatem neque universam neque partialem:

1° *Parochus intrusus* idest parochus quem, absque legitimi superioris ecclesiastici consensu, nominavit et instituit auctoritas incompetens, e g., civilis, uti accidit in Galliis circa finem saeculi decimi octavi, et in Germania saeculo decimo nono. Ad rem Pius VI in instructione diei 26 sept. 1791 ad Galliae Episcopos: « Quoniam intrusus minime est parochus legitimus, neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est ».[1]

2° *Parochus ab Episcopo aut a S. Sede depositus*, nisi iurisdictionem suppleat Ecclesia ex praescripto can. 209 (cit. n. 936).

3° *Cappellanus collegii, monasterii, conservatorii, carceris, hospitalis*, etc., et *rector Seminarii*, ex can. 1368, nisi aliter fuerit a competente ecclesiastica auctoritate constitutum.

2. – *Ordinarius loci.*

939. Nomine *Ordinarii loci*, praeter Romanum Pontificem, veniunt pro suo quisque territorio omnes, qui in can. 198 § 1 enumerantur, scilicet: « Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus Nullius, eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui, praedictis deficientibus, interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine ». Mortuo autem aut deposito Episcopo, exspirat ipso iure Vicarii Generalis officium; hinc ipse non est amplius Ordinarius et ideo nequit iure proprio matrimoniis assistere, nisi iurisdictionem suppleat Ecclesia (ex can. 209). E contrario Episcopus per sententiam interdictus, suspensus, excommunicatus invalide assistit, ut infra dicemus, et consequenter etiam Vicarius Generalis ex can. 371.

---

[1] Sanchez, lib. III, disp. XXII, n. 60; Pirhing, lib. IV, tit. III, n. 18; Bangen, tit. III, pag. 5; Feije, n. 291.

940. Plures censent Cardinales etiam ex ordine diaconorum posse in suis titulis valide matrimoniis assistere. Id verum erat ante Innocentii XII Const. *Romanus Pontifex*, 17 sept. 1692, quando Cardinales habebant in populum et clerum suorum titulorum iurisdictionem quasi-episcopalem. Sed haec iurisdictio cessavit per citatam Constitutionem; ceterum Codex potestatem assistendi matrimoniis tribuit Ordinariis, et Cardinales in cit. can. 198 § 1 inter Ordinarios non recensentur.

941. Iure antiquo nonnulli putabant posse matrimoniis assistere infra fines proprii territorii *Legatum Sedis Apostolicae* (*Nuntium, Internuntium, Delegatum Apostolicum*), sed sententia negativa iure Codicis certa est ob allatam rationem. Excipe si Legatus Apostolicae Sedis hanc potestatem in suis litteris obtinuerit, quam obtinere solet. Item nec *Archiepiscopi*, relate ad dioeceses Suffraganeorum, veniunt verbo *Ordinariorum*.

942. Ex dictis patet parochum et Ordinarium de quibus supra, habere potestatem assistendi matrimoniis ex iuris praescripto: hinc valide, etsi illicite, matrimoniis assistunt, prohibita aut etiam reservata a superiore, infra Romanum Pontificem, assistentia; nam legitimus superior, infra Romanum Pontificem, potest quidem eis prohibere ne sua potestate utantur, ita ut peccent assistendo, sed non potest ius a lege collatum eis auferre.

943. Hoc confirmatur ex pluribus responsionibus S. C. C.; sufficiat sequentes afferre.

Episcopus Gennensis, statum suae Ecclesiae referens anno 1581, nonnulla dubia S. C. C. proposuit, quorum duo priora ad rem nostram spectant: « 1° Utrum, prohibitione facta ab Ordinario ne parochus aliquos desponsaret, tollatur iurisdictio ipsius parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non sit legitimus parochus? 2° Utrum matrimonium, in quo intervenerit vicarius parochi [1] non invitus, sed volens, contra prohibitionem tantum Ordi-

[1] Intellige vicarium parochi cum plenitudine ministerii, aut delegatum a parocho.

narii, sit validum vel potius invalidum, quia non intervenit sacerdos habens iurisdictionem, quum sit sublata ab Ordinario? » S. C. reposuit: « Ad 1um valere matrimonium coram parocho, cui interdictum est, ne interveniat. Ad 2um valere ». Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, cap. XXIII, n. 3, hanc responsionem illustrans, haec habet: « In eo decreto, inter alia, statuitur validum esse matrimonium, quod fuerit initum vel coram parocho, vel coram parochi vicario, etiamsi illis ab Episcopo interdictum fuerit, ne matrimonii celebrationi assistentiam praestarent. Super quo sane nulla videtur excitari posse gravioris momenti difficultas. Cum enim ea non sit Episcopo auctoritas, ut possit inducere impedimentum dirimens, quod non est; aut aliquod matrimonium quod ex canonum praescripto nullum irritumque non sit, nullum irritumque statuere, ut firmat Barbosa..., illicitum quidem erit matrimonium, si celebretur coram eo cui Episcopus huiusmodi celebrationi adesse vetuerit, graviter etiam peccabit is, qui, spreta superioris prohibitione, eidem assistentiam praebebit; at nulla ratione dici poterit matrimonium ipsum nullitatis vitio subiacere ».

944. Pariter idem aperte constat ex responsione eiusdem S. C. in *Bosanensi, Vis. SS. LL.*, 28 nov. 1789. Nam mos erat in Sardinia ut ad parochorum praesentationem instituerent Episcopi pro-parochos seu vicarios *absolute, plene et absque ulla ministerii paroecialis restrictione.* Ut clandestinis tamen occurreret matrimoniis, per decretum synodale an. 1781 Episcopus Bosae statuit: « Pro-parochos, nisi specialem a parocho pro casu particulari facultatem in scriptis acceperint, assistere matrimonio minime posse: *subtracta eisdem amplissima, quae vulgo concedi solet, matrimonii assistendi potestate* ». Cum vero Episcopus successor dubitaret de vi huius decreti synodalis, et consequenter num matrimonium, eo neglecto, initum coram pro-parocho esset validum, licet illicitum, occasione visitationis SS. LL. sequentia dubia S. C. C. proposuit:

« 1° An et quomodo sustineatur synodale decretum in casu;

« 2° An per idem decretum adempta sit pro-parochis potestas assistendi matrimoniis, ita ut irrita sint matrimonia coram ipsis celebrata in casu;

« 3° An iterari debeat matrimonium coram pro-parocho celebratum contra formam eiusdem decreti in casu? »

S. C. reposuit:

« Ad 1um affirmative;

« Ad 2um affirmative ad primam partem, negative ad secundam; et matrimonia inita cum assistentia pro-parochi contra formam decreti synodalis esse valida, sed illicita;

« Ad 3um negative ».

Ex hac responsione patet manifeste pro-parochos illos, semel eo modo positos, habere, tamquam parochos, assistendi potestatem a Conc. Trid. traditam, donec in suo officio relinquantur, quam proinde Episcopus synodali suo decreto auferre eisdem minime poterat.

II. - Sacerdos a parocho vel ab Ordinario loci delegatus.

Can. 1095. - § 2. Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra limites sui territorii matrimonio valide assistat.

Can. 1096. - § 1. Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095 § 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est.

§ 2. Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

945. Ex rel. can. 1094 apparet sacerdotem vel Ordinarium loci, qui matrimonio valide assistere possunt, posse quoque licentiam assistendi alii sacerdoti committere; quod expresse dicitur in rel. can. 1095 § 2, et conforme est Reg. 72, R. I., in VI°: « Qui facit per alium est perinde ac si faciat per se ipsum ». Nimirum legislator ecclesiasticus, qui parochi vel Ordinarii loci assistentiam requirit ad validam matrimonii celebrationem, admittit parochum vel loci Ordinarium posse alium sacerdotem sibi substituere et sacerdoti substituto aequalem fidem praestat. Proinde concessio huius licentiae non est actus iurisdictionis, sed est actus potestatis sibi substituendi, quam testis auctoritativus habet a lege.

946. Exinde duo principia descendunt:

1° Si parochus vel loci Ordinarius nequeunt ipsi matrimonio valide assistere, nec aliis assistendi potestatem dare possunt, ex Reg. 79, R. I., in VI°: « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur ». Quandonam vero parochus vel Ordinarius nequeant matrimoniis valide assistere, infra exponemus (n. 966 seq.).

2° Quoties parochus vel loci Ordinarius possunt ipsi matrimoniis valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti, ut adsit dare licentiam, uti expresse traditur in rel. can. 1095 § 2. Et cum parochus vel loci Ordinarius hoc ius habeant a lege, illud, in suo gradu permanentes, non amittunt ex prohibitione Episcopi etiam cum clausula irritanti (can. 1039).

947. Hoc alterum principium applicavit pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos sua responsione data 20 maii 1923. Nam propositis dubiis:

« 1° Utrum *vicarius oeconomus* legitime constitutus in paroecia vacante, ad normam can. 472 et 473, possit licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum.

« 2° Utrum id possit *vicarius substitutus*, de quo in can. 465 § 4, post Ordinarii approbationem, si nullam limitationem Ordinarius apposuerit.

« 3° Utrum *vicarius parochi religiosi* id possit post Ordinarii approbationem; sed ante approbationem Superioris religiosi.

« 4° Utrum *vicarius seu sacerdos supplens*, de quo in cit. can. 465 § 5, id possit ante Ordinarii approbationem.

« 5° Utrum id possit *vicarius adiutor* parochi imparis suis muniis rite obeundis, legitime constitutus ad normam can. 475 § 1.

« 6° Utrum id possit *vicarius cooperator*, de quo in can. 476, inscio parocho ».

Pontificia Commissio reposuit:

« Ad 1um: Affirmative;

« Ad 2um: Affirmative;

« Ad 3um: Affirmative;

« Ad 4um: Affirmative, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter statuerit;

« Ad 5um: Provisum in cit. can. 475 § 2;

« Ad 6um: Provisum in cit. can. 476 § 6 ».

948. Iam vero ut hanc licentiam declaremus, in primis dicimus eamdem non valere ideoque nec subsequens matrimonium, nisi parochus vel Ordinarius eam concesserit sciens volens. Equidem DD. communiter admittunt licentiam metu extortam validam esse ideoque validum matrimonium inde initum, quia nusquam legitur ius eam invalidam declaravisse;[1] sed putamus id, iure Codicis, verum non esse, quia sicut delegans, metu gravi coactus, matrimonio invalide assistit (can. 1095 § 1 n. 3°), ita invalide alium sacerdotem sibi substitueret, ei licentiam assistendi conferens, ex cit. Reg. 72, R. I., in VI°. Quod si licentia dolo aut errore obtenta fuerit, distinguendum est. In primis validum est matrimonium contractum coram sacerdote assistente ex mandato Episcopi, qui per errorem existimavit illum esse proprium parochum, ut resolvit S. C. C., die 9 sept. 1864, apud Giraldi, p. II, sect. 115. E contrario, invalidum est matrimonium celebratum coram alieno parocho de licentia proprii Ordinarii dolo extorta, cum errore nominis et personae utriusque vel alterutrius contrahentis, ut rescripsit eadem S. C. in *Bononiensi, Matrimonii*, die 9 februarii 1669, apud Pignatelli, tom. V, cons. 78, n. 8. Demum si dolus aut error sit circa causam allegatam, quia, e. g., licentia petita fuit, falso allegata causa magnae necessitatis, aut per mendacium petita fuit nomine alicuius magnatis, si quidem parochus vel Ordinarius licentiae concessionem veritati expositorum expresse alligaverit, tamquam conditioni *sine qua non*, licentia foret nulla, nullumque matrimonium; secus ex communi sententia valet,[2] quia propter favorem matrimonii illa causa praesumitur impulsiva tantum.

---

[1] Feije, n. 297; Schmalz., lib. IV, tit. III, n. 208 et seq.; Sanchez, lib. III, disp. XXXIX, n. 13; Barbosa, *De off. et post. Episcopi*, all. 32, n. 115 et 133; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1088; D'Annibale, p. III, § 461, not. 64; Wernz, n. 180.

[2] D'Annibale, p. III, § 461, not. 64; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1088; Sanchez, lib. III, disp. XXXIX, n. 14; Schmalz., lib. IV, tit. III, n. 121 seq.; Feije, l. c.; Fagn., in cap. 2, n. 35, *De cland. desp.*

949. Tandem ex rel. can. 1096 § 1 « licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095 § 2 dari expresse debet *sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est* ». Opportuna hac dispositione Codex plura dubia ac controversias eliminavit. Ceterum hoc iam requisiverat decretum *Ne temere*, art. VI.

950. Igitur licentia, ut valeat, dari debet:

Sacerdoti: quare excluditur delegatio facta clerico infra sacerdotium, e. g., diacono.

Determinato, unde excluditur delegatio facta secerdoti non determinato, e. g., *sacerdoti qui Missam celebraturus est* (nisi iam constet quinam futurus sit) aut: *sacerdoti quem nupturientes elegerint*. Proposito dubio: « Utrum, ad normam can. 1096 § 1, sacerdos sit determinatus, si parochus superiori monasterii in casu particulari declaret se ad matrimonium proxima dominica in ecclesia filiali celebrandum delegare aliquem sacerdotem religiosum qui a Superiore sequentibus diebus ad Missam die dominica ibi celebrandam deputabitur »; Commissio pontificia, die 20 maii 1923, reposuit: «Negative». Determinatio autem fieri potest etiam per officium; e. g., *sacerdoti canonico theologo*. Nec per se prohibitum est plures designare sacerdotes, ut, uno deficiente, alter assistat.

Ad matrimonium determinatum exclusis... Hinc iure Codicis delegationes generales prohibentur, et, si fiant, sunt invalidae. Unica est exceptio, scilicet delegatio generalis est licita et valida facta vicario cooperatori pro paroecia cui addictus est. Ut autem haec exceptio rite intelligatur, recolenda sunt quae diximus n. 934 seq. Nam vicarii paroeciales cum plena potestate paroeciali constituti, possunt proprio iure, uti diximus, matrimoniis in paroecia celebratis assistere, ideoque non est locus delegationi neque generali neque partiali. E contrario, vicariis paroecialibus, qui in paroecia constituti sunt non cum plena potestate paroeciali, sed ut parochum adiuvent in munere quod eis committitur, vel in universo

paroeciali ministerio ad nutum parochi, quos proinde merito appellabis *vicarios cooperatores*, dari potest delegatio tum partialis ad assistendum huic vel illi matrimonio, tum generalis ad assistendum omnibus matrimoniis, quae in paroecia fiunt; dum sacerdoti, paroeciae extraneo, dari potest delegatio partialis pro uno vel pluribus matrimoniis determinatis, non autem delegatio generalis pro omnibus matrimoniis.

951. Quaeritur num necessaria sit acceptatio sacerdotis delegati ut delegatio valeat. Non una est DD. sententia. Nam *a*) plerique putant esse necessariam acceptationem expressam vel tacitam; nam quod cuique pro eo praestatur, invito non tribuitur; l. 10, Dig., *De donationibus*, XXXIX, 5. Cum vero inter praesentes silentium, et inter absentes petitio a te ipso facta vel a tertia persona, te conscio, tacitam contineat acceptationem, hinc in his casibus licentia certe valet a momento concessionis, licet nuntius aut epistola cum licentia adhuc sint in via, et sacerdos ac contrahentes concessionem ignorent, imo putent concessam non fuisse, etsi profecto matrimonium tunc foret illicitum.[1] Quod si parochus vel Ordinarius eam dederit motu proprio vel ad instantiam tertiae personae, te inscio, recepta sententia est licentiam non valere, ideoque matrimonium est nullum, etsi licentia reipsa data sit, nisi ad te directe pervenerit, et tu illam acceptaveris. Haec sententia firmatur etiam ex responsione S. C. C. citata a Giraldi, part. II, sect. 115, n. 14: « Item nullum est (matrimonium) contractum coram sacerdote deputato a parocho, qui ignorabat illius deputationem, quae etiam ignorabatur ab altero ex contrahentibus, in *Nullius*, 15 apr. 1625, lib. 13, pag. 435 ». Nonnulli auctores, e. g., Rosset, n. 2240, referunt et alias eiusdem S. C. C. responsiones in eodem sensu.[2] Proinde in hac sententia matrimonium foret aeque nullum, si sacerdos concessionem noverit

---

[1] D'Annibale, p. I, § 74, not. 32; De Lugo, *De poenit.*, disp. XIX, n. 18 seq.; Schmalz., lib. IV, tit. III, n. 206, cum communiori.

[2] De Angelis, lib. IV, t. III, n. 5; D'Annibale, p. III, § 461, not. 64; Schmalz., l. c., n. 203; Sanchez, lib. III, disp. XXXVI, aliique communissime.

indirecte tantum per tertiam personam, e. g., si parochus obiter ac fortuito dicit Maevio se licentiam dedisse sacerdoti A., cui id Maevius, absque ullo mandato, refert.[1] *b*) Engel, lib. IV, cap. III, n. 17, probabiliter putat sufficere quoque acceptationem simpliciter praesumptam; et ideo licentiam, motu proprio vel ad instantiam tertiae personae, te inscio, concessam, statim valere ante acceptationem. Proinde valeret matrimonium, si, e. g., parochus, rogante Sempronio, sinat alienum sacerdotem adesse matrimonio, isque et concessionis et petitionis ignarus adstiterit. *c*) Alii censent nullam acceptationem esse necessariam, imo licentiam valere, etiam reluctante delegato, e. g., si parochus non proprius, putans se proprium esse, reiicit licentiam a parocho proprio datam, ne iura temporalia cum eodem dividat. *d*) Tandem nonnulli, admittentes in genere acceptationem esse necessariam, excipiunt casum quo delegatus est subditus delegantis, quia tunc obedire tenetur.[2] Nemo autem est qui non solum parochi, sed et contrahentium notitiam et acceptationem licentiae requirat.

952. Nos primam sententiam certam habemus. Ceterum stante controversia, in praxi, si agitur de matrimonio contrahendo, tutior sententia tenenda est, si de contracto, favendum matrimonio, donec S. Sedes aliud declaraverit. Ceterum sacerdos non facile credat dicentibus se habere licentiam a proprio parocho vel Ordinario, nisi ostendant aliqua saltem verosimilia indicia; aut sint personae nullatenus suspectae et fide dignae.[3]

953. Si autem quaeras num sacerdos delegatus possit alium sacerdotem subdelegare, respondemus posse, si haec subdelegandi potestas expresse a delegante fuerit delegato commissa; illi vero qui aequiparantur parochis et parochorum nomine veniunt (n. 935) possunt subdelegare, quia generalem obtinent potestatem assistendi matrimoniis et ideo subdelegare possunt, ad normam can. 199. Hinc propositis dubiis:

---

[1] Sanchez, l. c.; De Lugo, *De iust. et iur.*, cap. XXIII, n. 7.
[2] Bangen, III, pag. 17; Feije, n. 297; Lehmkuhl, tit. II, n. 777.
[3] Engel, lib. n. 41; Sanchez, lib. III, disp. XXXVII.

« 1° An vicarius cooperator, qui ad normam can. 1096 § 1 a parocho vel loci Ordinario generalem obtinuit delegationem assistendi matrimoniis, alium determinatum sacerdotem subdelegare possit ad assistendum matrimonio determinato;

« 2° An parochus vel loci Ordinarius, qui ad normam can. 1096 § 1 sacerdotem determinatum delegaverit ad assistendum matrimonio determinato, possit et ipse licentiam dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum matrimonio determinato ».

Commissio pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos reposuit die 28 dec. 1927: « Ad utrumque affirmative ».

954. Circa modum concedendae huiusmodi delegationis, in primis delegatio sacerdoti concessa triplex concipi potest:

1° *Interpretativa*, quam nonnulli AA. *praesumptam* dicunt, si nempe sacerdos persuasum habet parochum aut Ordinarium hanc licentiam certe concessuros fuisse et ideo matrimonio assistit. Patet hanc delegationem nullius valoris esse.

2° *Tacita*, si scilicet parochus aut Ordinarius praesens non est in actu celebrationis matrimonii, sed scit sacerdotem assistere, potest facile contradicere et tacet. Ante Codicis promulgationem plerique DD. erant pro validitate huius delegationis;[1] sed hodie sententia negativa certa est, cum ex rel. can. 1096 delegatio dari debeat *expresse*. Ceterum Fagnanus, *De cland. desp.*, n. 31 et seq., nonnullas affert declarationes S. C. C. in eodem sensu. Imo licet parochus aut Ordinarius proprius adesset matrimonio, e. g., urbanitatis causa, una cum sacerdote qui, putans habere tacitam licentiam, nuptias benedicit, matrimonium iure Codicis esset nullum, quia Codex vult ut parochus vel Ordinarius, matrimonio assistens, *contrahentium consensum requirat excipiatque* (can. 1095 § 1 n. 3°).

3° *Expressa*; in qua nonnihil est insistendum.

955. Saepius expedit ut haec delegatio detur in scriptis ad difficultates removendas circa illius concessionem ideoque

[1] Benedictus XIV, Inst. CCC, 33, n. 12; Sanchez, lib. III, disp. XXXV, n. 20.

etiam circa matrimonii validitatem. At oretenus data valet, quia Codex de modo eamdem concedendi nihil statuit; et si quodlibet proximum cavillationum periculum absit, est etiam per se licita: e. g., in casu necessitatis peti et dari licite potest etiam viva voce aut per telegraphum aut per telephonum. Imo Episcopus, lege lata, prohibere quidem potest matrimonium, nisi delegatio in scriptis data fuerit, sed nequit matrimonium ipsum, cum delegatione tantum orali initum, irritum declarare, quia oralis delegatio ex Codice valida habenda est.

956. Ulterius delegatio potest esse vel *implicita* in plena potestate paroeciali alicui sacerdoti commissa, quae adeo sufficit, ut sacerdos accenseatur parocho et potestatem assistendi obtineat a iure, vel *explicita*, sive *specialis* ad assistendum huic vel illi matrimonio, quae certe sufficit, sive *generalis* ad assistendum omnibus matrimoniis, quae in paroecia vel in dioecesi celebrantur: quae ultima, ut pluries diximus, irrita est, uno excepto casu, si nempe facta sit vicario cooperatori.

957. Praeterea licentia dari potest ad tempus determinatum vel sub conditione; quo in casu sacerdos servare sedulo debet limites appositos, secus matrimonium foret nullum. At saepe clausula apposita importat potius monitum, quam veram conditionem, quo in casu matrimonium, etiam clausula non servata, foret validum, licet forte illicitum. Utrum clausula importet veram conditionem, an simplex monitum, desumi debet, ut alias, ex natura rei, ex toto contextu, ex depositione concedentis, etc., et in dubio, si matrimonium initum sit, propter illius favorem, praesumitur simplex monitum. Ita, e. g., si Ordinarius dicat: *Do licentiam, praemissis publicationibus*, aut *praevia inquisitione et examine testium*, praesumitur simplex monitum, quia quoties exprimitur in commissione forma iuris communis eo modo quo in iure inest, intentio committentis est, nisi aliud constet, admonere, ut haec forma servetur.[1] E contrario, si parochus dicat: *Do licentiam, praemisso matri-*

[1] Sanchez, lib. III, disp. XXXIII, n. 3; Rosset, n. 2235; Scavini, vol. III, n. 1021. Vide n. 393.

monio civili, praesumptio est, saltem in nationibus ubi matrimonium civile est obligatorium, esse veram conditionem; quia cum leges civiles etiam sub gravibus poenis imponant caeremoniam civilem quandoque ante matrimonium religiosum, Ordinarius censetur id noluisse. Tandem si licentia data fuerit assistendi matrimonio inter Titium et Semproniam et coram delegato matrimonium contraxerint Caius et Sempronia, matrimonium est evidenter nullum, prout rescripsit S. C. S. Officii, die 2 aug. 1899.

958. Licentia semel data revocari potest vel ab ipsomet concedente vel ab eius successore, cum sit mere gratuita et omnino pendens a voluntate concedentis. Necesse autem est ut revocatio delegantis sit delegato directe intimata ex can. 207 § 1. Hinc delegatio perdurat, et matrimonium adhuc valet, si sacerdos assistens revocationem ignorat aut cognoscit quidem, sed indirecte per tertiam personam. Bangen, tit. III, pag. 13, putat matrimonium esse nullum, si revocationem sacerdos assistens ignorabat sed noverant contrahentes, qui proinde erant in mala fide. Haec doctrina nullo innititur solido fundamento. « Delegatio cessat etiam renuntiatione delegati, deleganti directe intimata et ab eodem acceptata » ex cit. can. 207 § 1. At non cessat morte vel resoluto iure delegantis, nisi id expresse statutum fuerit.

959. Donec delegatio permanet, delegatus illicite quidem, sed valide matrimonio assistit, licet delegans assistentiam prohibuerit, quia ius assistendi, permanente delegatione, habet a lege. Id verum est etiam in casu quo ipse Romanus Pontifex assistentiam simpliciter prohiberet sine clausula irritanti.

960. Tandem Ordinarius, quoad liceitatem, cavere debet ne confusionem ingerat in re tam gravi ac ordinaria parochorum iura nimis laedat; requiritur igitur causa rationabilis,[1] qua de re legenda est Const. *Nimiam licentiam*, Benedicti XIV diei 18 maii 1743. Et Codex rel. can. 1096 § 2 monet: « Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus, quae ius constituit pro libertate status compro-

[1] Wernz, op. cit., n. 180, not. 208.

banda ». Sed licet parochus vel Ordinarius hoc monitum non servaverint, delegatio tamen valida est, ideo sacerdos delegatus valide et licite matrimonio assistit.

III. - Duo saltem testes.

961. Praeter testem qualificatum, Codex in rel. can. 1094, post Concilium Tridentinum requirit ad matrimonii validitatem praesentiam duorum saltem testium. Cum ius in his testibus nullas qualitates exigat pro validitate matrimonii, sufficit habilitas naturalis, qua quis potest factum dignoscere et de ipso fidem facere.[1] Hoc generale principium, si prae oculis habeas, facile tibi erit diversos casus, qui occurrere possunt, solvere.

962. Hinc habiles sunt mulieres, impuberes, clerici sive regulares sive saeculares, etiam moniales, infideles, excommunicati etiam vitandi, haeretici, etc. Statuta dioecesana nonnullos aliquando excludunt, quae profecto servari debent pro licita matrimonii celebratione, licet coram illis initum coniugium valeret. Ita si catholici aut incolae haberi possunt, immerito prorsus acatholicos, infideles, vagos adhiberes. Revera S. C. S. Officii, die 19 aug. 1891, declaravit testes heterodoxos in matrimoniis catholicorum «non esse adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum ».[2] Ius designandi testes pro matrimonio non ad parochum, sed ad contrahentes pertinet, attentis etiam laudabilibus consuetudinibus et statutis dioecesanis.

963. Pariter ad matrimonii validitatem minime requiritur ut testes formaliter assumantur. Confirmatur ex responsione S. C. de Prop. Fide. Nam S. C. propositum fuit hoc dubium : « Utrum post promulgationem Decreti Tridentini, quando ob persecutionem vel ob alias rationabiles causas non est christianis facilis aditus ad missionarium, proindeque matrimo-

---

[1] Sanchez, lib. III, disp. XLI, n. 4 seq.; De Justis, lib. II, cap. XIX, n. 97; Bangen, tit. III, pag. 37; S. Alphonsus, lib. VI, n. 1086, cum communi.

[2] Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1855.

nium ii contrahunt secundum morem patriae coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque coniugis, qui celebrationi matrimonii assistunt, non rogatis testibus determinatis, neque formaliter adhibitis, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem facere possint, cum aliunde sint plures, qui licet non rogati, nec formaliter adhibiti fuerint, de matrimonio tamen, more patriae, inito, et de consensu utriusque coniugis, si non verbis, signis saltem sensibilibus expresso, possunt facere fidem, si de re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali modo contractum ». S. C., die 2 iulii 1827, ad 2um respondit: *Affirmative, quatenus testibus certo constet de praestatione consensus.*

Item matrimonium validum est, licet testes adfuerint dolo, vel metu gravi, vel vi adstricti. Id verum non est (n. 948) de teste qualificato ex rel. can. 1095 § 1 n. 3°; sed ex una parte Codex ibi non nominat simplices testes, et de cetero semper verificatur principium, de quo n. 961, dummodo simplices testes, licet constricti, de inito matrimonio fidem facere possint.

964. E contrario matrimonium foret invalidum, si testes, arrectis auribus, audiant sponsos in alio cubiculo maritalem consensum exprimere,[1] aut hoc audiunt per silvam transeuntes nec a sponsis visi,[2] aut convivii vel confabulationis vel aliud tractandi causa adstantes, audiunt sponsos prope fenestram inter se, submissa voce, coram parocho consensum exprimere... quia in his et similibus casibus matrimonium proprie et formaliter non fuisset initum *coram testibus.*

965. Pariter invalidum esset matrimonium initum coram testibus, si uterque vel alteruter erat surdus, amens, usu rationis carens, vel, dum nupturientes consensum exprimebant, erat ebrius aut dormiens; ipsi enim incapaces sunt cuiuscumque testificationis.[3]

---

[1] De Justis, lib. II, cap. XIX, n. 104.

[2] Bargen, tit. III, pag. 25.

[3] Perbelle S. Augustinus in tertia lectione Sabbati Sancti de dormientibus testibus: « Quid est quod dixisti, o infelix astutia? Tantumne deseris lucem consilii pietatis et in profunda versutiae demergeris, ut hoc dicas:

§ 2. – *Quandonam parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistant.*

Can. 1095. – § 1. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt:

1°. A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati;

2°. Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt:

3°. Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

966. In tribus numeris rel. can. 1095 § 1 clare indicantur tria requisita ut parochus et loci Ordinarius valide matrimoniis assistant. De singulis breviter.

967. 1° Parochus et loci Ordinarius valide matrimoniis assistunt *a die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334 § 3, 1444 § 1, vel initi officii.*

968. Iam vero ad Ordinarium quod attinet, in cit. can. 334 § 3 ita statuitur: « Canonicam dioecesis possessionem capiunt Episcopi residentiales simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente Secretario Capituli vel Cancellario Curiae, qui rem in acta referat ». Ab eo igitur die Episcopus potestatem obtinet valide matrimoniis assistendi. Alii autem Ordinarii, qui non habent beneficium, sed solum officium, uti Vicarius Generalis et Capitularis ... officium suum ineunt per actualem susceptionem muneris eisdem commissi et ab eo die, nisi aliud cautum sit, possunt et officium exercere et matrimoniis valide assistere.

969. Ad parochos vero quod attinet, in can. 1444 § 1 statuitur: « Missio in beneficii possessionem fiat secundum modum iure

---

Dicite, quia, vobis dormientibus, venerunt discipuli eius et abstulerunt eum? Dormientes testes adhibes? Vere tu ipse obdormisti, qui, scrutando, talia defecisti».

peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis ». S. C. C., die 4 iulii 1908, Archiep. Olomucensi rescripsit: « Nomine possessionis hic intelligi illum actum, qui sive institutio corporalis, sive inthronizatio, sive installatio sive aliter nuncupetur, tamen semper id efficit ut institutus exinde adipiscatur liberum exercitium suae potestatis suo officio adnexae ». Exinde patet parochum matrimoniis valide assistere non a die nominationis aut ingressus in paroeciam, sed a die captae possessionis paroeciae, ita ut si parochus hora decima capit canonicam beneficii possessionem et hora nona assistit matrimonio, invalide assistit. Alii autem, qui matrimoniis valide assistunt non ratione beneficii paroecialis, sed ratione officii (n. 968), hanc potestatem obtinent a die initi officii. In casu autem erroris communis aut dubii positivi et probabilis sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno, ut saepe iam diximus (can. 209).

970. Ex his apparet a quonam tempore parochus et Ordinarius potestatem matrimonii valide assistendi obtineant. Hanc potestatem conservant, quousque beneficium aut officium retinent: eam vero amittunt eodem instanti quo amittunt beneficium aut officium, quacumque demum ex causa beneficium aut officium amittant, renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti, ex can. 183 § 1; et in canonibus, qui sequuntur, determinatur quandonam ex his causis sequatur officii privatio, quae secumfert privationem potestatis valide assistendi matrimoniis.

971. Invalide ergo assistunt parochus aliique ratione beneficii aut officii assistentes, qui beneficium aut officium ipso facto et sine ulla declaratione amiserunt ad normam can. 188 et seq., nempe:

1° Si beneficio aut officio expresse renuntiaverit, ex praescripto can. 184 seq.

2° Si tacite renuntiaverit:

a) Per professionem religiosam, salvo circa beneficia praescripto can. 584;

b) Si intra tempus utile iure statutum vel, deficiente iure, ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexerit;

c) Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit;

d) A fide catholica publice defecerit;

e) Matrimonium, etiam civile tantum, uti aiunt, contraxerit;

f) Contra praescriptum can. 141 § 1 militiae saeculari nomen sponte dederit;

g) Habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine iusta causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, intra mentem a monitione recepta resumpserit;

h) Residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit nec responderit».

972. 2º At parochus et Ordinarius, licet potestatem matrimoniis valide assistendi obtinuerint, eadem privantur ex eodem rel. can. 1095 § 1 n. 1º, si «*per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio, aut tales declarati*».

973. Hinc hoc ius amittunt: 1º per sententiam condemnatoriam excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio; 2º si praedictas poenas incurrerunt ipso facto, legitimus vero superior eos declaraverit excommunicatos vel interdictos vel suspensos ab officio; in suspensione autem generaliter lata, nisi aliud constet, comprehenditur etiam suspensio ab officio ex can. 2278 § 2. Quare non sufficit ut quis aliquam ex enumeratis poenis ipso facto contraxerit, sed necesse est ut poena per sententiam declaratoriam in foro externo firmata fuerit. Unde si Episcopus prohiberet sub poena ipso facto incurrenda ne parochus alicui matrimonio assisteret, parochus assistens peccat, poenam incurrit, sed valide assistit. Pariter parochus privatus iurisdictione, irregularis, fornicarius, suspensus ab ordine, a divinis, a beneficio, a iurisdictione... non privatur iure assistendi, quia eae poenae non recensentur in

cit. can. 1095 § 1 n. 1°, et parochus assistens stricte loquendo (n. 932) non ponit actum iurisdictionis. Imo parochus simili poena mulctatus aut conscientiam mortali peccato gravatam habens, etiam licite, remoto scandalo, matrimonio assistit. S. Alphonsus, lib. VI, n. 88 et n. 1083, putat a mortali non excusari parochum vitandum, qui matrimonio assistit et sponsos, qui scienter eius assistentiam requirunt, nisi gravissima urgeat causa et alius non adsit qui possit supplere.

974. 3° Ex n. 2 eiusdem can. 1095 § 1 parochus et Ordinarius possunt matrimoniis valide assistere *intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt.*

975. Hoc modo principium competentiae *localis* seu *territorialis*, in Codicibus civilibus statutum, etiam in iure canonico receptum fuit, instante P. Wernz, cooperante Cardinali De Lai, uti apparet ex actis praeparatoriis ad Codicem; ita ut, vi huius principii, parochus et loci Ordinarius in proprio territorio possint valide assistere matrimoniis tum subditorum tum non subditorum; extra territorium non possint valide assistere nec subditorum matrimoniis, sine licentia parochi aut loci Ordinarii. Fines autem territorii attendendi sunt non moraliter, sed physice, ita ut ex distantia unius passus pendeat validitas aut nullitas matrimonii; in dubio autem standum est pro valore matrimonii iam contracti.

976. Quid vero si in eodem territorio plures sunt parochi? Varii casus occurrere possunt, qui solutionem ex dictis habent. *a*) In eadem civitate paroeciae dividi possunt pro diversitate *sermonis* aut *nationis* (can. 216 § 4), ita ut parochi sint *territoriales* simul et *personales*, e. gr., est parochus pro Italis in tota civitate degentibus, parochus pro Gallis... Ex responso S. C. C. dato die 1 febr. 1908 ad 8um deducitur in casu quemlibet parochum in toto territorio valide assistere matrimoniis non solum subditorum, sed etiam non subditorum. Et merito: nam quilibet parochus in casu habet iurisdictionem *territorialem* in tota civitate et *personalem* in suos· hinc intra fines sui territorii matrimoniis non subditorum valide assistit ratione territorialis iurisdictionis. *b*) Est parochus *mere personalis*, seu *familiaris*,

omnino independens a territorio, e. g., sub se habens certas familias (paroecia *gentilitia*) vel milites (paroecia *castrensis*)... In paroeciis ita constitutis parochus, cum territorium non habeat, matrimonio suorum subditorum valide assistit ubique terrarum, ut eadem S. C. declaravit ad 7um; sed ob rationem superius allatam, eidem matrimonio valide assistit et parochus territorialis, quia matrimonio assistit non subditorum, sed intra fines sui territorii.

977. Demum parochus et loci Ordinarius valide assistunt *dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum* ex n. 3° eiusdem rel. can. 1095 § 1.

978. Antiquo iure matrimonium valebat, licet testis qualificatus dolo, metu gravi vel etiam vi adduceretur et retineretur, ut docet Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, cap. XXIII, n. 4; et S. C. C. in *Giennensi*, an. 1581, ad dubium 3um: «Si invitus et compulsus per vim adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, utrum tale matrimonium subsistat» reposuit: «Subsistere». Sed hoc iuris praescriptum Codex correxit, ut patet ex rel. can. 1095 § 1 n. 3°. Cum enim talis assistentia pluribus scateret difficultatibus ac multis dubiis occasionem praeberet, hinc opportuna iuris immutatio a Codice est peracta.

979. Metus autem debet esse gravis, ab extrinseco incussus; sed non refert utrum incussus sit a contrahentibus, an ab aliis, ignaris quoque contrahentibus; item non refert, si deficiente dolo et metu, assistentia denegata non fuisset; nam Codex de fraude et dolo, l. c., non meminit. Pariter valide assisteret parochus locive Ordinarius, qui invitus quidem ad ecclesiam accederet, sed deinde libere et sponte assisteret. Pariter nec officit validitati assistentiae, si Ordinarius parochum invitum per poenas cogit ad debitam assistentiam praestandam, vel contrahentes aliive minantur se Ordinario denuntiaturos esse parochum qui iniuste assistentiam denegat; ii enim casus non comprehenduntur sub relatis verbis can. 1095 § 1 n. 3°.

980. Praeterea notanda sunt relata verba, quibus dicitur parochum locive Ordinarium, ut valide matrimonio assistat, debere contrahentium consensum *requirere* et *excipere*. His

verbis decretum *Ne temere* et post ipsum Codex eliminare voluerunt matrimonia ex inopinato contracta (italice: *matrimonii di sorpresa*), uti ex actis praeparatoriis ad Codicem apparet. Igitur assistentia parochi et Ordinarii debet esse non solum *physica*, quatenus praesentes esse debent, sed etiam *activa*. Id ex Codicis praescripto; nam iure antiquo ad matrimonii validitatem satis erat, si testis qualificatus praesens esset et intelligeret matrimonium inter determinatas personas contrahi vel ex verbis vel ex nutibus, signis, actibus praecedentibus, concomitantibus, subsequentibus et redderetur adeo certus ut probe valeret de inito matrimonio testimonium perhibere, ut cum communi docebat Benedictus XIV, l. c., n. 6º. Nemo non videt quot dubia exinde oriri poterant et de facto oriebantur, quibus opportune citatum Decretum et Codex remedium attulerunt. Etiam in matrimoniis mixtis interrogationes de consensu fieri debere, contra praescriptum iuris antiqui, diximus n. 463.

981. Quae n. 980 praescribuntur pro validitate matrimonii coram parocho et Ordinario loci, intelligenda sunt etiam de matrimonio inito coram sacerdote delegato, licet can. 1095 § 1 n. 3º nominet tantum parochum et loci Ordinarium, uti patet ex can. 1094.

§ 3. - *Quandonam parochus et loci Ordinarius licite matrimonio assistant.*

Can. 1097. - § 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt:

1º. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris;

2º. Constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

3º. Habita, si conditiones deficiant de quibus n. 2, licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset.

§ 2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particu-

lari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda.

§ 3. Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat.

982. In relato canone definitur quandonam parochus et loci Ordinarius, qui valide matrimoniis possunt assistere, etiam licite assistant.

983. Sub n. 1° rel. can. 1097 § 1 statuitur in primis parochum et loci Ordinarium non posse matrimoniis licite assistere, nisi prius «constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris», scilicet iuxta ea, quae n. 126 seq. exposuimus; quod sane patet.

Sub n. 2° rel. can. 1097 § 1 traditur parochum et loci Ordinarium licite matrimoniis assistere posse «constito... de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii». Si enim utraque vel alterutra pars habet in loco domicilium... est subdita parochi vel Ordinarii, qui tunc iure proprio valide et licite matrimonio assistunt. Praestat singula breviter enucleare.

984. In can. 92 § 1 seq. explicatur quomodo acquiritur *domicilium* vel *quasi-domicilium*.

«Can. 91. - Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium; *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium vel quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habet vel quasi-domicilium.

«Can. 92. - § 1. Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia vel quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum.

«§ 2. Quasi-domicilium acquiritur commoratione uti supra, quae vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem.

« § 3. Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur *paroeciale*; in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, *dioecesanum*.

« Can. 93. - § 1. Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui; amens, domicilium curatoris; minor, domicilium illius cuius potestati subiicitur;

« § 2. Minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium. [1]

« Can. 94. - § 1. Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

« § 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

« § 3. Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.

« Can. 95. - Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93 »; ubi agitur de domicilio uxoris, amentis...

985. Ut vero parochus vel Ordinarius valide et licite iure suo matrimonio assistat, sufficit etiam alterutrius contrahentis in paroecia vel dioecesi menstrua commoratio. Scilicet si alteruter ex contrahentibus a mense in paroecia vel dioecesi commoratur, parochus vel loci Ordinarius matrimonio licite assistit, licet alter nupturiens nec domicilium nec quasi-domicilium inibi habeat, et ideo non sit eorum subditus.

986. Ad hanc menstruam commorationem quod attinet, requiritur et sufficit *factum commorationis*, quin necessarius sit animus eam per mensem protrahendi, ita ut si Titius de facto commoratus est per mensem in paroecia, licet pluries explicitam intentionem haberet ab eadem discedendi, satis est ut parochus vel Ordinarius eius matrimonio licite assistere

[1] Proposito dubio: « Utrum uxor, a viro suo malitiose deserta, possit, ad normam can. 93 § 2, obtinere proprium ac distinctum domicilium »; reposuit Commissio pontificia, die 14 iulii 1922: « Negative, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum ».

valeant. Commoratio debet esse *moraliter* continua per mensem, sed huic continuitati non officit absentia unius alteriusve diei, licet quis discesserit cum animo non redeundi; nec dies absentiae supplendi sunt. Menstrua autem commoratio potius ex *nocturna*, quam ex *diurna* praesentia iudicanda est; hinc, e. g., si quis per mensem singulas noctes pertransit in domo paterna sita in paroecia *A* et singulis diebus degit in officina sita in paroecia *B*, menstrua commoratio assignanda est potius paroeciae *A*, quam paroeciae *B*.

987. Mensis autem commorationis computetur de momento ad momentum, iuxta normas, quae can. 34 § 3 nn. 1°, 2°, 3°, 4°, traduntur. Scilicet mensis sumitur prouti est in calendario (can. cit. n. 1°), e. g., a die 1 februarii ad diem 28 vel 29 eiusdem mensis. Si terminus *a quo* coincidat cum initio diei, e. g., mensis a die 15 augusti, primus dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri (cit. can. nn. 1°, 2°). Si terminus *a quo* non coincidit cum initio diei, e. g., a die 12 martii ad diem 12 aprilis, dies 12 martii non computatur et mensis expletur ultima die 12 aprilis (cit. can. n. 3°). Si mensis die eiusdem numeri careat, e. g., mensis a die 30 ianuarii terminatur ultima die 28 vel 29 februarii (cit. can. n. 4°). Commoratio menstrua continuanda est usque ad momentum celebrationis matrimonii ita ut, si ante matrimonium interrupta fuerit, nullum ius parocho aut Ordinario conferat.

988. Ex responso S. C. de Sacramentis, dato die 28 ianuarii 1916, colligitur: 1° satis esse menstruam commorationem, licet haec praecesserit partis contrahentis conversionem ad fidem catholicam; 2° requiri menstruam commorationem die celebrationis matrimonii et non sufficere commorationem quondam in loco habitam ante matrimonium; 3° hanc menstruam commorationem amitti per absentiam trium hebdomadarum.

989. Demum si agatur de matrimonio *vagorum*, parochus vel loci Ordinarius licite matrimonio assistunt, si constet de alterutrius contrahentis *actuali commoratione* in loco matrimonii (rel. can. 1097 § 1 n. 2°); parochus autem numquam assistat, nisi

servato praescripto can. 1032 (n. 189). *Actualis* autem *commoratio* est commoratio in loco per tempus alicuius momenti, ita ut quis vere sedem commorationis alicubi habere censeatur, licet haec nec secumferat domicilium nec quasi-domicilium nec menstruam commorationem; ceterum de vagis itinerantibus mox redibit sermo.

990. Si partes non habeant nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium, valide et licite eorum matrimonio assistit, praeter Ordinarium, parochus loci in quo actu commorantur; est enim proprius earum parochus (can. 94 § 3). Si vero partes nec domicilium nec quasi-domicilium nec menstruam commorationem habent in territorio ubi matrimonium celebratur, parochus vel loci Ordinarius possunt quidem *valide* assistere, sed ut *licite* assistant, indigent « licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat, quae a licentia petenda excuset » (rel. can. 1097 § 1 n. 3º). Agitur hic, ut patet, de licentia non pro *valida,* sed pro *licita* tantum assistentia; et valde convenit ut parochus vel Ordinarius loci matrimonio non assistant, licet iure possent, sine licentia illius, cuius contrahentes subditi sunt. Haec autem licentia dari potest sive scripto, sive oretenus, sive expresse, sive tacite; sufficit etiam licentia rationabiliter praesumpta, si facile expressa peti nequeat, quo in casu decet quidem monere parochum vel Ordinarium domicilii..., sed non est huius monitionis vera obligatio. Licentia concedi potest etiam generaliter: e. g., parochi unius civitatis possunt parochis eiusdem vel alterius civitatis generalem assistendi licentiam conferre.[1]

991. Ex cit. can. 1097 § 1 n. 3º duobus in casibus haec licentia non est necessaria ut parochus vel Ordinarius loci matrimonio licite assistant; nempe:

992. 1º Si agatur de *vagis actu itinerantibus*, qui nullibi commorationis sedem habent. Talis esset, e. g., mercator, qui

[1] Cappello, op. cit., n. 687.

ab una civitate in aliam per totum annum vagatur, ita ut in nulla per mensem commoretur; aut nauta, qui nonnisi per paucos dies residet in regione ad quam appulit. Hoc in casu nullius licentia requiritur ut parochus vel Ordinarius et valide et licite in proprio territorio matrimoniis horum vagorum assistant; sed parochus servare tenetur praescriptum can. 1032: « Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, numquam assistat nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit ».

993. 2° Si *gravis necessitas* intercedat, quae a licentia petenda excuset. Gravis necessitas est generatim quodcumque incommodum sat notabile ex parte parochi vel Ordinarii vel nupturientium, moraliter aestimandum, e. g., si iter asperum vel longinquum aggrediendum esset ad licentiam petendam, si periculum exsistat matrimonii civilis ...

994. Coram quonam parocho matrimonium debeat celebrari, sponsi nempe an sponsae, agit rel. can. 1097 § 2. Regula generalis inibi tradita est: « ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset». Si sponsa habeat plures parochos proprios, e. g., parochum domicilii vel quasi-domicilii vel menstruae commorationis, potest eligere quem maluerit. *Nisi iusta causa excuset*, sed sufficit etiam causa levis, quia haec non obligant sub gravi, ut omnes admittunt. Si adsit iusta causa, non est obligatio petendi licentiam a parocho sponsae; sed expedit eum monere.

995. In eodem § 2 can. 1097 additur: « matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ». Hoc Codicis praescriptum antiquam disciplinam aliquantulum immutavit. Nam in Const. Leonis XIII, *Orientalium*, 30 nov. 1894, § VIII, statuebatur quod mulieri latini ritus, quae viro nupserat ritus orientalis, ac viceversa, integrum esset ut ad ritum viri, ineundo vel durante matrimonio, transiret; dum ad normam Codicis matrimonium in ritu viri celebrari debet, nisi aliud particulari iure cautum sit. Quoad parochum assistentem cit. Const. *Orientalium* confirmabat quod

statuerat Benedictus XIV in Const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § VIII, nn. 9, 10: nempe matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino esse celebrandum; inter maritum graecum et mulierem latinam posse contrahi vel graece coram parocho graeco, vel latine coram parocho latino, ubicumque maritus graecus voluisset; eius autem loci ac ritus parochum debere assistere ubi et quo ritu matrimonium celebrabatur.

996. Demum ex rel. can. 1097 § 3 parochus qui, sine licentia iure requisita, matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, sed ea remittere debet proprio contrahentium parocho. Hoc canone non infligitur poena in parochum, sed potius declaratur cuinam stolae emolumenta in casu pertineant. Haec stolae emolumentorum restitutio eum tantum parochum respicit, qui nuptiis adstiterit contra praescriptum cit. can. 1097 § 1 n. 3°; sed parochus sponsi non tenetur ea remittere, quia ipse legitime assistere potest; si sponsus et sponsa habent diversum domicilium vel quasi-domicilium, emolumenta, ad mentem cit. can. 1097 § 2, cedunt parocho sponsae; si sponsa habeat plures parochos proprios, iura stolae inter eos dividantur ex analogia cum iis quae can. 1236 § 2 pro iuribus stolae in funeribus. Cum in cit. can. 1097 § 3 dicatur emolumenta stolae esse restituenda *proprio* parocho, cumque menstruae commorationis parochus non sit *proprius* (can. 94 § 1) putamus eumdem non comprehendi sub citata iuris dispositione. Ceterum inter emolumenta stolae non veniunt stipendium Missae, dona ex mera liberalitate data, aut stipendia quae aliis ministris cedant.

997. Ex dictis apparet differentia inter tridentinum decretum (n. 930) et Codicis praescriptum. Nam ex tridentino decreto: 1° Matrimonio valide assistit parochus *proprius* unius saltem contrahentis: in decreto non legitur verbum *proprius*, sed illud addidit recepta interpretatio; 2° Parochus *proprius* est parochus domicilii aut quasi-domicilii alterutrius contrahentis; de proprio *vagorum* parocho decretum nil habet; hinc DD. diversae sententiae; 3° Proprius parochus matrimoniis suorum subditorum iure suo valide assistit ubique terrarum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

absque ullius delegatione. E contrario ex Codicis praescripto: 1° Matrimoniis iure proprio valide assistit non solum parochus proprius, idest parochus domicilii vel quasi-domicilii alterutrius contrahentis et, si de vagis agatur, parochus loci in quo vagus actu commoratur, sed etiam parochus menstruae commorationis; 2° Proprius autem parochus matrimonio valide assistit tantummodo in proprio territorio, ita ut in alieno territorio indigeat licentia illius parochi aut Ordinarii: 3° In proprio territorio valide assistit matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum.

§ 4. - *Casus in quibus substantialis forma non est necessaria ad matrimonii validitatem.*

Can. 1098. - Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistat ad normam canonum 1095, 1096:

1°. In mortis articulo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;

2°. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

998. Si forma substantialis iure praescripta pro matrimonii celebratione de qua huc usque, servari non potest sine gravi incommodo, cessat obligatio eamdem servandi; et, eadem non servata, matrimonium est validum et licitum, quia in casu forma substantialis opponeretur iuri naturali ad matrimonium, in quo conflictu ius naturale praevalere debere. palam est. Et cum forma substantialis sit divisibilis, comprehendens et praesentiam testis auctorizabilis, et praesentiam simplicium testium, si servari non potest sine gravi incommodo quoad praesentiam tum sacerdotis competentis tum aliorum testium, obligatio penitus cessat; si servari non potest quoad praesentiam sacerdotis, sed servari potest quoad praesentiam testium, obligatio cessat quoad sacerdotis praesentiam, et urget quoad praesentiam testium, ita ut matrimonium

sit irritum, nisi coram duobus saltem testibus ineatur, si duo testes haberi possunt; secus matrimonium valet etiam coram uno tantum teste, aut etiam sine testibus.

999. Difficile verificari potest formam substantialem servari sine gravi incommodo non posse quoad simplicem testium praesentiam, cum quilibet masculus vel foemina, usum rationis habens, possit esse testis (n. 961 seq.); sed tamen verificari potest, e. g., si agatur de matrimonio ineundo cum parte carcere detenta vel in proximo mortis periculo constituta, et adsit sacerdos, vel si testes a lege civili prohibeantur. E contrario casus quoad testis auctorizabilis praesentiam verificari facile poterit, ut mox dicemus. Modo rel. can. 1098 exponere debemus.

1000. Diximus n. 980 iure Codicis praesentiam testis auctorizabilis debere esse pro validitate matrimonii *physicam* in ipso matrimonii actu et *activam* quia ipse debet contrahentium consensum et *requirere* et *excipere*. Exinde sequitur absentiam *physicam* et *activam* testis auctorizabilis secumferre matrimonii nullitatem; ut autem sartum tectumque sit ius naturae ad matrimonium, Codex addidit in rel. can. 1098 necessarias exceptiones.

1001. In hoc igitur canone n. 1° praescribitur, *si haberi aut adiri nequeat sine gravi incommodo* sacerdos competens, matrimonium coram solis testibus valere in *periculo mortis et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam*.

1002. Doctrina hoc canone tradita non est nova, sed etiam ante Codicis promulgationem erat recepta a SS. CC. RR. et a communi DD. Impossibilitas habendi competentem sacerdotem extra casum periculi mortis, verificari praesertim potest in dissitis missionum locis, ubi adest sacerdotum penuria et missionarius singula loca aut paroecias vel quasi-paroecias nequit quolibet mense visitare; hinc mirum esse non debet si S. C. de Prop. Fide saepius hac super re responsiones et instructiones dederit. Sufficiat referre responsionem et instructionem datam an. 1785 ad Praefectum Missionum in Insula Curaçao: « Praefectus exposuerat auctoritatem civilem insulae legem tulisse, qua praecipiebatur catholicis matrimo-

nium coram magistratu acatholico vel ministro protestante ante matrimonium religiosum coram parocho sub poena 500 florenorum. Ut autem contraherent coram magistratu acatholico vel ministro protestante solvendi erant ab ipsis contrahentibus 50 floreni, ita ut si illi vere pauperes essent et non haberent huiusmodi summam, contrahere matrimonium nullo modo possent, et nec parochus posset assistere, ne inflicta 500 florenorum mulcta puniretur. Quaerebat igitur quomodo parochus sese gerere deberet, si duo catholici matrimonium inter se contrahere vellent, et modum solvendi 50 florenos non haberent. S. C. respondit nihil obstare quominus matrimonium civile coram magistratu acatholico ante religiosum coram parocho catholico inirent, dummodo nullus sacer ritus, preces aut benedictio intervenerint ». Deinde subdit: « Cum vero inopes et miserabiles personae, si cogantur magistratum aut ministrum protestantem adire, nequeant persolvere 50 florenos..., hinc parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum ac illorum inopiam veram esse, permittat[1] ut absque etiam sua assistentia matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus vel saltem duobus testibus integrae fidei : ac ita, celebrato matrimonio, teneantur coniuges citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud saltem secreto adnotet cum indicatione diei ac nominibus testium qui praesentes fuerunt ».

1003. Iam vero hanc doctrinam exponentes, circa verba quae n. 1001 citavimus, haec adnotamus.

1004. *Si haberi nequeat* (testis auctorizabilis), ita scilicet ut ipse accedere nequeat ad locum ubi sunt contrahentes, e. g.,

---

[1] P. Vidal, Consultor, in suo voto quod scripsit iussu S. C., retinet verbum *permittat* hunc habere sensum : *concedat* (parochus) *dispensationem ab impedimento clandestinitatis*, et exinde deducit in casu matrimonium coram solis testibus non fuisse validum. Sed haec interpretatio docti Consultoris nullo modo sustinetur : nam ex actis S. Congregationis evidenter apparet S. Congregationem ea matrimonia licita et valida habuisse iuxta doctrinam S. C. C. et Canonistarum communiter, et ideo rescripsit : *parochus in illis circumstantiis permittat*, idest *sese non opponat ad matrimonia coram solis testibus*. In eodem sensu eadem S. C. reposuit die 2 iulii 1827, ad 2um.

si graviter decumbat vel detineatur in carcere, vel mente-captus evaserit...

1005. *Vel adiri nequeat*, ita scilicet ut nec ipsi contrahentes se conferre valeant penes testem auctorizabilem, ut hic eorum matrimonio assistat, e. g., si testis auctorizabilis longe absit a loco ubi matrimonium celebratur.

1006. *Sine gravi incommodo*; hoc autem incommodum potest esse morale vel materiale; et moraliter existimandum est, habita personarum ratione; incommodum enim quod mihi grave est, tibi potest esse leve.

1007. *In mortis periculo*; quod oriri potest vel ex causa intrinseca et individuali, e. g., morbo, partu difficili... vel ex causa extrinseca sive individuali sive communi, e. g., praelio imminenti, tempestate in mari, proxima capitis exsecutione... et sufficit ut immineat alterutri contrahenti. Gravitas vero periculi moraliter aestimanda est et si error adfuerit in aestimatione periculi mortis, non ideo nuptiae coram solis testibus invalidae erunt, dummodo periculum prudenter aestimatum fuerit grave, non autem imprudenter et prorsus fucatum. Imo si imminens mortis periculum adsit, praesertim ex medicorum iudicio, et ideo urgeat nuptias celebrare, tunc non est necesse legitimum sacerdotem exspectare, sed matrimonio assistere potest quilibet sacerdos (rel. can. 1098 n. 2º). Nec quid interest quaenam sit causa motiva ineundi matrimonium: hinc consulto omissa fuerunt in Codicis canone verba quae in art. VII decreti *Ne temere* legebantur: *ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis.*

1008. *Extra mortis periculum*, grave incommodum verificaretur, si tempus aut medium non suppetat (media vere extraordinaria, e. g., *aeroplanum*, non considerantur) ut testis auctorizabilis haberi vel adiri possit. Unde contrahentes non tenentur ad hoc magnas sustinere expensas, vel iter valde durum suscipere aut periculo alicuius gravis damni sese exponere, quamvis neglexerint occasionem eum commode habendi. Pariter grave incommodum adesset, si, accersito parocho, notabile damnum morale vel materiale obveniret aut partibus aut tertiae personae aut bono publico. Non officit si contrahentes

egerint in fraudem legis, vel consulto matrimonii celebrationem differentes ad tempus quo sacerdos competens abesset, vel se transferentes in locum ubi sacerdos competens haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo.

1009. *Dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam.* Nil autem refert utrum a longo vel brevi tempore testis auctorizabilis absit, dummodo quando de matrimonio decisum est, prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam. Quaesitum fuit a pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos: « Utrum secundum can. 1098 ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum, sufficiat factum absentiae parochi, an requiratur etiam moralis certitudo ex notorio vel ex inquisitione parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo ». Et pontificia Commissio, die 10 nov. 1925, reposuit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Mensis autem debet esse completus, computandus modo quem diximus n. 987; hinc nuptiae coram solis testibus invalidae essent, si prudenter praevideatur sacerdotem esse reversurum una vel altera die ante expletum mensem. Posita autem hac prudenti praevisione, non ideo nuptiae coram solis testibus irritae erunt, si sacerdos competens, inito iam matrimonio, redeat ante expletum mensem.

1010. Deficiente, ut supra, teste auctorizabili, matrimonium licitum et validum est contractum coram duobus testibus, quod satis apparet ex ultimis relati canonis verbis: *salva coniugii validitate coram solis testibus.*

1011. In ultimo numero relati canonis praescribitur: « in utroque casu (scilicet sive in periculo mortis, sive extra mortis periculum), si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari, et una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus ». S. C. de Prop. Fide hac de re sequentem dedit instructionem, die 13 iunii 1625: « Districte praecipiendo mandavit, ut ad maiorem contrahentium commoditatem in diversis Iaponiae locis sacerdotes saeculares vel regulares constituat (Episcopus) cum facultate

speciali assistendi matrimoniis». At si, deficiente proprio sacerdote ac delegato, haberi poterat alius sacerdos, necesse minime erat pro validitate matrimonii ut coram eo una cum testibus celebraretur, quia nihil ad stabilitatem coniugii praesentia eius sacerdotis conferebat. S. C. Cardinalium pro negotiis ecclesiae Gallicanae specialiter deputatorum, die 22 aprilis 1795, in responsione ad 6um, declaravit in iis rerum adiunctis *conveniens esse*, ut a quolibet sacerdote catholico benedictio reciperetur.

1012. Eadem S. C. de Prop. Fide in epistola encyclica ad Episcopos et Vicarios Apostolicos in Sinis, Tungkino, Cocincina diei 23 iunii 1830, indicabat etiam modum, quo matrimonium in casu contrahi debebat: «Si missionarius adiri nequeat et ineundi matrimonii urgeat necessitas, atque aliunde nullum omnino obstet impedimentum, tali casu parentes duos testes eligant, qui, una cum sponso et sponsa eorumque propinquis ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, caritatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post haec surgentes sponsus et sponsa coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et, post actas gratias Deo, domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur. Postea vero, data opportunitate, novi coniuges et testes missionarium adeant, ut ipsi de matrimonio rite inito legitime constet, et ab eodem benedictionem accipiant».[1]

De hac benedictione, postea a proprio sacerdote petenda, infra sermo erit. Interim animadvertimus matrimonium fuisse validum, etsi hae caeremoniae servatae non fuissent: insuper testes in hisce casibus, si fieri potuisset, debuisse esse catholicos, licet etiam coram paganis testibus matrimonium initum valeret (n. 962).

1013. «Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur (sine forma canonica), sacerdos, si eidem adstiterit (n. 1011), secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare

[1] Collect. Paris., n. 994.

ut initum matrimonium in praescriptis libris quamprimum adnotetur » (can. 1103 § 3). Haec obligatio gravis est; et primo eadem tenetur sacerdos, si matrimonio adstiterit, deinde testes in solidum cum contrahentibus, si soli testes matrimonio adfuerint, ut in relato canone praescribitur. Matrimonium inscribi debet more solito, sicut inscribitur matrimonium aliorum coniugatorum; et si matrimonium contrahatur in loco ubi nulla paroecia vel quasi-paroecia est constituta, denuntiatio fiat Ordinario loci.

1014. Quaeritur utrum matrimonium valide et licite celebrari possit coram solis testibus, si sacerdos competens assistere nequeat quia lex civilis, gravibus comminatis poenis, sacerdotem ab assistentia prohibet. Ita in aliquibus statibus Americae septentrionalis lex civilis, gravibus statutis in parochum poenis, prohibet matrimonia inter personas diversi coloris (*blancs et noirs*); penes alias nationes lex civilis prohibet matrimonium religiosum ante matrimonium civile, gravibus pariter statutis poenis in parochum, qui hanc legem non servaret; vide etiam quae supra diximus n. 1002 de lege civili quae vigebat in insula Curaçao. Praestat hanc practicam quaestionem ad examen attente revocare.

1015. Praemittimus, die 31 ian. 1916, idest ante Codicis promulgationem, dum decretum *Ne temere* vigebat, S. C. de Sacramentis, propositum fuisse sequens dubium: « An et quomodo providendum sit, si lex civilis prohibet quominus parochi fidelium matrimoniis assisterent, nisi praemisso matrimonio civili, quod non semper praemitti potest ». S. C. reposuit: « Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis in quo quilibet sacerdos dispensare valeat etiam ab impedimento *clandestinitatis*, permittendo ut in relatis adiunctis matrimonium coram solis testibus valide et licite contrahatur ». Die vero 12 iulii eiusdem anni, eidem S. C. idem dubium propositum fuit, quae reposuit: « Ordinarius recurrere non dedignetur in singulis casibus iuxta decretum editum ab hac S. C. die 31 ian. 1916. Quod spectat ad praeteritum eidem Ordinario tribuitur potestas sanandi in radice matrimonia de quibus in praedictis litteris, constito tamen sibi in singulis

casibus de perseverantia consensus putatorum coniugum, ceterisque servatis de iure servandis».

1016. Promulgato Codice, eidem S. C. de Sacramentis sequens dubium propositum fuit, quod tamen eadem S. C., ratione competentiae, ad pontificiam Commissionem ad Codicis canones authentice interpretandos remisit: « An can. 1098 ita intelligendus sit ut referatur tantum ad physicam parochi ve Ordinarii absentiam ». Et pontificia Commissio reposuit die 10 maii 1928: « Affirmative ».

1017. His positis, ad propositam quaestionem redeuntes, respondemus cum distinctione: Supposita hac civili lege, si substantialis matrimonii forma servari potest, quin poena lege statuta a parocho locive Ordinario incurratur, servari debet et matrimonium coram solis testibus foret invalidum et illicitum. Ita in illis Statibus Americae Septentrionalis, si sponsi diversi coloris, qui matrimonium contrahere desiderant, possunt sive gravi incommodo pergere in Statum viciniorem, ubi prohibitio non urget, illuc pergere debent ibique matrimonium inter se forma canonica contrahere cum licentia proprii parochi vel Ordinarii pro licita matrimonii celebratione (n. 990). Pariter in aliis Statibus, si civile, ut aiunt, matrimonium possibile est, lex civilis servetur, imo parochus exigat ut sponsi prius civilem caeremoniam lege praescriptam peragant. Si, e contrario, forma substantialis servari non potest, quin testis auctorizabilis gravem poenam lege statutam incurrat, substantialis matrimonii forma non urget et matrimonium coram solis testibus foret validum et licitum, dummodo prudenter praevideatur hanc rerum conditionem esse per mensem duraturam. Haec responsio ad propositam quaestionem est conformis verbis Codicis et doctrinae, quam ante ipsam Codicis promulgationem tenuerunt SS. CC. RR. et DD. communiter. Nec contraria est ultima responsio pontificiae Commissionis, quam supra n. 1016 citavimus, si haec, quae sequitur, responsio rite intelligatur. Quaesitum fuit: « An ad physicam parochi vel Ordinarii absentiam, de qua in interpretatione diei 10 martii 1928 ad can. 1098, referendus sit etiam casus quo parochus vel Ordinarius, licet materialiter praesens in loco, ob grave tamen in-

commodum, celebrationi matrimonii assistere nequeat, recipiens et excipiens contrahentium consensum». Et pontificia Commissio reposuit die 19 iulii 1931: «Affirmative». Grave autem incommodum quod pontificia Commissio in hac responsione prae oculis praesertim habuit, erat incommodum proveniens a civili lege, matrimonium sub gravibus poenis vetante. Responsio igitur data die 10 martii 1928 ita est intelligenda, ut ad matrimonii valorem non sufficiat praesentia moralis, sed sit necessaria praesentia physica et activa (n. 980), ita scilicet ut sacerdos assistens nupturientium consensum et exquirat et recipiat ad normam rel. can. 1095 § 1 n. 3º.

§ 5. - *Quinam teneantur ad substantialem matrimonii formam servandam.*

Can. 1099. - § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur:

1º. Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt;

2º. Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento *mixtae religionis* vel *disparitatis cultus* matrimonium contrahant;

3º. Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis.

§ 2. Firmo autem praescripto § 1 n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.

1018. Omnes valide baptizati legibus ecclesiasticis obligantur, nisi aliud expresse caveatur (can. 12). Videamus igitur quinam a servanda substantiali matrimonii forma eximantur.

1019. Conc. Trid. ideo praecepit ut Decretum *Tametsi* promulgaretur in singulis paroeciis, quia hoc modo, cum credibile non esset decretum promulgandum fore in haereticorum territoriis, eorum clandestina matrimonia valida remanerent. Ex quo factum est ut plures, etiam catholici, forma tridentina

minime obligarentur, praesertim cum mixtas nuptias celebrarent. [Hac de re recolenda est celeberrima declaratio Benedicti XIV, *Matrimonia*, 4 nov. 1741, pro foederatis Statibus Belgii et Hollandiae, quae valida declaravit matrimonia tum haereticorum inter se, tum mixta sine tridentina forma celebrata. Praecipua ratio huius declarationis ex eo repetenda est quod, admissa etiam decreti tridentini promulgatione, postea in iis locis aucta erat nova haereticorum societas, quae illa promulgatione adstringi non poterat. Declaratio benedictina successive a Sancta Sede ad alia loca extensa est, nempe ad *Bavariam*, ex instructione Sedis Apostolicae, 12 sept. 1834: ad *Hungariam*, ex instructione S. C. Neg. Extr. Eccl., 30 apr. 1841; ad *Hiberniam*, ex decreto S. Officii, mense martio 1785; ad *universum Regnum Russiarum et Regnum Poloniae eidem subiectum*, ex decreto S. C. Neg. Extr. Eccl., an. 1844; ad *provincias Rhenanas sub ditione Borussiae*, ex brevi Pii VIII, an. 1830; ad *Georgiam*, ex decreto S. Officii, an. 1845. E contra pluries declaratum fuit decretum tridentinum vigere in Galliis, Italia, Hispania, etc. Decretum *Ne temere* abolevit quaslibet exemptiones a forma tridentina, excepta Const. *Provida*, 10 ian. 1906, quae valere coepit pro *Imperio germanico*, die 15 apr. 1906, et deinde extensa fuit ad *Hungariam*, dummodo uterque sponsus natus esset in Germania aut in Hungaria. Codex quaslibet exceptiones territoriales suppressit, servans exemptiones personales, quas modo exponere debemus.

1020. In § 1 rel. can. 1099 n. 1° statuitur teneri ad substantialem matrimonii formam: 1° *omnes in Ecclesia catholica baptizatos*; quinam autem dicendi sint baptizati in Ecclesia catholica, quinam extra Ecclesiam catholicam, exposuimus n. 568 seq.; 2° *et ad eam ex haeresi vel schismate conversos* hinc etiam baptizati extra Ecclesiam catholicam, si deinde convertantur ad catholicam Ecclesiam, iam tenentur substantiali matrimonii forma. Id verum est etiam de infantibus extra Ecclesiam baptizatis, et deinde a parentibus conversis in vera religione educatis, nisi infans, rationis usum vix adeptus, catholicae educationi contradixerit; 3° *licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint*; catholici a nativitate, vel ad Eccle-

siam catholicam ex haeresi vel schismate conversi, si ab eadem postea defecerint, et ad haeresim vel schisma transierint vel redierint, remanent adstricti, sicut parentes ita et infantes, ad substantialem matrimonii formam, et quidem omnes isti tenentur quoties inter se matrimonium ineunt.

1021. In n. 2º eiusdem § 1 traditur eos, de quibus sub n. 1º, teneri ad substantialem matrimonii formam, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento *mixtae religionis* vel *disparitatis cultus*, matrimonium contrahunt. Hinc hoc matrimonium, non servata canonica forma, est nullum, quia pars catholica communicat parti acatholicae ligamen et ita utraque pars tenetur, iuxta principium: *pars ligata communicat alteri suum ligamen* post decretum *Ne temere* inductum et a Codice confirmatum, dum antiquo iure valebat principium contrarium: *pars immunis communicat alteri suam immunitatem*, « propter individuitatem contractus, vi cuius exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteram, secundum etiam leges civiles, extenditur eidemque communicatur », uti ait Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. VI, cap. VI, n. 12. Hoc igitur principium a Codice correctum fuit et aliud contrarium substitutum.

1022. In n. 3º eiusdem § 1 traditur et orientales, licet exemptos a canonica latina forma, tamen ad eamdem teneri, ob mox positum principium, si cum latinis eadem adstrictis contrahunt. Ceterum quanam forma catholici orientales teneantur in matrimoniis celebrandis exponetur in Codice iuris canonici orientalis, cui conficiendo adlaborant periti.

1023. In § 2 eiusdem can. 1099 indicantur qui ad substantialem matrimonii formam non tenentur. Et 1º *firmo praescripto § 1 n. 1, eximuntur acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt.* Proinde eximuntur qui nunquam ad Ecclesiam catholicam pertinuerunt, neque per baptismum in eadem collatum neque per conversionem; 2º *Item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.* Proposito dubio « An sub verbis: *ab acatholicis*

nati, de quibus in can. 1099 § 2, comprehendantur etiam nati ab *apostatis*»; Commissio pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos reposuit die 17 febr. 1930: « Affirmative ». Et revera apostata publicus, de quo in dubio agebatur, est acatholicus. *Etsi in Ecclesia catholica baptizati*, quia baptizati extra Ecclesiam catholicam sunt acatholici qui comprehenduntur in prima parte § 2.

1024. In decreto *Ne temere* prima pars huius § 2 erat ad litteram, sed altera pars: *item ab acatholicis nati* deerat. Consultor Augustus Silj, qui iussu S. C. C. egregium votum circa decretum *Ne temere* conscripserat, eam addendam proposuerat: « Videant tamen EE. PP. an praeter non baptizatos in Ecclesia catholica, eximi etiam debeant, qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur ac haeresim profitentur, prout censuit S. C. S. Officii, die 6 aprilis 1859, declarans Const. Benedicti XIV pro Hollandia ». De qua benedictina declaratione vide supra n. 1019. Consultoris votum deinde admisit Codex atque ita factum est, ut altera pars cit. § 2, quae non erat in decreto *Ne temere*, esset in Codice.

1025. Quaesitum fuit utrum haec exemptio valeat quoque si filius natus sit a parentibus, quorum unus tantum sit acatholicus. AA. qui post Codicis promulgationem commentarium in Codicem scripserunt, fere omnes docuerunt filium in casu non comprehendi sub hac exceptione, innixi verbis canonis: *ab acatholicis* in numero plurali. E contrario, pontificia Commissio interrogata: « An *ab acatholicis nati* de quibus in can. 1099 § 2, dicendi sint etiam nati ab alterutro parente acatholico, cautionibus quoque praestitis ad normam can. 1061, 1071 », reposuit die 20 iulii 1929: « Affirmative »; quod responsum deinde confirmavit die 25 iulii 1931, declarans praecedentem responsionem fuisse mere interpretativam et nullo modo extensivam, cum pontificia Commissio non habeat nisi interpretativam potestatem et in responsione desint verba: *facto verbo cum Ssmo* aliave similia.

1026. Et merito; nam validae rationes probant verba cit. § 2: *item ab acatholicis nati* comprehendere non solum natos a parentibus quorum neuter est catholicus, sed etiam natos a parentibus

quorum unus tantum est acatholicus, et in catholica Ecclesia baptizatos, *si ab infantili aetate*... Hae rationes sequentes sunt:

1027. 1° Natus a parentibus quorum alter tantum est acatholicus: *si ab infantili aetate in haeresi ... adolevit*, in eadem conditione, quoad matrimonium, reperitur, ac natus ab utroque parente acatholico et nulla apparet differentiae ratio, qua ille canonica matrimonii forma teneatur, hic autem eximatur.

1028. 2° In can. 987, qui recenset impeditos simpliciter ad ordines, primo loco recensentur: *filii acatholicorum quamdiu parentes in suo errore permanent*; et declaratum fuit a pontificia Commissione, die 16 oct. 1919, haec verba etiam illum comprehendere, cuius unus tantum parens est acatholicus, licet matrimonium, datis praescriptis cautionibus, cum dispensatione contractum fuerit. Haec igitur interpretatio applicanda quoque est eisdem verbis: *ab acatholicis nati*, quae leguntur in cit. § 2.

1029. 3° Id confirmatur ex responsione S. C. S. Officii, diei 6 apr. 1859. Episcopus Harlemensis in Hollandia varia dubia S. C. proposuit circa intellectum benedictinae declarationis. « Primum dubium circa matrimonia mixta volvebatur, nimirum an pro intelligentia celebris Declarationis Benedictinae pro Hollandia, comprehendi possint sub nomine *haeretici* quinque sequentes classes:

« 1° Illi, *qui catholice baptizati, a pueritia nondum septennali in haeresi educantur ac haeresim profitentur*:

« 2° Qui non tam in haeresi, quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix nulla haereticae doctrinae instructione accepta et cultu non frequentato, licet aliquoties participato;

« 3° Qui adhuc pueri in manu haereticorum incidentes, haereticae sectae adiunguntur;

« 4° Apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes;

« 5° Qui nati et baptizati ab haereticis, adoleverunt quin ullam sollemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis.

« Igitur quid sentiendum sciscitatur Episcopus de istorum matrimoniis cum parte catholica initis. Addit vero inibi praxim vigere partem catholicam non inquietandi.

S. C. respondit: « Ad effectum matrimonii supranominatos comprehendi in laudata Benedicti XIV Declaratione, ideoque acquiescere debet, uti iam se fecisse affirmat ipsemet Episcopus».

Hac responsione S. C. declaravit esse exemptos a canonica forma matrimoniali *baptizatos catholice* (dub. I) in genere, sive in Ecclesia catholica sive extra Ecclesiam, praescindens a religione parentum ideoque exemptos declaravit sive natos a parentibus quorum uterque est acatholicus, sive a parentibus quorum unus tantum est acatholicus, sive a parentibus quorum uterque est catholicus, dummodo nati a pueritia nondum septennali in haeresi educentur ac haeresim profiteantur; et merito, quia in tribus illis casibus ratio Declarationis benedictinae integra urgebat. Haec cohaerent responsioni datae a pontificia Commissione, eo vel magis quod redactores Codicis prae oculis habuerunt responsionem S. C. [1]

1030. Huc usque de substantiali matrimonii forma. Conc. Trid., sess. XXIV, *De ref. matrim.*, c. 1: « parochum vel alium sacerdotem qui cum minore testium numero, et testes qui sine parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit ». Deinde vero statuit: « Quod si quis *parochus vel alius sacerdos*, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio *coniungere aut benedicere ausus fuerit*, ipso iure tamdiu *suspensus maneat*, quamdiu ab *Ordinario* eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, aut a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur». Cum vero de hac suspensionis poena Codex taceat omnino, dicendum est ex can. 6, n. 5° eam suppressam esse. At Episcopus potest, si opportunum iudicaverit, poenas latae vel ferendae sententiae statuere, ut docet etiam Sanchez, op. cit., lib. III, disp. XLVII, n. 9.

---

[1] Videat Summus Pontifex pro sua prudentia et caritate utrum expediat infantibus natis ab utroque parente catholico, qui *ab infantili aetate* ..., exemptionem a praescripta matrimoniali forma restituere, quam eis concesserat Benedictus XIV sua Declaratione, ad normam relatae responsionis S. C. S. Officii.

Articulus II.

De forma accidentali celebrationis matrimonii.

1031. Nuptiarum ritus, uti alias diximus (n. 926), consistit in illis caeremoniis Ritualis Romani, quae ipsam matrimonii celebrationem comitari solent, et in subsequenti benedictione nuptiali in Missa votiva *pro sponso et sponsa*, quae prostat in Missali. At si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retinere Conc. Trid., loc. cit., vehementer exoptavit quod et Codex rursus inculcat et Rituale Romanum circa finem monet. Ita nonnullae dioeceses, praeter illam Missalis, aliam quoque habent nuptialem benedictionem, quae extra Missam datur. Ceterum pro commoditate parochorum in qualibet dioecesi adest parvus liber qui omnia, quae agenda sunt, describit: parochus igitur illum sequatur.

Aliquando ipsae caeremoniae Ritualis appellari solent *benedictio nuptialis*, et revera continent benedictionem. At proprie loquendo haec appellatio reservatur benedictioni Missalis post initum matrimonium; nam Conc. Trid., l. c., aperte distinguit inter coniunctionem et benedictionem sponsorum, et ex Rituali Romano nullum potest esse dubium. Hinc in *Romana*, 9 maii 1893 (*Collect. authent.*, n. 3798), proposito dubio: «3° In quo consistat benedictio nuptialis»; S. R. C. reposuit: «Ad 3um: Benedictio nuptialis consistit in orationibus quae habentur in Missali: *Propitiare, Domine*, etc., et *Deus, qui potestate*, etc., dicendae ante *Libera nos*, etc., nec non *Deus Abraham*, etc., dicenda ante benedictionem». Ad confusionem evitandam benedictio Missalis a nonnullis appellatur *sollemnis nuptiarum benedictio*.[1]

Loquemur in primis de *caeremoniis Ritualis*; deinde de *sollemni nuptiarum benedictione*; quod si agatur de mixtis coniugiis, obtenta dispensatione ab impedimento *mixtae religionis* aut *disparitatis cultus*, vide quae diximus n. 462 seq.

[1] Benedictus XIV, *Inst. Eccl.*, 80, n. 9 seq.; Bangen, tit. III, p. 59; Feije, *De matr. mixtis*, pag. 250.

§ 1. - *De caeremoniis Ritualis.*

Can. 1100. - Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti.

Can. 1101. - § 1. Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

§ 2. Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere.

1032. Parochus extra casum necessitatis tenetur in matrimonii celebratione servare ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescriptos aut laudabilibus consuetudinibus receptos, ex rel. can. 1100; et pariter sponsi in suis nuptiis celebrandis easdem sacras caeremonias velle debent. Sane ritus ab Ecclesia praescripti in administratione Sacramentorum negligi sine piaculo non possunt: atqui ii sunt ritus ab Ecclesia praescripti in administratione et susceptione Sacramenti matrimonii. Etiam in secundis nuptiis, licet mulier vidua sit et benedicta, caeremoniae Ritualis servandae sunt. Omissio interrogationum sponsorum ipsam matrimonii nullitatem secumfert ex can. 1095 § 1 n. 3°; omissio omnium aliarum caeremoniarum Ritualis grave peccatum foret; aliquarum, peccatum leve. Evidens autem est omnes caeremonias licite omitti, quando matrimonium in casu necessitatis initur sine parocho coram solis testibus, vel initur coram parocho in periculo mortis, et tempus deest pro caeremoniis explendis.

1033. Quaeritur utrum in his casibus post matrimonium, si possibilitas adest, teneantur coniuges petere a parocho caeremonias Ritualis et parochus teneatur eorum petition annuere. Certe coniuges in casu optime agent petentes caeremonias et parochus eorum petitioni annuens, omissa renovatione consensus cum verbis parochi: *Ego vos coniungo...* Gravis conscientiae obligatio ex Codice non deducitur; sed sunt responsa S. C. de Prop. Fide et S. C. S. Officii, quae hanc obligationem, et quidem gravem, sonant. Citamus sequentia.

1034. Proposita fuere S. C. de Prop. Fide plura dubia, inter quae quartum ita se habet: « 4º Quando datur benedictio nuptialis iis qui iam valido matrimonio iuncti sunt, debetne recitari formula: *Ego vos coniungo in matrimonium*, sine renovatione consensus? Quid quando dubitatur (ut saepissime), an iam valide contraxerint necne? » S. C., die 5 iulii 1841, reposuit: « Ad 1am partem detur instructio an. 1806, quae est non teneri coniuges huiusmodi consensum renovare, ubi nullum adsit dubium de matrimonii iam contracti validitate ob aliquod impedimentum, neque sacerdotem recitare debere formulam: *Ego vos*, etc., sed reliqua tantum peragere, quae in Rituali Romano de benedictione traduntur. Ad 2am partem consulat probatos AA. ». [1]

1035. Et, die 29 febr. 1836, eadem S. C. scribebat ad Vicarium Generalem Nankini: « Refers nonnullos missionarios negligere nuptiarum benedictionem, et quaeris utrum ipsi compellendi sint ad nuptias benedicendas. Non ignoras in instructione super matrimoniis, quae in istis regionibus contrahuntur, absente missionario, praecipi coniugibus, et cum missionarius ad eos visitandos accesserit, coram eo se sistant ut benedictionem accipiant nuptiarum, quamvis eas iam valide contractae censeantur, ob quam causam abstinere debent a consensus renovatione. Quamobrem vides reprehensione dignum esse missionarium, qui huiusmodi benedictionem petentibus negligat impertiri. Utinam omnes his benedictionibus cumulari studerent! Facilior enim in dies evaderet via medendi scandalis, quae a clandestinis matrimoniis oriuntur ».

1036. Item in instructione diei 14 ian. 1821 eadem S. C. haec habet: « ... Contrahentes (coram duobus testibus sine parocho in casu impossibilitatis), ne Sacramenti dignitas vilescat, obligentur lege sistendi se coram missionario vel parocho quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel parochus redux, quando sibi de consensu coniugum constiterit, antequam coniuges benedicat, eos commonefaciat huiusmodi benedictionem ad ritum unice,

[1] Collect. Paris., n. 1043.

non ad validitatem pertinere coniugii, ac propterea non committat ille, ut rursus consensus per nova verba exprimatur».

1037. Et S. C. S. Officii, die 6 iulii 1817: « Hisce tamen in casibus coniugatorum dispositio se praesentandi, cum primum licuerit, proprio parocho seu vices eius obtinenti, ut nuptialem benedictionem consequantur, laudari meretur, non quidem ea de causa quod haec pro validitate ipsorum matrimonii, iam valide in eius absentia contracti, necessaria sit, sed potius ut gratias et peculiaria auxilia, sacro huic ritui adnexa, consequantur, atque statim ac valent, eoque modo quo valent, satisfaciant Ecclesiae praecepto implorandi a proprio sacerdote earum nuptiarum benedictionem, quae sine ipso iam antea initae valide fuerunt. Neque supervacaneum erit hic memorare etiam ante Tridentini irrita matrimonia clandestina reddentis decretum, matrimonii sine parocho et testibus celebrationem illicitam atque peccato obnoxiam fuisse ... Quamobrem illis in locis, ad quae Tridentini lex haud extenditur, seu quia minime publicata fuerit, aut in desuetudinem abierit, vel quod observatu impossibilis aut difficilis fuerit, matrimonium quidem, non servata conciliari forma, irritum et nullum non est: illicitum tamen atque culpabile erit ob actualem ad eam violandam comparationem respectu ad eos qui ipsius observandae, ubi opportunitas aderit, animum minime habent. Hinc factum est ut Sacra haec Congr. in instructione quam an. 1780 ad Vicarium Apostolicum Sutchuen. transmisit, dum consensus renovationem ante proprium sacerdotem haud necessariam esse declaravit, quoties matrimonium extra eius praesentiam valide contractum fuisset, simul tamen adiecerit: *Voluisse Sanctitatem Suam adhortandos esse fideles, ut missionario reduci se sistant ab eoque benedictionem petant, praevia tamen declaratione a missionario facienda benedictionem huiusmodi ad matrimonii validitatem neutiquam pertinere.* Non itaque fundamento caret opinio P. Francisci a Brenno (*Manual. Miss.*, lib. III, cap. V, quaest. 24, § 4) qui eos haud absolutionis capaces esse propugnat, qui nuptias coram parocho, ad accipiendam ab ipso nuptialem benedictionem, inire recusant, licet sine illo illiusque benedictione valide contrahere valeant, adeoque tali pacto se

prave ad recipiendam sacramentalem absolutionem dispositos ostendunt ob eam, quam gerunt, minime obtemperandi Ecclesiae, voluntatem, et quidem, ut ille ait, in re tam gravissima: unde concludit: *Nolentes autem Ecclesiae obtemperare nedum sacramentalis absolutionis incapaces sunt, utpote prava affecti voluntate, verum etiam ut ethnici et publicani ab Ecclesia merentur omnino repelli iuxta Christi D. oraculum* (Matth., XVIII)».

1038. Quod si agatur de coniugibus infidelibus, qui ad fidem convertuntur, haec gravis caeremoniarum obligatio urgenda non est, uti reposuit S. C. S. Officii. Ad dubium enim: « 1. Se siano da supplirsi le ceremonie nuziali, allorchè richiedansi dai coniugi sposati nell'infedeltà nel caso che ambedue siansi convertiti? Se siano da supplirsi le stesse ceremonie nel caso che uno dei coniugi sia battezzato e l'altro sia rimasto nella infedeltà? » [1] S. C. reposuit die 2 iunii 1860: « Ad 1um coniuges infideles, si fideles facti sint, optime facere, si Ecclesiae benedictionem recipiant; adstringi tamen ad id non debere; Ad 2um: negative ».

Modo breviter de singulis caeremoniis in specie.

1039. Matrimonium celebrari solet ante altare maius, sive, hoc impedito, ante aliud altare. Vetitum est sacristis apponere pallium seu baldachinum (S. R. C., *Collect. authent.*, n. 200).

Sponsus stat a dextris sponsae, uterque genuflexus; testes prope adstant vel iuxta vel retro post sponsos ut videre et audire possint.

In nonnullis dioecesibus adest usus ut in celebratione nuptiarum velum album explicetur super utrumque sponsum (n. 1). Hic usus est antiquissimus eumque commemorat etiam Sacra Scriptura, Ruth, III, 19, et Nicolaus I, in c. 3, c. 30, q. 5, in Decreto. Fertur S. R. C. illum prohibuisse in *Rupellensi*, 7 sept. 1850; sed hoc decretum in authenticam collectionem relatum non est. E contrario, in *De Guayana*, 15 sept. a. 1881 (*Collect. authent.*, n. 3531), proposito dubio: « VI. Num

[1] *Latine*: 1. An sint supplendae caeremoniae nuptiales cum requiruntur a coniugibus desponsatis in infidelitate in casu quo uterque convertatur? 2. An sint supplendae eaedem caeremoniae in casu quo alter e coniugibus sit baptizatus, alter remanserit in infidelitate.

consuetudo sponsi scapulas sponsaeque caput velandi in benedictione nuptiarum retinendus sit »; S. C. reposuit: « Ad 6um: affirmative ». Et in *Mexicana*, 27 febr. 1886 (*Collect. authent.*, n. 3656), ad dubium: « Num usus veli quod adhiberi solet penes Ecclesias mexicanae regionis in ritu Sacramenti matrimonii, licitus sit »; rursus censuit: « Cum S. R. C. in iis locis ubi hic vetustissimus usus viget (prout in Galliarum dioecesibus) eiusmodi ritum haudquaquam vetuerit, Archiepiscopus Mexicanus illum in sibi credita Archidioecesi servari permittat, contrariis non obstantibus quibuscumque ». At ubi haec praxis non viget, introduci nequit, inconsulta S. C. [1]

Sacerdos indutus est veste talari cum superpelliceo et stola alba. At si immediate sequitur Missa, sacerdos, praeter albam, et stolam albam, induere debet etiam albam planetam, ut reposuit S. R. C. in *Ambianen.*, 31 aug. 1863, ad 3um (*Collect. authent.*, n. 3158) et adiuvari debet uno saltem clerico, superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio defert.

De candelis accensis adhibendis nil habet Rituale Romanum; unde ex rel. can. 1100 sequi possumus consuetudinem.

1040. Iuxta nonnulla Ritualia: *a*) Sacerdos caeremonias incipit a sermone ad sponsos. Hic mos nullatenus reprobandus est; sed melius ritu romano sermo reservatur in finem, post sollemnem Missalis benedictionem. *b*) Interrogantur, iuxta praxim sacrarum ordinationum, omnes assistentes de exsistentia impedimentorum et monentur de obligatione eadem revelandi. Hic mos tolerari potest; sed minime tolerari posset interrogatio facta ipsis contrahentibus, quia ferme iniuriosa et periculosa est; proinde si alicubi haec interrogatio usu recepta est, supprimatur. [2]

1041. Statim sponsi interrogantur lingua vulgari, prius vir, deinde mulier, et uterque suum consensum exprimit verbis,

---

[1] De hac veli nuptialis antiqua et diversa disciplina, vide Rosset, n. 2928 seq.

[2] P. Wernz, n. 190, not. 271; Rosset, n. 2896; Sanchez, l. III, disp. XXXVIII, n. 10; aliique contra Veracrux. Mutata morum simplicitate, sermones qui in nonnullis Ritualibus prostant ad exemplum, e. g., in Rituali Toletano, ex integro recitari profecto non possent; melius esset eosdem expungere.

aut signis (si verbis uti nequit), ita ut parochus et testes de illo dubitare nequeant. Mutuo contrahentium consensu intellecto, sacerdos iubet eos invicem iungere dexteras, dicens: *Ego vos coniungo*, etc., vel aliis usus verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. Si plures simul nuptias ineunt, interrogationes sponsorum cum verbis: *Ego vos coniungo* repeti debent pro singulis.

De dexterarum coniunctione mentio fit etiam in c. 1, X, *De sponsa duorum*, IV, 4, et est antiquissimus ritus, significans animorum unionem.[1] S. C. S. Officii, interrogata a Vicario Apostolico Chan-Tong Merid.: « Cum manus iunctio nullatenus essentiam attingat matrimonii, cumque insuper speciatim neochristiani vix ullo modo adduci possint ut invicem iungant manus coram tot adstantibus, quippe quod moribus sinicis valde repugnat, licebitne matrimonio benedicere, omissa hac de manuum iunctione rubrica? »; reposuit, die 30 iulii 1890: « Tolerari posse et ad mentem. Mens est ut paulatim inducantur neophyti ad observantiam Ritualis Romani ». Iure particulari interdum praescribitur ut manus nudae sint; Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. I, cap. IX, a. 3, n. 7, refert quod olim in primis nuptiis manus nudae iungebantur; in secundis et ulterioribus velatae chirothecis. In nonnullis locis mos est ut iunctae manus sponsorum infima stolae parte tegantur aut ligentur; qui mos nulla censura dignus videtur et de eo mentionem habet quoque S. Isidorus in c. 1, C. XXX, q. 5.[2]

Quoad verba: *Ego vos coniungo*, etc., licet Martene, l. c., n. 6, affirmet haec verba inaudita fuisse apud antiquos, tamen illa vel alia aequipollentia inveniuntur in quibusdam antiquis libris, quos vide apud Catalanum, l. c., n. 3. In nonnullis dioecesibus in usu sunt formulae, quae melius exprimunt theologicam doctrinam de ipsis contrahentibus Sacramenti ministris. Ita, e. g., Bangen, tit. III, pag. 53, narrat in sua dioecesi Monasteriensi hanc esse formulam: *Et ego matrimonium per vos*

[1] Catalanus, *Comment. in Rit. Rom.*, tit. VII, cap. 11, § 2; Rosset, n. 2897; P. Wernz, l. c., not. 276.

[2] Rosset, l. c.; P. Wernz, l. c.; Bangen, tit. III, pag. 55-56.

contractum confirmo et ratifico in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Vide analogam formulam dioecesis Augustanae apud P. Wernz, l. c., not. 227.

1042. Sequuntur benedictio annuli aliaeque preces. Si plura matrimonia eodem tempore celebrantur, possunt in communi fieri numero plurali. S. C. S. Officii, die 1 sept. 1841, declaravit: « Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma: *Ego vos coniungo in matrimonium*, etc., nihil obstat quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia ».

In nonnullis dioecesibus non unus, sed duo annuli benedicuntur, alter pro sponso, alter pro sponsa. Alibi una cum annulo benedicitur numisma (*une médaille*), quod in memoriam initi coniugii servatur; aut etiam nummus seu moneta, imo iuxta Rituale Toletanum benedicuntur tresdecim nummi, quos sponsus in manus sponsae immittit. In *De Guayana*, 15 sept. 1881 (*Collect. anthent.*, n. 3531), ad dubium: «4° Num in sollemni nuptiarum benedictione servandus sit ritus benedicendi arrhas et duos annulos, prout in Appendice ad Rituale Romanum in Manuali Toletano praescriptus. 5° Num idem ritus servandus sit, etiamsi non sequatur Missa pro sponsis?»; S. R. C. reposuit: « Ad 4um: Nihil innovetur; ad 5um: affirmative ».

Usus, quo in mutuae dilectionis ac fidei signum annulus traditur, antiquissimus est.[1] Materia, ex qua annulus conficiendus est, non est determinata; apud Graecos est duplex annulus, unus aureus pro sponso, alter argenteus pro sponsa. Benedictio praemitti etiam potest matrimonio; nec est omittenda in secundis nuptiis, licet annulus sit benedictus in ordine ad aliud matrimonium.[2] Quando frangitur, amittitur, aut usu teritur, novus benedicitur eadem Ritualis formula.

---

[1] Rosset, n. 2900. S. C. S. Officii (Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1363), ob speciales illorum populorum mores, permisit ut in dioecesi Pondicherensi, loco annuli, benediceretur *taly*.

[2] S. R. C., *Rhedonen.*, 27 aug. 183?, ad 11.

Vir annulum benedictum, de manu sacerdotis acceptum, immittit in digitum annularem sinistrae manus sponsae; quia antiquitus invaluerat opinio ab eo digito nervum quemdam, aut, ut alii dixerunt, venam usque ad cor pergere.

Dum vir annulum digito sponsae inserit, parochus pronuntiat verba: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*[1]

§ 2. - *De sollemni nuptiarum benedictione.*

1043. Expletis Ritualis caeremoniis, si nuptiae benedicendae sunt, celebratur Missa votiva *pro sponso et sponsa*.[2] In ea sunt tres orationes, duae post orationem Dominicam, tertia post *Benedicamus Domino*; quae orationes sunt sollemnis benedictio nuptialis.

1044. Principii loco praemittimus Decretum Generale latum a S. R. C. die 30 iunii 1896 (*Collect. authent.*, n. 3922). Hoc decretum sub n. VI, *De Missis votivis pro sponsis*, ita statuit: « In celebratione nuptiarum extra diem dominicum vel alium diem festum de praecepto seu in quo occurrat duplex primae vel secundae classis, dicenda est Missa pro sponso et sponsa, in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignata. In diebus vero dominicis aliisque diebus festis de praecepto, necnon diebus duplicia excludentibus, dicenda est Missa de die cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa.

« Missa pro sponsis et in ea benedictio nuptialis fieri potest etiam in casu quo sponsi infra hanc Missam sacram communionem non percipiant.

« Eadem Missa, cum sit votiva privata, semper celebranda est etiamsi fiat in cantu, sine *Gloria in excelsis* et sine *Credo*

---

[1] In Italia, post Concordatum feliciter initum inter Sedem Apostolicam et Gubernium italicum, sacerdos, recepto utriusque contrahentis consensu, debet coniugibus declarationem perlegere, quae prostat in Alleg. XV Mod. XIV.

[2] Ex antiquissima Ecclesiae praxi sacrificium Missae in matrimonio celebratur. Ita Tertullianus, lib. II, *ad Uxorem*, scribit: « Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignatum Angeli renuntiant, et Pater ratum habet? » Rosset, n. 2849; P. Wernz, n. 141.

et cum tribus Orationibus: 1ª scilicet eiusdem Missae votivae propria; 2ª et 3ª diei occurrentis, ut in Rubricis, tit. VII, n. 3. *De commemorationibus*;[1] necnon in fine *Benedicamus Domino* et ultimo evangelio S. Ioannis.

« Temporibus vero prohibitis, nuptiae quidem celebrari possunt de licentia Episcopi, et sine sollemnitate ideoque privatim et omissis Missa et benedictione. Neque, iisdem temporibus, commemoratio pro sponsis fieri potest in Missa occurrente (de qua re vide etiam n. 1058 seq.).

« Verum ex decreto generali S. R. U. Inquis., dato die 31 aug. 1881, benedictio nuptialis impertienda est extra tempus feriatum iis coniugibus, qui eam quacumque ex causa non obtinuerint, Missaque pro sponso et sponsa simul celebranda diebus praescriptis, ut supra.

« Benedictio enim nuptiarum in Missali posita, si sponsi eam petierint (ceterum ad eam non adigendi, bene tamen adhortandi) ab ipsa Missa pro sponso et sponsa abstrahi numquam potest, sed infra eam omnino fieri debet.

« Notandum est tamen, quod si mulier est vidua et alias benedicta fuerit, omittenda est tam benedictio nuptiarum, quam Missa propria pro sponso et sponsa.

« Non obstantibus decretis quibuscumque particularibus in contrarium facientibus, quae per hoc Generale Decretum uti revocata ac nullius roboris habenda esse S. R. C. declarat ».

1045. Igitur in primis sollemnis nuptiarum benedictio nequit abstrahi a Missae celebratione et dari extra Missam, non ostante contraria consuetudine. Praeter citatum Generale Decretum vide etiam *Limburgen.*, 23 iunii 1853 (*Collect. authent.*, n. 3016), *Romanam*, 9 maii 1893 ad 4um (*Collect. authent.*, n. 3798), etc.

Nonnullae tamen dioeceses privilegium a Romano Pontifice obtinuerunt ut hanc benedictionem extra Missam dare valeant; e. g., hoc privilegium concessum fuit an. 1865 ad instantiam

---

[1] Eadem S. C. in *Civitatis Castelli seu Tifernaten.*, 28 iulii 1832 (*Collect. authent.*, n. 2693), ad 4um declaravit in Missa pro sponso et sponsa dicenda in diebus Rogationum faciendam esse earumdem commemorationem, iuxta decretum generale diei 3 martii 1818.

Patrum Concilii Provincialis Quebecensis III, quod celebratum fuit ann. 1863. Haec particuliaria privilegia per relatum Generale Decretum revocata non fuerunt.

S. R. C. in *Limburgen.*, 23 iunii 1853, minime probavit aliam nuptialem benedictionem, praeter benedictionem Missalis.

1046. Porro haec Missa cum adnexa benedictione non semper celebrari potest. Nimirum:

a) S. R. C. in relato Decreto Generali, ab initio, tradit quibus diebus Missa pro sponsis celebrari potest, vel non. Huc spectat etiam eiusdem S. C. responsio in *Derthonen.*, 20 aprilis 1822 (*Collect. authent.*, n. 2619):

« Cum per decretum generale Sacrae huius Congreg. (*Collect. authent.*, n. 2619) dies designentur, quibus Missa pro sponso et sponsa prohibetur etiam diebus excludentibus duplicia per annum, ideoque etiam infra Octavam Epiphaniae, in Vigilia Pentecostes, et infra Octavam privilegiatam Ssmi Corporis Christi; idem parochus petit declarari:

« 5° An huiusmodi Missa dici possit diebus duplicia excludentibus, ut supra notatis;

« 6° An commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda, prouti ex dicto decreto, in Missis de duplici primae vel secundae classis, dici debeat sub unica conclusione cum oratione festi, vel sub altera conclusione;

« 7° An talis commemoratio pariter dici debeat, sub unica vel sub altera conclusione, prouti solet de aliis commemorationibus occurrentibus in diebus Dominicis et festis de praecepto;

« 8° Quo loco, quando aliae occurrunt commemorationes, ut in proximo quaesito, commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda sit sub secunda conclusione? ».

S. C. reposuit:

« Ad 5um: negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecostes et Octavam privilegiatam Ssmi Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar Octavae Epiphaniae.

« Ad 6um: negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

« Ad 7um: ut in praecedenti.

« Ad 8um: faciendam primo loco post alias de praecepto ».

b) Tempore feriato haec Missa celebrari nequit; imo nec commemoratio Missae pro sponso et sponsa in Missa occurrenti fieri hoc tempore potest.

c) Archiepiscopus Quebecensis, 23 sept. 1817, postulavit a S. C. de Prop. Fide: « An concurrente eodem die matrimonii celebratione ac defuncti funere, quae duo ad alium diem differri non possunt, praestet potius Missam celebrare pro sponsis, vel pro mortuo, benedictione nuptiali sponsis absque Missa impertita? » S. C. reposuit: « In praeposita concurrentia Missam pro sepeliendo defuncto esse celebrandam ». Vide etiam infra n. 1048 similem S. C. S. Officii responsionem.

d) Tandem si mulier hanc nuptialem benedictionem in priori matrimonio iam receperit, repeti nequit, ut expresse statuitur in citato Decreto Generali; de qua re rursus infra redibit sermo.

1047. Haec Missa pro sponso et sponsa celebranda est a proprio contrahentium parocho vel ab alio sacerdote de parochi aut Ordinarii proprii licentia, ex rel. can. 1101 § 2, reprobata a Conc. Trid., l. c., quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel quocumque privilegio non obstante, nisi proprius parochus desit.

Huc spectat responsio S. C. C., in *Ilerdensi*, 24 maii 1785. Ex consuetudine immemorabili parocho cathedralis ecclesiae Ilerdensis ius erat matrimoniis benedicendi initis in tota dioecesi. Episcopus in visitatione id prohibuerat. Proposito dubio: « An standum sit decreto Episcopi, in sacra visitatione posito, statuenti quod matrimonia benedicantur a propriis parochis, quorum est matrimoniis interesse, an vero consuetudini immemorabili de benedicendis matrimoniis a solo parocho cathedralis »; S. C. reposuit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius ».

Quod si sponsi domicilium mutaverunt post initum matrimonium ante nuptialem benedictionem, illamque modo petunt, Fagn. in cap. 3. *De secundis nuptiis*, n. 3, docet benedictionem dandam esse a novo parocho proprio.

1048. At sacerdos celebrans non tenetur Missam applicare pro sponso et sponsa, nisi ab iisdem eleemosynam receperit,

prouti pluries Sacrae Cong. declaraverunt. Ita S. C. S. Officii, die 1 sept. 1841, rescripsit: « 1° Sacerdotem non teneri Missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat; 2° In eadem Missa posse sacerdotem plures sponsos benedicere; 3° Ab eodem sacerdote celebrante aspergendos esse aqua benedicta sponsos ante altare genuflexos, non autem ab alio sacerdote; 4° Non licere sponsos benedicere in Missa defunctorum, sed potius transferendam esse benedictionem ad alium diem ». Ita etiam S. C. de Prop. Fide, die 10 ian. 1837, et die 7 iunii 1853.

1049. Hanc Missam cum benedictione esse potius de consilio quam de praecepto, patet ex relato Generali Decreto; et Codex in rel. can. 1101 § 1 confirmat: « Parochus *curet* ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant ». Neque ulla consuetudo hoc consilium, in ipsa rei convenientia maxima fundatum, supprimere potest. Conc. Trid., l. c., *hortatur* coniuges ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent; et Rituale Rom. cohaerenter tradit: « *Moneat* parochus coniuges, ut, ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, nec matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis vel aliis praesentibus ». Proinde si coniuges post celebrationem matrimonii iuxta Rituale Romanum, ante benedictionem cum Missa, cohabitant et matrimonium consummant, nullum peccatum proprie loquendo admittunt, neque mortale neque veniale, uti docet cum plerisque S. Alphonsus, lib. VI, n. 984.

1050. Praestat ut sponsi hanc sollemnem benedictionem in ipsa matrimonii celebratione recipiant; sed si, quacumque demum ex causa, eam non receperint, haec Missa pro sponsis cum benedictione potest etiam postea celebrari; quod Codex, l. c., expresse docet, addens relatis verbis: « quae dari eis (sponsis) potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato ». S. R. C., id tradens in relato Decreto Generali, citat Generale Decretum S. C. S. Officii diei 31 aug. 1881, quod est sequens: « Benedictionem nuptialem quam exhibet Missale

Romanum in *Missa pro sponso et sponsa* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, iuxta rubricas et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu iam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper *hortandos* esse eosdem coniuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et sollemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere coniugii». Etiam aliae Ss. Congr. non semel idem tradiderunt. Ita, e. g., propositum fuit S. C. de Prop. Fide sequens dubium: «Sancta Sedes hortatur fideles ad supplendam benedictionem nuptialem parochi in matrimoniis clandestine celebratis. Quaeritur utrum intendatur sola benedictio sollemnis quae habetur in Missali, an vero etiam benedictio annuli?» S. C. reposuit, die 10 febr. 1801: «Affirmative in omnibus».[1]

1051. Demum in *Lavantina*, 21 martii 1874 (*Collect. authent.*, n. 3229), ad dubium: «Num Missa votiva pro sponso et sponsa dici et in ea benedictio fieri possit etiam in casu quo sponsi infra hanc Missam sacram communionem non percipiant»; S. R. C. reposuit: «Affirmative; curent tamen parochi et animarum rectores adhortari fideles nupturos ut in Missa in qua nuptiales benedictiones impertiuntur, communicent». Quam resolutionem confirmavit etiam in *De Guyana*, 15 septembris 1881, ad 7um (*Collect. authent.*, n. 3531), et in Generali Decreto supra relato.

Scholion.

De matrimonio conscientiae.

1052. Matrimonium *conscientiae* seu *secretum* multipliciter dicitur, ut exponit Benedictus XIV, *Quaest. can.*, 397, in adnotationibus circa matrimonia conscientiae, et *De Syn.*, lib. XIII,

[1] Collect. Paris., n. 1035.

cap. XXIII, n. 12. Modo intelliguntur ea matrimonia, quae, dispensatis publicationibus, secreto celebrantur coram parocho proprio, aut alio sacerdote ab Ordinario delegato, et duobus testibus familiaribus; qui omnes secretum servare debent, et ideo matrimonium *conscientiae* seu *secretum* appellatur.

1053. Hoc matrimonium validum esse per se patet, cum forma substantialis servata sit, imo et accidentalis, idest Ritualis. Est quoque licitum si contrahatur cum Ordinarii permissione, servatis servandis. Cum vero gravia mala ex eodem sequi facile possint, quae describit Benedictus XIV in Const. *Satis Nobis*, 27 nov. 1741, hinc laudatus Pontifex in hac Constitutione cautelas assignat, prudentia plenas, servandas in hoc matrimonio permittendo.

1054. Hanc Constitutionem benedictinam, quae prostat in Alleg. IX, Codex servavit, ita praescribens:

« Can. 1104. - Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa et ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario Generali sine speciali mandato, permitti potest ut matrimonium conscientiae ineatur, idest matrimonium celebretur omissis denuntiationibus et secreto, ad normam canonum qui sequuntur.

« Can. 1105. - Permissio celebrationis matrimonii conscientiae secumfert promissionem et gravem obligationem secreti ex parte sacerdotis assistentis, testium, Ordinarii eiusque successorum, et etiam alterius coniugis, altero non consentiente divulgationi.

« Can. 1106. - Huius promissionis obligatio ex parte Ordinarii non extenditur ad casum quo vel aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat, vel parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant, vel christianam filiorum educationem negligant.

« Can. 1107. - Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 ».

CAPUT VI.

DE TEMPORE ET LOCO QUO MATRIMONIUM CELEBRARE LICET

Articulus I.

De tempore quo matrimonium celebrare licet.

Can. 1108. – § 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.

§ 2. Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive.

§ 3. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.

1055. Principii loco statuendum est, iure Codicis, matrimonium, quocumque anni tempore celebratum, esse validum et per se licitum. Id expresse traditur in rel. can. 1108 § 1, et ante Codicem tradidit Caelestinus III in c. 4, X, *De feriis*, II, 9, et cohaeret Rituale Rom. in Rubrica: *De Sacramento matrimonii*: «Matrimonium omni tempore contrahi potest». At post ultimam matrimonii publicationem aliquod temporis spatium parochum exspectare debere, diximus n. 184.

1056. Hinc etiam tempore clauso, matrimonium sine ulla Ordinarii permissione, celebrari potest; tempore enim clauso, una sollemnis Missalis benedictio prohibetur (n. 1044). In aliquibus locis ex consuetudine vel particulari lege ipsum matrimonium prohibetur tempore clauso; sed hanc consuetudinem vel particularem legem per Codicem correctam fuisse, palam est.

1057. Per tempus autem *clausum* seu *feriatum* «olim ea tempora designabantur a Septuagesima usque in octavam Paschatis, item tribus hebdomadis ante festum S. Ioannis Ba-

ptistae, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam, can. 10, c. 33, q. 4. Quod dicitur de tribus hebdomadis ante festum S. Ioannis Baptistae, intelligendum est de tribus hebdomadis, quae incipiunt ab hebdomada dominicae Ascensionis et finem habent hebdomada quae sequitur sollemnem diem Pentecostes, quemadmodum definitum videtur in cap. 4, *De feriis*; ex quo praeterea deducitur varios fuisse ritus et consuetudines »; Berardi, tom. III, diss. 5. Conc. Trid., sess. XXIV, *De ref. matrim.*, c. 10, ita hoc tempus limitavit: « Ab Adventu D. N. I. C. usque in diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas sollemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus praecipit; in aliis vero temporibus nuptias sollemniter celebrari permittit; quas Episcopi ut ea, qua decet, modestia et honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium et sancte tractandum ».

1058. Codex vero tempus feriatum adhuc magis limitavit, ut patet ex rel. can. 1108 § 2. Iure igitur Codicis tempus feriatum incipit a media nocte ante Dominicam primam Adventus et diem Cinerum, et finitur media nocte post festum Nativitatis et Paschatis.

1059. Ratio prohibitionis est quia haec sunt sacratiora anni tempora quibus Ecclesia desiderat ut toti vacemus vel poenitentiae vel spirituali laetitiae, a quibus profecto nuptiarum sollemnitates nimium animos distraherent. Cum vero haeretici asserere non dubitarent hanc prohibitionem superstitione infici, eos S. Synodus damnat, l. c., can. 11: « Si quis dixerit prohibitionem sollemnitatis nuptiarum, certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, a. s. ».

1060. Hoc igitur tempore matrimonium contrahi licite potest, sed sine sollemni Missalis benedictione, quam tamen « Ordinarii locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus... permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant » rel. can. 1108 § 3. *Ex iusta causa*, in singulis casibus perpendenda, quae prudentiae eius-

dem Ordinarii remittitur. *Salvis legibus liturgicis*; quas supra n. 1044 seq. retulimus. Hic addimus responsionem datam a S. R. C. in Montis Pessulani, 31 aug. 1839 (*Collect. auth.*, n. 2797); nam propositis dubiis: « 1° Quando nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debetne fieri commemoratio Missae pro sponso et sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunionem?; 2° Licetne recitare supra sponsos preces seu orationes in Missali positas post orationem Dominicam et *Ite, Missa est*? 3° Quando praedictae orationes non sunt recitatae in Missa nuptiarum, debentne extra Missam, elapso tempore prohibito?». S. R. C. reposuit: « Serventur rubricae Missalis ac generalia memorata decreta quibus edicitur, ut, quoniam, temporibus ab Ecclesia vetitis, locum habere nequit sollemnis benedictio nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro sponso et sponsa in Missa occurrente, neque orationes resumendae extra Missam, tempore prohibito iam elapso».

1061. Codex in rel. can. 1108 § 3, permissa ab Ordinario sollemni nuptiarum benedictione, addit parochum sponsos monere debere ut *a nimia pompa abstineant*. Antiquo iure videtur prohibita fuisse tempore clauso sponsae in domum viri traductio, licet sollemnis benedictio permissa fuerit; imo ipsa matrimonii consummatio. Haec omnia ius posterius mitigavit et Codex tantum commemorat monitionem ad sponsos ut a nimia pompa, clauso tempore, abstineant. Hinc hodie convivia permittuntur, quae matrimonii naturalis quaedam sequela sunt, et tantum erit culpa levis vel gravis, si excessus verificetur; idem dicatur de aliquali pompa in sponsae deductione in domum mariti.

1062. Leges et consuetudines particulares saepe praecipiunt, matrimonium nonnisi matutino tempore celebrari. Et merito: tum quia experientia docet, si matrimonii celebratio ad vespertinum usque tempus protrahatur, inter rudes et agrestes non raro accidere, ut comitatus iam fere inebriatus ad ecclesiam accedat; tum quia laudabilis illa et antiquissima consuetudo, qua nuptiae inter sacrosanctum Missae sacrificium benedicuntur, omnino evanescit.[1] Etiam S. Carolus Borro-

[1] Bangen, tit. III, pagg. 56-57.

maeus pro dioecesi Mediolanensi idem sanxit. Alicubi nobiles permittuntur vespere nuptias inire; sed parochus curet ut omnes mane ad ecclesiam accedant. In Galliis lex civilis, sub gravibus poenis exigens civilem caeremoniam ante matrimonium religiosum, efficit ut hoc saepe nonnisi paulo ante vel post meridiem celebrari in ecclesia possit: cuius rei tristes effectus omnes deplorant.[1]

1063. Praeterea aliquando iure particulari prohibetur ne matrimonia fiant diebus Dominicis aliisque festis, quia non modo cultus divinus per nuptiales caeremonias facile perturbatur, sed occasio quoque praebetur, qua comitatus a debita festorum celebratione detineatur, imo per compotationes et saltationes iniuria sanctis diebus et scandalum fidelibus ingeratur.[2] At posito etiam hoc particulari iure, iusta causa facile poterit ab eodem excusare.

Articulus II.

De loco celebrandi matrimonii.

Can. 1109. – § 1. Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit.

§ 2. Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii sive religiosarum Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis.

§ 3. Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius pru-

---

[1] Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, etc., v. *Matrimonium*, art. IX, n. 55, refert declarationem S. C. C. in *Neapolitana*, die 18 aug. 1663, quae tradere videtur Episcopum non posse prohibere ne matrimonium contrahatur *post occasum solis* aut per procuratorem; sed haec declaratio, casum particularem respiciens, ius Episcopo non adimit. Cf. P. Wernz, n. 184, not. 245.

[2] Bangen, l. c.

denter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102 § 2.

1064. Fidelium matrimonia semper in ecclesia celebrari consueverunt, ut exponit Rosset, op. cit., n. 2880; et quidem in ecclesia paroeciali; cum enim sit Novae Legis Sacramentum et sponsi a proprio parocho benedictionem recipere debeant, congruum erat ut nuptiae in paroeciali ecclesia celebrarentur. Attamen iure antiquo non erat lex scripta quae id praeciperet, nisi pro lege haberetur consuetudo ubique vigens; et non deerant AA. qui cum Barbosa docebant Episcopos sive solos sive in synodo adunatos prohibere non posse, ne matrimonia in domibus privatis celebrarentur.

1065. Codex in rel. can. 1109 § 1 hanc legem tulit, statuens matrimonium inter catholicos celebrandum esse in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi. Nonnulli censent esse veniale sine huiusmodi licentia matrimonium celebrare in alia ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico. In ecclesiis vero vel oratoriis sive Seminarii sive religiosarum parochus non potest permittere matrimonii celebrationem neque loci Ordinarius, nisi urgente necessitate ac opportunis adhibitis cautelis, ex rel. can. 1109 § 2. *Urgente necessitate*, si, e. g., nulla alia ecclesia praesto foret. *Opportunis adhibitis cautelis*, ut scilicet nullum damnum aut spirituale periculum ex nuptiali caeremonia sequatur Seminarii alumnis aut religiosis. Hoc vetitum extendi potest ab Ordinario, in casibus particularibus, ad domos pias quascumque ideoque etiam ad domos sodalium in communi viventium sine votis.[1]

1066. In aedibus vero privatis locorum Ordinarii matrimonium celebrari permittere tantum possunt in extraordinario aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa, ex rel. can. 1109 § 2. Haec prohibitio valet, licet in domo privata adsit oratorium domesticum cum privilegio celebrationis

[1] Cappello, op. cit., n. 728.

Missarum, sed hoc in casu minor causa sufficere potest. Propositis dubiis: « 1° An, extra casum infirmitatis gravissimae in alterutro ex contrahentibus, celebrari possit matrimonium in privata domo ante altare ad hoc specialiter erectum? 2° An extra dictum casum in oratoriis privatis in quibus Missa celebratur? 3° An Missa nuptialis in dictis oratoriis celebrari possit? ». S. R. C., in *Barcinonen.* (*Collect. authent.*, n. 3265), die 31 aug. 1872 reposuit: « Ad 1um: providebitur in sequenti. Ad 2um: matrimonium in facie Ecclesiae, seu in ecclesia, maxime celebrari decet. Haud tamen vetitum est locorum Ordinariis, ut, si nullum immineat periculum, ac laudabiles concurrant causae, illud celebrari quandoque pro sua prudentia permittant in privatis oratoriis, in quibus sacrum fieri valeat. Ad 3um affirmative, servatis rubricis ». At matrimonium celebrari licet, prout experientia ipsa docet, in cappella palatii episcopalis vel Nuntii aut Delegati apostolici aut Cardinalis, ex privilegio quod eisdem a Sede Apostolica concedi solet.

1067. Quae huc usque diximus exceptionem patiuntur; nam matrimonia mixta inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrari debent ex rel. can. 1109 § 3 nec Episcopus hac super re dispensare potest, nisi in casu quo graviora mala timeantur et servato praescripto can. 1052 § 2.

Scholion I.

De secundis nuptiis.

Can. 1142. - Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae validae et licitae sunt, firmo praescripto can. 1069 § 2.

Can. 1143. - Mulier cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere.

1068. Doctrina catholica est secundas et ulteriores nuptias (polygamiam vel polyandriam successivam) esse licitas, at simul esse minus honorabiles, quam primas et quam castam viduitatem, sive quia indicant quamdam concupiscentiae immoderantiam, sive quia non bene referunt imaginem unionis Christi cum Ecclesia et primi matrimonii in paradiso terrestri.

Haec fusius theologi ostendunt ex S. Scriptura et ex traditione et Codex tradit expresse in rel. can. 1142.

1069. Nobis sufficiat duo animadvertere, de quibus agitur X, *De secundis nuptiis*, IV, 21.

1° Si benedictio in primo matrimonio data fuit, haec repeti in altero matrimonio nequit, sive mulier sive vir ad secundas nuptias transeat, ex c. 3, cit. tit. Est autem aliqua differentia: nam si mulier transit ad secundas nuptias et in primis fuit benedicta, haec benedictio cum Missa pro sponso et sponsa repeti numquam potest, et contraria consuetudo reprobanda est. In *Aquen.*, 3 martii 1761 (*Collect. authent.*, n. 2461), quaesitum fuit: « 1° Si mulier sit vidua et iam benedictionem acceperit, debetne omitti Missa pro sponso et sponsa, ut omittendae sunt benedictiones infra eam descriptae post orationem Dominicam, et *Benedicamus Domino*? ». S.R.C. reposuit: « Ad 1um: Si mulier est vidua non solum debet omitti benedictio nuptiarum, sed etiam Missa propria pro sponso et sponsa ».[1] Quod si mulier, transiens ad secundas nuptias, non fuerat in primis benedicta, per se nil impedit quominus haec benedictio detur. Hinc S. C. S. Officii ad dubium: « Utrum gentiles mulieres nuptae vel viduae vel notorie corruptae, quae, ex gentilitate conversae, christianum recipiunt matrimonium, possint recipere benedictionem nuptialem intra Missam? » reposuit, die 1 febr. 1871, *affirmative*. Quod si vir transit ad secundas nuptias et fuit in primis benedictus, haec benedictio repeti potest tantum, si id ferat loci consuetudo.[2]

1070. 2° Iuxta iuris romani dispositionem, quam recentiores legislationes sequuntur, non permittebatur mulieribus alterum matrimonium, nisi post annum luctus; et prius nubentes infamia mulctabantur, aliisque insuper poenis plectebantur, l. 1, Dig. *De his qui notantur infamia*, II, 1, et l. 1, Cod., *De secundis nuptiis*, V, 9. Ratio est: « Ne turbaretur sanguis et de prole dubitaretur »; ut ait Glossa, cap. 4, cit. tit., v. *legalis infamia*. Ecclesia ad vitandum incontinentiae periculum sustulit neces-

[1] Collect. Paris., n. 1032.

[2] Scavini, tom. III, n. 954, et ita expresse Rituale Rom.

sitatem anni luctus, licet hic conveniens omnino sit, et moribus sit receptus. Hinc Urbanus III, cit. c. 4 cit. tit., ait: « Super illa quaestione, qua quaesitum est an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus secundum leges definitum; respondemus, quod cum Apostolus dicat: *mulier, viro suo mortuo, soluta est a lege viri sui; in Domino nubat, cui voluerit*, per licentiam et auctoritatem Apostoli, eius infamia aboletur ». Eademque repetit Innocentius III, c. 5, cit. tit.

1071. De irregularitate, quae ex bigamia oritur, in alio Tractatu agitur; de probatione mortis prioris coniugis, ut secundae nuptiae permitti valeant, vide n. 561 seq.

Scholion II.

De libro matrimoniorum.

Can. 1103. – § 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2. Praeterea, ad normam can. 470 § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.

§ 3. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

1072. Liber matrimoniorum est unus ex libris paroecialibus, quos parochus conscribere et diligenter asservare debet ex can. 470 § 1. Conc. Trid., sess. XXIV, *De ref. matrim.*, c. 1, praescribit: « Habeat parochus librum in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat ». Hoc Concilii Tridentini praescriptum Codex rel. can. 1103 et confirmavit et melius determinavit; quem canonem modo exponere debemus.

1073. Omnes admittunt parochum, qui librum matrimoniorum non habet, aut matrimonia, imo vel unum matrimonium, in eo inscribere negligit, peccare mortaliter.[1] Imo Baruffaldo, l. c., docet: « ... Puniendus est (parochus) gravi mulcta, quia, praeter peccatum mortale commissum in re gravis momenti ob spretum decretum Concilii..., infert grave damnum tertio, et tenetur ad damna et interesse, quae parochianis ex tali negligentia et respective omissione obvenirent...; atque ideo parochiani habent actionem contra parochum ex quasi contractu, qui dum acceptavit officium cum honoribus et oneribus, quasi sit mercede conductus, tenetur; unde in utriusque commodum suscepit officium; ac propterea tenetur non solum de lata, sed etiam de levi culpa... Sicut tutor, qui ex negligentia damnificavit pupillum, tenetur ad interesse, l. *nisi eam*, l. *si tutoris*, ff. *De adm. tut.* ».

Haec obligatio parochum aeque manet, etsi magistratus quoque civilis eumdem matrimoniorum librum servet. Debet, inquam, parochus habere *librum*: unde non sufficiunt folia abrupta et volantia, quibus nulla tribuitur auctoritas, cum non videantur esse sub custodia.

1074. Ad normam igitur rel. can. 1103 § 1 celebratum matrimonium inscribi debet in libro matrimoniorum. Parochus vel qui eius vices gerit, describere debet in matrimoniorum libro nomina parochi vel Ordinarii, aut sacerdotis delegati, qui matrimonio assistentiam praestitit, coniugum ac testium, locum ac diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum. Hanc autem inscriptionem firmare deinde debent parochus, vel Ordinarius aut sacerdos delegatus, coniuges, et testes; alii autem addi possunt, si ita coniuges desiderant. Obligatio inscribendi matrimonia in libro matrimoniorum gravis est.

1075. Haec insuper inscriptio fieri debet *quamprimum*, celebrato matrimonio, idest statim post eius celebrationem, aut certe intra tres vel quatuor dies. Laudabilis mos est, quo pa-

[1] Bangen, tit. III, pagg. 71-72; Monacelli, t. I, tit. XI, for. 8, n. 7; Baruffaldo, *Comm. in Rit. Rom.*, tit. 42, n. 82; Rosset, n. 2937.

rochi librum tenent in sacrario, ita ut vix ac matrimonium celebratum sit, coniuges aliique pro firmanda inscriptione illuc accedant. Obligatio inscriptionem faciendi quamprimum per se levis est, ita ut, secluso periculo illam omittendi, etiam longior dilatio culpam venialem non excedat, at lethaliter peccaret parochus qui gravi periculo adnotationem praetermittendi sese exponeret.

1076. Non solum in libro matrimoniorum, sed etiam in libro baptizatorum parochus adnotare debet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse, ex rel. can. 1103 § 2 et can. 470 § 2 (n. 137). Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat ut matrimonium in baptizatorum librum referatur, ex rel. can. 1103 § 2. Tandem si matrimonium initum fuit ad normam can. 1098, quinam curare debeant eiusdem inscriptionem in utroque libro, vide n. 1013.

1077. Quid vero si parochus neglexit matrimonia in librum referre, aut liber periit, e. g., incendio combustus? Et quidem si ipse parochus memoria retinet matrimonium contractum cum sponsorum ac testium nominibus, cui forte ipse adstitit, iam poterit in consuetum vel novum librum illud inscribere. Secus S. C. C., die 19 sept. 1684, decrevit: « Ut accepto illorum testimonio qui praesentes adfuerunt, cum matrimonium celebratum fuit, et elicito a coniugibus iureiurando de matrimonii iam contracti veritate, in consuetum (vel novum) librum parochus referat matrimonium ». At in hoc casu parochus consulat Ordinarium omniaque de illius mandato agat.[1]

1078. Obligatio inscribendi matrimonium in libris paroecialibus habet exceptionem in matrimonio conscientiae, quod inscribi debet non in libris matrimoniorum et baptizatorum, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo, ex can. 1107 (n. 1054).

1079. Libros paroeciales parochus debet apud se, vel etiam in sacrario, sub clavibus tamen, custodire, ne quis valeat

[1] Bangen, l. c., pagg. 73-74.

illos quoquo modo corrumpere, ut expresse praecipit Conc. Trid., l. c.; S. C. C. in *Carpentoraten.*, die 15 sept. 1781, ad 3um, definivit custodiam librorum paroecialium ita privative spectare ad curatos seu vicarios curatos cathedralis, etiamsi ii ad nutum amoveri possent a capitulo cui inerat cura animarum habitualis et actualis, ut iidem libri nec etiam custodiendi essent sub duabus clavibus, quarum saltem altera retineretur a capitulo, una enim parochorum clavis satis erat. In fine autem cuiuslibet anni parochus authenticum exemplar librorum paroecialium ad Curiam episcopalem transmittere debet, excepto libro de statu animarum, ex can. 470 § 3.

1080. Libri paroeciales legitimam constituunt probationem, dummodo fides extracta sit e libro de verbo ad verbum, sicut iacet; secus attestatio parochi, quibuscumque verbis concepta, non probat. Barbosa, l. c., docet quod parochus teneatur: « De illis fides facere necessarias, et potest accipere pro sua mercede illud, quod in loco solitum est dari: si vero solitum est fieri gratis et ipse faciet; quia S. C. negotiis EE. et RR. praeposita Episcopo *Cavensi*, sub die 3 iunii 1604, rescripsit nihil pro huiusmodi fide recipi posse... ».

Scholion III.

De temporalibus parochi iuribus pro assistentia matrimonio praestita.

1081. Ius antiquum nihil hac in re determinavit. Imo in cc. 8, 9, 28, X, *De simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, V, 3, prohibetur aliquid exigere pro benedictionibus matrimonialibus, sed Innocentius III, in c. 22, cit. tit. simul praecipit servandas esse laudabiles consuetudines, quibus fideles aliquid offerebant.

Codex rem melius definivit. Nam ex can. 1507 § 1 praefinire huiusmodi taxas in tota provincia ecclesiastica solvendas, est Concilii Provincialis aut conventus Episcoporum provinciae, sed nulla vi huiusmodi definitio pollet, nisi prius a Sede Apostolica probata fuerit; deficiente autem hac definitione, standum est locorum consuetudini aut dioecesano decreto, ut

tradidit S. C. C. die 10 iunii 1896. Emolumenta sibi debita parochus exigere potest, etsi ex peculio privato habeat unde vivat; et fideles illud solvere tenentur, ita tamen ut vere pauperes eximantur a quibusvis expensis. At ultra id parochus nil exigere potest sine simoniaca labe ideoque ad restitutionem tenetur, ex can. 463 § 2, licet sponte oblatum possit acceptare. Quod si fideles aliquid extraordinarium et indebitum petant, e. g., Missam sollemnem, applicationem Missae pro sponso et sponsa, etc., pro eo speciale stipendium solvi debere evidens est.

1082. Iura temporalia exclusive ad parochum pertinent, non obstante quacumque consuetudine, cum matrimoniorum assistentia pertineat ad actus paroeciales, ex can. 1097 § 3: « Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat »; idque etsi, parocho impedito, actus paroeciales praestet capellanus, qui, ut parochum adiuvet et suppleat, annuum habet stipendium, nisi specialis ea de re conventio inita fuerit.

Si sponsi ad diversam paroeciam pertinent, iura pro assistentia matrimonio pertinent ad parochum sponsae, qui assistere ex receptis moribus solet: quique si parochus sponsos ad alium sacerdotem, iuxta eorum votum remittit, iura temporalia sarta tectaque habere debet, nisi loci consuetudo aliud ferat.

Curiae episcopali pro inito matrimonio nulla temporalia debentur; utrum aliquid percipere valeat pro concessa dispensatione, vide n. 386.

CAPUT VII.

DE INDIVIDUA VITAE CONSUETUDINE

1083. Huc usque de matrimonio ineundo egimus. Si initum matrimonium est validum, statim enascitur individua vitae consuetudo, quae est matrimonium *in facto esse*, et de qua modo agendum est. Diximus n. 6 hanc vitae consuetudinem essentialiter esse vinculum seu ligamen matrimoniale; quod in normali rerum statu sequitur communio tori, mensae et habitationis, nec non unio aliqua bonorum et voluntatum.

Loquemur in primis de vitae consuetudine coniugum in se spectata, scilicet tum praesertim de matrimoniali vinculo, tum de communione tori, mensae et habitationis inter coniuges; deinde de huius vitae consuetudinis solutione, idest de divortiis. Nam de unione bonorum inter maritum et uxorem pertractat ius civile. De aliis obligationibus mariti erga uxorem et prolem, uxoris erga maritum et prolem, confer moralistas.

Articulus I.

De vitae consuetudine inter coniuges in se considerata.

§ 1. - *De vinculo matrimoniali.*

Can. 1110. - Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert.

Can. 1111. - Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae.

1084. *Coniugale vinculum* seu *ligamen*, quod oritur ex valido contractu matrimoniali, consistit, prout diximus n. 6, in iure mutuo, exclusivo et perpetuo cum relativa obligatione

in corpus alterius in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (rel. cc. 1010-1011); hoc enim iure cum relativa obligatione una pars moraliter alteri *ligatur*, ita ut vir sit mulieris, et mulier viri, iuxta illud Apostoli *1ª Cor.*, VII, 4: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Equidem vox *vinculum* directe indicat potius obligationem, sed obligatio supponit ius; unde vinculum, plene spectatum, utrumque complectitur. Quod ius et officium utrique coniugi ab ipso matrimonii initio obvenit, ut tradit rel. can. 1111, cuius interpretationem, occasione capta, dedimus n. 428 seq. Praeterea matrimonium christianum, ratione Sacramenti, coniugibus non ponentibus obicem, gratiam confert ex opere operato (rel. can. 1110; n. 26 seq.).

Matrimoniale igitur vinculum, ad instar cuiusdam dominii in corpus alterius coniugis, duo praestat, quae sedulo notanda sunt: 1º Quaelibet pars habet ius in corpus alterius in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, et eius iuri respondet in altera obligatio praebendi suum corpus; 2º Ceteri omnes ab his excluduntur. Hoc alterum, idest exclusio ceterorum, semper verificatur, donec vinculum seu matrimonium perdurat; sed primum, idest ius ad copulam, subsistente vinculo, potest non exerceri, et potest quoque amitti tum ad tempus, tum etiam in perpetuum, moraliter tantum, seu physice et moraliter: quod mox declarabimus.

Obligationem iuri coniugali respondentem Apostolus *1ª Cor.*, VII, 3, appellavit *debitum: Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro.* Idest uterque coniux ad petitionem alterius suum corpus praebeat. Hinc intelligitur quid sit *petere ac reddere debitum.* Et quoties coniuges, vinculo matrimoniali alligati, rem habent inter se, est *copula* seu *actus coniugalis.*

Quae sint vitae coniugalis bona, ita plene exponit Pius XI in sua Encycl. *Casti connubii* (Alleg. III), ut melius et plenius exponi nequeat. Nos de iure ac debito coniugali heic agentes pauca attingimus, praesertim de ipsis rerum conceptibus. Leges morales, quae regunt exercitium iuris coniugalis et adimplementum coniugalis obligationis, per te ipsum vide, benevole

lector, apud probatos AA.; sed memento salebrosam hanc materiam non esse attingendam, nisi recto fine, urgente necessitate, opportunisque adhibitis cautelis, quibus peccandi periculum removeatur.

1085. Diximus ius ad copulam aliquando amitti moraliter tantum vel ad tempus vel in perpetuum. Hoc in casu proprie loquendo ius ad copulam (iuridicum seu radicale, ut aiunt) permanet, sed prohibetur illius exercitium, ita ut actus coniugalis numquam erit peccatum contra castitatem, sed petitio aut redditio, hic et nunc prohibita, erit peccatum contra virtutem aut legem, quae illam prohibet.

1086. Iam vero post Codicis promulgationem haec amissio iuris ad copulam accidit praesertim in duobus casibus qui sequuntur.[1]

1° Si exinde periculum sanitatis immineat. Si periculum est remotum, aut malum quod timetur leve, utraque pars potest petere et tenetur reddere. Id eruitur ex c. 2, X, *De coniugio leprosorum*, IV, 8, ubi Alexander III postquam docuisset leprosum posse uxorem ducere, si quam, quae sibi nubere velit, invenerit, subdit: «Quod si virum, sive uxorem, leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali praecepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum; cui praecepto nulla in hoc casu exceptio invenitur». Ratio est quia cum copula brevi fiat, non imminet ex ea grave periculum infectionis. At DD., coniugem sanum leproso debitum non reddentem, a peccato excusant, si tantum horroris habeat ad coeundum, ut id sit ei moraliter impossibile.

Si autem periculum infectionis est ita grave, ut ipsa vita periclitetur, uterque coniux nequit petere aut reddere; quia

[1] Ante Codicis promulgationem ius petendi debitum non habebat vel amittebat coniux ex voto castitatis, quo detinebatur; quod iure Codicis verum amplius non esse, vide n. 428 seq. Pariter suspensio obligationis reddendi debitum, quae antea ex c. 7, X, *De conversione coniugatorum*, III, 32, per bimestre concedebatur coniugi qui cogitabat de statu religioso amplectendo, abolita est ex rel. can. 1111. Tandem et privatio iuris petendi debitum in poenam adulterii commissi cum persona consanguinea compartis, cessavit ex eodem can. 1111.

nemo est dominus vitae suae. Excipe nisi proles sit necessaria ad bonum commune, aut ipse vel compars versetur in proximo incontinentiae periculo, aut petat vel reddat ad fovendum amorem coniugalem, ad evitanda magna dissidia etc.; quibus in casibus coniux potest quidem, quia ex caritate etiam mortis periculo exponere nos possumus, nisi fortior caritatis ratio obstet, sed non tenetur petere, reddere et cohabitare, quia caritas non obligat cum tanto incommodo. Hinc Alexander III in c. 1 cit. tit., ait: « Quoniam... cum vir et mulier una caro sint, non debet alter sine altero deesse diutius; mandamus, quatenus ut uxores viros et viri uxores, qui leprae morbum incurrunt, sequantur et eis coniugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere non postponas ».

Exinde patet quid dicendum in casu, quo certum est uxorem parere non posse sine probabili vitae periculo, aut parituram fore filios mortuos, quod magnum vitae matris periculum includere solet: nempe uterque coniux potest petere aut reddere tantum in casibus praecitatis, non tamen tenetur. Ita, e. g., si vir petit ob proximum incontinentiae periculum et uterque coniux scit ex praegnantia periculum mortis imminere uxori, cuius praesentia est omnino necessaria numerosae proli adhuc in tenella aetate constitutae, putamus uxorem nec teneri nec posse reddere, et vir ad periculum superandum adhibeat media quae probati AA. consulere solent.

At si proles nascitura praevidetur infirma vel deformis, non ideo coniuges a matrimonii usu abstinere debent. Ad rem D. Thomas, 4 dist. 32, q., un. a. 1, ad 4um: « Uxor tenetur viro leproso reddere debitum: et quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse ».

Tandem si ex usu coniugii periculum imminet non mortis, sed morbi, aut alterius damni notabiliter gravis, uterque coniux potest quidem petere ac reddere, sed non tenetur; e. g., si ex coitu cum leproso adsit, iudicio medicorum, grave periculum infectionis notabiliter noxiae.[1]

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 950, citans pro omnibus punctis plures auctores.

1087. 2° Si superveniat impotentia in una vel in utraque parte. Si impotentia est temporanea ius ad copulam potius suspenditur, quam amittitur; si est perpetua, amittitur prorsus et usus matrimonii evadit illicitus. At nihilominus corpus unius est adhuc res alterius quoad prolis generationem, nec potest legitime in aliorum potestatem transire; atque ita concipitur vinculum persistere, scilicet quoad solum effectum alios excludendi.

1088. Sed ad pleniorem declarationem quaeritur num coniuges, superveniente impotentia, valeant matrimonio uti; impotentia, inquam, quia simplex sterilitas certe matrimonii usum non impedit. Alios tactus et aspectus ideoque communionem tori citra periculum pollutionis iis coniugibus licere, facile DD. admittunt;[1] igitur quaestio est de ipsa copula. Iam vèro principii loco statuendum unam licere copulam matrimonialem, qua partes fiunt una caro et consummatur matrimonium, quia alia quaelibet copula non est, nisi mera pollutio.[2] Hoc posito, si impotentia (qua copula perfecta seu coniugalis redditur impossibilis) sive perpetua sive temporanea est certa, coniuges nequeunt rei maritali operam dare; si est dubia, sive dubio iuris sive dubio facti, possunt, quia in dubio eorum ius possidet;[3] quandonam vero impotentia sit certa aut saltem dubia, collige ex iis, quae supra fuse diximus, explicantes impedimentum *impotentiae*.[4]

1089. Quod si unus coniux post initum matrimonium dubitat de coniugii validitate, quaerenti num dubitans possit, petere, aut saltem comparti bona fide petenti reddere, Innocentius III, in c. 44, X, *De sententia excommunicationis*, V, 39, ita respondet: « Inquisitioni tuae respondentes, credimus distin-

---

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 933-1095; Marc, n. 2090.

[2] S. Alphonsus, lib. VI, n. 1095; Marc, l. c.; Gury, tom. II, n. 855.

[3] S. Alphonsus, l. c.; Sanchez, lib. IX, disp. XVII, n 20, cum communi, ex cap. *Laudabilem*, *De frigidis et maleficiatis*.

[4] Hinc non subscribimus opinioni D'Annibale, p. III, § 470, not. 13 cum Sanchez, Layman, Toleto, putantis virum, post initas nuptias castratum, adhuc posse rei maritali operam dare; nam eunuchi impotentia certa est (n. 517). Sed in casu practico tam gravi melius est ut S. C. S. Officii consulatur.

guendum, utrum alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugii, an non sciat pro certo, sed credat. In *primo* casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In *secundo* distinguimus utrum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate levi et temeraria, an probabili et discreta. Et quidem ad sui pastoris consilium, conscientia levis et temerariae credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum coniugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem coniugii, vel contra iudicium conscientiae committat offensam ».

1090. Pro recta huius capitis intelligentia dicimus in primis coniugem dubitantem debere semper reddere, si alter in fide bona iure petit. Quoad petitionem, coniux dubitans debet rem explorare diligenter, nec ante hanc adhibitam diligentiam petere potest, ex c. 2, X, *De secundis nuptiis*, IV, 21.[1] Posthac vero, si certo non appareat matrimonium fuisse nullum, *regulariter* standum est pro valore matrimonii in utroque foro; quo principio reflexo certiorata conscientia, ipse petere potest,[2] etiamsi pro valore matrimonii nulla determinata probabilis ratio sit, quae sit, e contrario, pro ipsius nullitate,[3] et licet ipse in mala fide, idest dubius impedimenti, matrimonium contraxerit.[4] Obstare videntur verba rel. c. 44: « Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta; debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet ». Communior ac vera responsio est Pontificem vetare petitionem antequam diligentia adhibeatur, et per principium reflexum dubio deposito, conscientia certa efformetur; quod satis apparet ex verbis

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 903; D'Annibale, p. III, § 478.

[2] S. Alphonsus, lib. VI, n. 904, cum communiori et probabiliori; Sanchez, lib. II, disp. XLI, n. 46; De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XVII, n. 88; D'Annibale, l. c.

[3] S. Alphonsus, lib. VI, n. 905, satis probabiliter; D'Annibale, l. c.

[4] S. Alphonsus, lib. VI, n. 906, satis probabiliter; D'Annibale, l. c.

sequentibus: « Ne in alterutro... vel contra iudicium conscientiae committat offensam ».

1091. Diximus *regulariter*: nam sunt duo casus in quibus dubitans de matrimonii valore petere numquam potest, etsi bona fide matrimonium contraxerit. Nempe: 1° Si quis prudenter dubitet *de morte prioris coniugis*: tunc enim possidet prius matrimonium, donec certo moraliter constet de illius solutione, et principium reflexum, quo conscientia certa efformetur, est impossibile, ex cit. c. 2; 2° Si constet de impedimento iuris ecclesiastici, et non constet de *impetrata dispensatione*; tunc enim pariter possidet impedimentum. S. Alphonsus, lib. VI, n. 901 docet id verum non esse si constet de dispensatione et dubitetur de valore dispensationis; sed de hoc Rosset, op. cit., n. 2430, merito dubitat, quia impedimentum certum praeit dispensationi et ideo possidet et non tollitur, nisi per dispensationem certo validam.

1092. S. Alphonsus, lib. VI, n. 908, indicat regulas, ut cognoscatur quandonam dubium de valore matrimonii probabile sit, necne. Scilicet coniux, ordinarie loquendo, non tenetur credere alteri asserenti se ficte consensisse, licet affirmet cum iuramento, nisi ex circumstantiis certum moraliter sit ipsum non mentiri, quo in casu nec petere nec reddere potest, donec matrimonium revalidetur; item non tenetur credere personis non fide dignis, aut famae incertae de impedimento. E contrario, dictum unius testis fide digni de impedimento, aut fama publica ex certo auctore constituit dubium probabile. Igitur in illis casibus coniux erit certus, in istis dubius de iure coniugali et ideo applicabit regulas supra positas. In dubio de impotentia vide quae diximus n. 1088.

1093. Coniuges, rei maritali operam dantes, matrimonium *consummant* idest complent (n. 42). Proinde ad matrimonii consummationem duo requiruntur et sufficiunt, nempe: 1° Copula matrimonialis, ad quam ordinatur matrimonium et qua coniuges fiunt una caro (n. 511); 2° Ut huic copulae praecesserit matrimonium validum sive ratum sive legitimum, quia compleri nequit quod non exsistit. Hinc copula habita ante matrimonii celebrationem non efficit ut contractum dein matri-

monium censeatur consummatum atque ideo neque indissolubilitatem neque alios matrimonii consummati effectus operabitur. Pariter si matrimonium est nullum ob aliquod impedimentum dirimens, consummatio proprie dicta non intelligitur ob alterius requisiti defectum; et si est nullum ob impedimentum *impotentiae*, non intelligitur ob defectum utriusque requisiti.

E contrario matrimonium habendum est ratum tantum, si hymen, qui vaginam claudit, est intactus; id enim indicat semen in vaginam immissum non fuisse, ut fusius dicemus n. 1097.

Quod si vir verum semen non effudit, ut contingit in spadonibus, aut seminaverit totaliter extra vas, non consummatio matrimonii evidens est, sive foemina seminaverit sive non. At merito docet S. Alph., VI, n. 1075: « Si vir coierit, et dubitat an seminaverit, vel an intra vas, copula praesumitur perfecta ».

Item affirmanda est consummatio, si vir seminaverit partim extra vas, et partim, lacerato hymene, intra: neganda autem, si semen ad externum tantum vasis muliebris orificium apposuit, quia ex communiter contingentibus prudenter iudicatur semen in vaginam ingressum non esse, nisi aliud constet. Ceterum hoc in casu pro externo foro, si foemina est virgo, non consummatio matrimonii probabitur ex hymene intacto; sed, si foemina est corrupta, non videmus quomodonam probari possit.

1094. Hic locus est de *foecundatione artificiali* pauca verba facere. Saeculo ~~elapso~~ XVIII ad finem vertente, Spallanzani, sacerdos Mutinensis, in scientiis naturalibus celeberrimus et in Papiensi Universitate professor, publici iuris fecit novam theoriam, quod scilicet animalia possint foecundari absque carnali maris et foeminae commixtione, supplente artificiali methodo, qua per syphunculum masculum semen in foeminea organa introducatur, dixitque se rem in cane expertum esse.[1] Deinde medici hanc doctrinam applicaverunt humanae generationi et docuerunt exinde foecundationem sequutam esse, quae dicta

[1] Eschbach, disp. 1, cap. IV, § III.

est *artificialis*. Hodie nemo negat prolem exinde haberi posse; in Academia sub nomine sanctorum Lucae, Cosmae et Damiani, quae Parisiis exsistit et in quam medici catholici conveniunt, nos ipsi, dum Parisiis ius canonicum in catholica Universitate docebamus, a perito medico, iam aetate provecto, audivimus se foecundatione artificiali filium obtinuisse, qui adhuc vivebat et advocatum agebat.

1095. Iam vero hac in re principii loco ponenda est responsio S. C. S. Officii diei 25 martii 1897: proposito enim ac funditus discusso dubio: « An adhiberi possit artificialis mulieris foecundatio », S. C. reposuit: « Non licere ». Porro triplex *foecundatio artificialis* dari aut fingi potest. *Prima: maritus extra copulam cum uxore semen emittit, quod colligitur et, mediante instrumento, in vaginam uxoris immittitur.* In hac foecundatione artificiali nec copula habetur, et multo minus copula matrimonialis, sed mera pollutio graviter peccaminosa. Et proles, si exinde nascatur, hoc unum probat, scilicet prolem haberi posse etiam sine coitu matrimoniali et sine matrimonii consummatione, prout eveniret etiam si maritus ad vaginae orificium apponeret semen, quod naturali vi attraheretur in vaginam et inde proles nasceretur (n. 513 seq.). *Altera: in vase foemineo aptatur annulus, ut virile membrum facilius ingredi queat; deinde maritus ponit, modo consueto, copulam, semine in vaginam deposito ad uterum transeunte.* Hoc in casu nil videtur reprehensione dignum: non annuli appositio, praesertim si haec ab ipso marito fiat, non copula, quae deinde habetur, quae est matrimonialis; obstaculum autem quod impedit congressum maritalem, leve est, cum facile removeatur per annuli appositionem. Tandem *tertia: maritus modo consueto tentat copulam cum uxore, deponens in vaginae orificium semen, quod in vaginam et uterum transire non potest; medicus aut maritus semen recolligit et ope syphunculi in vaginam et uterum transmittit.* Hoc in casu evidens est adesse impedimentum *impotentiae* (n. 521), si certo constet foeminea organa talia esse, ut normalis matrimonii usus sit impossibilis; depositio spermatis in orificium vaginae non fuit nisi mera pollutio et immissio seminis in vaginam

et uterum, ope syphunculi, longe abest ut sit copula et copula matrimonialis; ipsemet Sanchez, lib. VII, disp. XLIX, n. 37 putat matrimonium esse irritum et proinde «non consummari licet, arte aliqua, absque viri penetratione, sit receptum semen intra vas aut per matricis attractionem». Hinc putamus in casu applicandam esse doctrinam de certo impedimento *impotentiae*.

1096. Consummatio matrimonii rite celebrati praesumitur in foro externo; unde claris argumentis non-consummatio evinci debet. Ecclesia autem in foro externo non-consummationem matrimonii probatam habet non solum argumentis, quae physicam certitudinem, sed etiam argumentis, quae certitudinem moralem pariunt; haec enim in humanis iudiciis satis est.

1097. Hinc non-consummatio matrimonii satis probata est pro foro externo: 1° Si coniuges rei matrimoniali operam dare non potuerunt, sive quia numquam, neque per paululum temporis, soli post initas nuptias fuerunt, sive quia impotentia viri in propatulo est, e. g., quia vir est eunuchus; 2° Si constet de mulieris virginitate, quae evincitur praesertim corporis inspectione peracta iuxta methodum, quam S. C. de Sacramentis praescripsit (Alleg. XII cap. XIII). Si ex huiusmodi inspectione constat hymenem mulieris esse intactum, iurisprudentia SS. CC. RR. matrimonium habet non-consummatum. Equidem medici enarrant mulieres post partum aut publicas meretrices quandoque cum hymene incorrupto repertas fuisse. At ii casus, si revera unquam acciderunt, sunt rarissimi; et praeterea, quando ii casus verificantur, ipse partus aliaque signa, quae medici noscunt, indicant copulam perfectam habitam. Cum igitur hymen intactus, iuxta communiter contingentia, sit indicium moraliter certum non-consummationis matrimonii, Ecclesia iure meritoque retinet, matrimonium, hymene intacto, non esse consummatum, nisi ex medicorum examine et attestatione aliud clare probetur. 3° Si talia indicia et circumstantiae concurrant, ut simul sumptae moralem certitudinem prudenti iudici constituant matrimonium non fuisse consummatum, licet nec mulier virgo sit, quia, e. g., erat

vidua aut ab alio viro ante inspectionem corporis cognita, nec vir certa impotentia laboret. 4° Si constet virum semen ad externum tantum vasis muliebris orificium apposuisse; licet enim admittas sententiam, de qua n. 515 seq., tamen iuxta communiter contingentia dicendum semen in vaginam haud ingressum esse; et, semine vaginam non ingresso, non-consummatio matrimonii certa est. E contrario, si vir coivit et modo dubitat num seminaverit vel num seminaverit intra vas, matrimonium habendum est consummatum, quia ex communiter contingentibus copula praesumitur perfecta.[1]

1098. Consummato matrimonio, conceptio non semper sequitur. Ballerini-Gury, tom. II, n. 923, haec habet: «Post accuratiora physiologiae studia, iam constat sua stata esse tempora, quibus e coniugali congressu sperari aut non sperari effectus generationis possit: et tanquam exploratum iam habetur sperari effectum non posse, a *quartodecimo die* post incepta menstrua usque ad subsequentis epochae finem, idest ad sequentem usque menstruorum recursum». Etiam D'Annibale, p. III, § 469, not. 5, hanc physiologicam legem non solum probabilissimam, sed prope certam dicit. E contrario Eschbach, disp. I, cap. V, § IV, pluribus citatis praeclarissimis medicis, post accuratiora physiologiae studia docet: «Quamvis conceptui convenientia magis videantur tempora menstruis proximiora, tamen affirmare hodiernae scientiae progressus minime sinit ex copula inter duplicem menstruorum epocham habita sperari effectum generationis non posse»; subditque in nota etiam de hac maiori convenientia omnimode non consentire physiologos. Cum igitur hoc tempore intermenstruo iuxta plurium sententiam conceptio aut impossibilis aut difficilior sit, quaesitum fuit a S. Poenitentiaria num coniuges ad evitandam prolem possint hoc tantum tempore matrimonio uti, et num confessarius possit id consulere ad ipsos ab onanismi scelere retrahendos. S. Poenitentiaria reposuit, die 16 iunii 1880: «Coniuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 1075.

qua agitur, illis coniugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit».

1099. Contra infandum onanismi crimen Sedes Apostolica plures declarationes dedit, quas confessarius prae oculis habere debet; nonnullas hic referimus:

1100. Proposito dubio: «Utrum licita sit masturbatio directe procurata ut obtineatur sperma, quo contagiosus morbus *blenorragia* scientifice detegatur et quantum fieri potest curetur»; S. C. S. Officii, die 24 iulii 1929, reposuit: «Negative».

1101. S. Poenitentiaria, saepius interrogata, dubia sibi proposita, modo qui sequitur, resolvit:

1° «An suo muneri satisfaciant illi confessarii, qui cum poenitente, onanismi peccatum accusante, altum silentium servant et, finita confessione peccatorum, illum verbis generalibus ad contritionem excitant, illique asserenti se detestari omne peccatum lethale, sanctam absolutionem impertiuntur». S. Poenitentiaria reposuit, die 14 decembris 1874: «Negative».

2° Ad dubia: «1° Quando adest fundata suspicio poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque Sacramenta deserturos esse? Annon potius teneatur confessarius prudenter ac discrete interrogare? 2° An confessarius, qui sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione cognoscit poenitentem esse onanistam, teneatur illum de huius peccati gravitate aeque ac de aliorum peccatorum mortalium monere, eumque, uti ait Rituale Romanum, paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eumdem dolere de praeterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi»; reposuit, 10 martii 1886: «Attento... vitium infandum, de quo in casu, late invaluisse..., ad 1um regulariter negative ad 1^{am} partem, affirmative ad 2^{am}; ad 2um affirmative iuxta doctrinas probatorum auctorum». Illud *regulariter* indicat aliquando confessarium silere debere,

ne, sine ullius fructus spe, bona fides in malam convertatur.[1]

3° Demum interrogata de confessario redarguente maritum, qui coitum semper abrumpit et seminat extra vas, ne sequatur proles, S. Poenitentiaria, die 13 nov. 1901, dixit: « Parochum de quo in casu recte se gessisse (redarguendo maritum poenitentem), atque absolvi non posse poenitentem, qui abstinere nolit ab huiusmodi agendi ratione, quae est purus putusque onanismus ».

4° « Utrum mulier alicui actioni mariti qui, ut voluptati indulgeat, crimen Onan aut Sodomitarum committere vult, illique sub mortis poena aut gravium molestiarum minatur, nisi obtemperet, cooperari licite possit? »

S. Poenit., die 3 apr. 1916, respondit: « 1° Si maritus in usu coniugii committere velit crimen Onan, effundendo scilicet semen extra vas post inceptam copulam, idemque minetur uxori aut mortem aut graves molestias, nisi perversae eius voluntati, sese accommodet, uxor, ex probatorum theologorum sententia, licite potest, hoc in casu, sic cum marito suo coire: quippe cum ipsa ex parte sua det operam rei et actioni licitae, peccatum autem mariti permittat ex gravi causa, quae eam excusat; quoniam caritas, qua illud impedire teneretur, cum tanto incommodo non obligat. 2° At si maritus committere cum ea velit Sodomitarum crimen, cum hic sodomiticus coitus actus sit contra naturam ex parte utriusque coniugis sic coeuntis, isque Doctorum omnium iudicio graviter malus: hinc nulla plane de causa, ne mortis quidem vitandae, licite potest uxor hac in re impudico suo marito morem gerere. Miraturque vehementer S. Poenitentiaria, quod opposita sententia, cum humanae naturae dedecore, in quorundam sacerdotum animis, ut refertur, insistere potuerit ».

5° « 1° Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, ad positivam resistentiam teneatur?

« 2° Si negative, utrum sufficiant, ad resistentiam passivam ex parte mulieris cohonestandam, rationes aeque graves ac

[1] Lehmkuhl, vol. II, n. 859, in nota.

pro onanismo naturali (sine instrumento), vel potius omnino necessariae sint rationes praegravissimae?

« 3° Utrum, ut tutiori tramite tota haec materia evolvatur et edoceatur, vir talibus utens instrumentis oppressori vere debeat aequiparari; cui proin mulier eam resistentiam opponere debeat quam virgo invasori? »

S. Poenitentiaria, die 3 iunii 1916, respondendum censuit:

« Ad 1um: Affirmative.

« Ad 2um: Provisum in primo.

« Ad 3um: Affirmative ».

§ 2. - *De communione tori, mensae et habitationis inter coniuges.*

Can. 1112. - Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti.

Can. 1113. - Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi.

1102. Ut quisque valeat iure suo coniugali melius uti, necnon propter mutuum vitae adiutorium, coniuges tenentur ex obligatione iustitiae ad habitandum in eadem domo et ad utendum eadem mensa eodemque toro.

1103. Sane in matrimonii definitione verba *individuam vitae consuetudinem afferens* indicant tum praesertim vinculum coniugale, tum etiam ius-obligationem ad hanc vitae communionem. Confirmatur ex *Gen.*, II, 24: « *Relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* ». Illud *adhaerebit* (vir) *uxori suae*, et consequenter uxor viro suo, videtur clare significare hanc vitae communionem. Hinc Romani matrimonium definiebant: *consortium omnis vitae*, l. 1, Dig., *De ritu nuptiarum*, XXIII, 2. Aristoteles *Ethic.*, lib. VIII, lect. XII, ita rem explicat: « Viro et uxori secundum naturam amicitia videtur inesse; homines enim coniugium subeunt non solum procreationis, sed eorum etiam gratia quae ad ipsam conferunt vitam: officia namque continuo sunt diversa, atque alia viri, alia sunt uxoris; opem

itaque mutuo sibi ferunt». Quam rationem evolvit S. Thomas in loc. cit. Aristotelis, lect. 12.

1104. Uxor ex matrimonio valido particeps efficitur status mariti, nisi speciali iure aliud cautum sit (can. 1112). Proinde participat nomen, dignitatem, privilegia, domicilium mariti (can. 93) eiusque ritum suscipere valet (can. 98 § 4); cum eo forum domicilii sortitur (can. 1561) atque (nisi aliam sepulturam ipsa elegerit, can. 1223 § 3) in eiusdem sepulcro tumulatur (can. 1229 § 2) etc.

1105. Ceterum ius et obligationem ad hanc vitae communionem pertinere ad integritatem potius quam ad essentiam matrimonii alias diximus; ideoque valere matrimonium cum pacto non habitandi in eadem domo, eademque mensa et toro non utendi, uti in matrimonio conscientiae, de quo n. 1052 seq., salvo utrique parti iure coniugali (n. 776).

Ideo uxor potest habere proprium quasi-domicilium, et, legitime separata, etiam domicilium (can. 93 § 2), eademque soluto matrimonio potest proprium ritum resumere, nisi aliud iure particulari cautum sit (can. 98 § 4), etc.

1106. Ex dictis consequitur neque virum ab invita uxore neque multo minus uxorem ab invito viro discedere posse ad longum tempus. «Cum vir et mulier una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius», ait Alexander III in c. 1, X, *De coniugio leprosorum*, IV, 8. Secus coniux derelictus potest ministerio iudicis discedentem repetere, ut omnes DD. admittunt cum Schmalz., lib. II, tit. XIII, n. 57; nisi discedens iustam opponat discessus causam, e. g., impedimentum dirimens notorium aut cuius paratas habet probationes (can. 1699 § 3). Altero autem consentiente, potest, saltem attenta iustitia, alter, etiam ad longum tempus, abesse. Hinc ex una parte uxor regulariter tenetur sequi virum volentem discedere ad longum tempus, etiamsi hic domicilium mutet sine iusta causa, modo causa non sit turpis,[1] aut etiamsi in exsilium missus sit, dummodo grave damnum[2] vel periculum seu corporale seu spiri-

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 977.
[2] S. Alphonsus, l. c.; Marc, n. 2120; Sanchez, lib. I, disp. XLI, n. 13.

tuale exinde uxor non patiatur. Ex alia autem parte vir discedens ad longum tempus debet, si commode potest, idest nisi magnae expensae requirerentur, uxorem secum adducere.[1] Quid si vel uxor virum sequi renuat aut nequeat; vel vir uxorem sine magno incommodo secum adducere non valeat? Urgentibus iustis causis e. g., ob bonum publicum vel ad alendam aut tuendam familiam vel ad vitandum damnum ab inimicis etc., potest vir discedere; secus debet cum uxore remanere. Quod si brevi tempore abfuturus est, nec ipse tenetur uxorem adducere, nec uxor ipsum sequi. Vir potest suscipere brevem peregrinationem devotionis causa, etiam invita uxore; non item regulariter uxor, invito marito, cum ipsa sit subiecta illius voluntati.[2]

1107. In eadem domo habitantes vir et uxor in eadem mensa sedebunt. Non uxor virum, nisi aliud conventum sit, sed vir uxorem, recepta dote, alere tenetur. Communiter docent AA. virum non teneri uxorem alere, non soluta dote, cum dos ideo constituatur, ut ex ea vir onera matrimonii sustinere valeat. Excipe si vir eam duxit sine dote, aut uxor ei obsequia domestica loco famulae praebeat; tunc eam saltem uti famulam alere debet. Quod si uxor ex sua culpa cum viro non cohabitet, vir, nec soluta dote, tenetur eam alere; secus vero si ob iustam causam. Ceterum quando sive vir sive uxor vere pauper est, puta si dos fortuito periit, tenetur saltem ex caritate alter alterum alere: « Quid enim tam humanum est quam ut fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse? » L. 22, § 7, Dig. XXIV, *Soluto matrimonio*, 3.[3]

Et in eodem lecto cubabunt. Communio tori videtur formaliter haberi, si prouti in multis familiis in usu est, uxor et maritus habent quidem distinctum torum et cubiculum, sed cubiculum est contiguum et alteri in alterius cubiculum et torum liber et facilis est accessus; licet hic usus minus laudandus sit.

1108. Codex in rel. can. 1113 seq. loquitur de filiis, ad quos generandos et educandos matrimonium praecipue ordi-

[1] S. Alphonsus, l. c. et n. 939.
[2] S. Alphonsus, l. c.; Sanchez, lib. IX, disp. IV, n. 15.
[3] S. Alphonsus, l. c.; Sanchez, lib. IX, disp. V, n. 2 seq.

natur. Omnes admittunt coniuges licite posse ab usu matrimonii sese abstinere et ita prolem evitare per honestam continentiam, quae, utroque consentiente coniuge, etiam in matrimonio permissa est; sed est graviter illicitum ad prolem evitandam matrimonio uti vel potius abuti contra ius divinum seu naturale seu positivum. Pius XI in sua Encycl. *Casti connubii* hoc statuit principium: quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere et eos qui tale quid commiserint, gravis noxae commaculari. Et adhuc gravius est innocentem prolem, in sinu matris adhuc reconditam necare; grande facinus! quod excusari nequit praetextu vitandi matri periculum mortis neque alio quolibet praetextu. Tandem iniquum est coniugio prohibere eos, qui ad ineundum matrimonium per se apti sunt, sed praevidetur ex eis prolem mancam, infirmam vitiosamque generari (n. 1086); item organis ad generationem necessariis privare eos qui grave aliquod crimen commiserunt vel ad cruentam sceleris commissi poenam repetendam vel ad futura eorum crimina praecavenda. De muliere excisa vide n. 829. De iis omnibus perlegantur, quae habet Pius XI in cit. Encycl. *Casti connubii.*

1109. Parentes gravissima obligatione teneri prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi et etiam temporali eorum bono providendi palam est, ut ipsis verbis edicitur in rel. can. 1113. Educationem filiorum religiosam et moralem parentes tenentur plene informare principiis religionis catholicae; ac peculiariter debent curare ut filii quamprimum baptizentur (can. 770); catechetica institutione erudiantur (can. 1335), scholas catholicas frequentent (can. 1374), etc. Peculiares poenae statuuntur contra parentes, qui his gravissimis obligationibus desunt (can. 2319 § 1 n. 2, 3, 4 § 2). Physicam vero et civilem filiorum educationem parentes curare tenentur eorumque bono temporali providere iuxta suam conditionem et iuxta leges civiles de hac re latas. Ceterum de christiana iuventae educatione omnes debent prae oculis habere praeclaram et numeris omnibus absolutam Encycl. *Divini illius Magistri* (Alleg. II), quam

Pius XI edidit die 31 dec. 1929; cuius doctrinae summam repetit etiam in cit. Encycl. *Casti connubii* (Alleg. III). Vide etiam quae de hac gravissima parentum obligatione diximus in nostro *Catechismo catholico*, q. 212 in nota.

§ 3. - *De filiorum legitimitate et legitimatione.*

Can. 1114. - Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti.

Can. 1115. - § 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur.

§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis.

Can. 1116. - Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis.

Can. 1117. - Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.

1110. In rel. can. 1114 statuitur generale principium, quod filiorum legitimitatem regit, nempe legitimos esse filios natos ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti. Iuxta Glossam in c. 6, X, *Qui filii sint legitimi*, IV, 17, v. *repellendus*: «Quidam filii dicuntur *legitimi tantum*, ut adoptivi sive arrogati...; alii dicuntur *legitimi et naturales*, ut nati legitimo matrimonio vero vel putativo sive ab initio sive ex postfacto...; alii dicuntur *naturales et non legitimi*, ut nati ex ex concubinis in domo». Proinde proles, quae ex usu matrimonii validi vel putativi enascitur, est naturalis et legitima (*natura-lege*).

1111. Antiquo iure quaestio erat inter DD. utrum pro prolis legitimitate requireretur conceptio et nativitas in iustis nu-

ptiis, an sufficeret tantum nativitas. E. g., Titius rem habet cum Sempronia consanguinea in tertio gradu, quam dein, dispensatione impetrata, uxorem ducit; haec vero paulo post matrimonii celebrationem, filium parit ex praecedenti copula. Si pro legitimitate attenditur tantum nativitas in iustis nuptiis, hic filius erit legitimus; si attenditur conceptio et nativitas, erit illegitimus. Iam vero Codex hanc quaestionem dirimit in rel. can. 1116, docens aut conceptionem aut praegnationem aut nativitatem sufficere, ut proles legitima habeatur.

1112. Proles concepta aut nata ex usu matrimonii validi vel putativi est legitima, etsi matrimonium sit illicitum. Hinc in c. 9, cit. tit., traditur filios natos ex matrimonio clandestino legitimos esse, quia tunc temporis matrimonium clandestinum ubique terrarum erat validum, etsi illicitum. Codex autem in cit. can. 1114 ponit exceptionem: « nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti »; quibus verbis aliam inter DD. controversiam dirimit.

Diximus n. 46 ex can. 1015 § 4 *putativum* esse matrimonium invalidum, quod in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eius nullitate certa evadat; ideoque est legitima proles nata, *utraque vel alterutra parte ignorante* nullitatem, donec utraque pars nullitatis certitudinem obtineat. Id ante Codicem tradidit etiam Innocentius III in c. 14, cui consonant etiam cc. 6, 11, 15 eiusd. tit. Communis est sententia pro legitimitate prolis sufficere ignorantiam *iuris tantum*, e. g., si Titius vivit in publico concubinatu cum Sempronia et ignorans exinde oriri impedimentum publicae honestatis, bona fide init matrimonium cum Caia, filia Semproniae.[1] At non sufficere ignorantiam *affectatam*, deducitur ex c. 3, X, *De clandestina desponsatione*, IV, 3, ubi declarantur illegitimi filii, quorum parentes sunt *affectatores ignorantiae*. In c. 2 cit. tit. Alexander III declarat esse

[1] Schmalz., lib. IV, tit. XVII, n. 27 seq.; Pontius, lib. XI, cap. XVIII, n. 3; Reiff., lib. IV, tit. XVII, n. 6.

legitimam prolem conceptam ante latam divortii sententiam ideoque etiam post litis contestationem, imo etiam post divortii sententiam, si haec per appellationem suspensa sit vel nondum transierit in rem iudicatam.[1] *Utraque parte dubitante* de nullitate matrimonii vel *una certa et altera dubitante*, si dubium enatum est post initum matrimonium, proles est legitima ex rel. can. 1015 § 4; si dubium aderat ante matrimonii celebrationem, matrimonium, deficiente bona fide, est nullum, non putativum, et proles illegitima.

Tandem *utraque parte noscente nullitatem* ante matrimonii celebrationem, prolem esse illegitimam, palam est. Ii filii illegitimi appellantur *naturales* tantum, si inter parentes sive tempore conceptionis, sive tempore nativitatis, sive intermedio tempore (praegnationis) matrimonium subsistere poterat; secus iure canonico dicuntur *spurii* seu *orti ex damnato coitu* ex c. 10, cit. tit. Et hi deinde sunt vel *adulterini*, si ex coniunctione adultera, vel *sacrilegi*, si ex patre vel matre sollemni castitatis voto ligatis, aut ex patre in ordine sacro constituto, vel *incestuosi*, si ex copula inter consanguineos vel affines, vel tandem *nefarii*, si ex ascendentibus vel descendentibus procreati sunt.

1113. Proles autem quae, stante hoc matrimonio, nascitur, praesumitur nata ex usu eiusdem matrimonii seu ex marito ab uxore genita; hinc sollemne principium in rel. can. 1115 sancitum: «Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur» desumptum eisdem verbis ex l. 5, Dig., *De in ius vocando*, II, 4; l. 6, Dig., *De iis qui sui vel alieni iuris sunt*, I, 6. Haec probatio evidens non est ex simplici facto quod mater adulterium commiserit l. 11, Cod., *De adulteriis*, IX, 9, quia id solum evidenter non evincit adulterum et non maritum esse patrem prolis. Imo nec est

---

[1] Schmalz., l. c., n. 13; Reiff., l. c., n. 9; Pontius, l. c., n. 5; Pirhing, lib. IV, tit. XVII, n. 7, ex c. 2, X, *Ut lite pendente nihil innovetur*, II, 16, quo permittitur coniugibus carnale commercium, pendente lite super matrimonio bona fide contracto. Nonnulli ante Codicem docuerunt filios esse illegitimos, si coniuges culpabiliter praetermiserunt publicationes, quod iure Codicis falsum est (n. 150).

probatio evidens, si mater, fide dignissima, moriens iuramento id sollemniter affirmaverit, nisi talia proferat indicia quae in foro exteriori satis forent, tum quia nulla est causa quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur (can. 1791 § 1), tum quia non meretur fidem allegans turpitudinem suam l. 29, 1, Dig., *De probationibus et praesumptionibus*, XXII, 3.[1] Exinde deducimus nec esse probationem evidentem, si etiam pater adulter id fassus fuerit;[2] ac proinde filius adhuc posset iura legitimorum tuta conscientia sibi vindicare. Quid si filius natus est statim post initum matrimonium vel longe post mariti mortem? Notum est foetum edi nono plerumque mense ex quo conceptum fuit, interdum septimo ineunte, nonnumquam decimo pleno, nempe non ante 180 nec post 300 diem.[3] Proinde si filius natus est post 180 diem ab inito matrimonio, nulla in hoc est probatio maritum non esse illius patrem. Si natus est antea, iam est probatio evidens non esse conceptum ex matrimonii usu: et tunc si maritus praegnantiam uxoris nesciebat aut filium natum statim repudiaverit, praesumitur filius conceptus ex alio viro, et certe est illegitimus; secus praesumitur conceptus ex marito ante matrimonium, et habendus est legitimus. Pariter si filius natus est ante diem 300 a morte mariti, nulla per se est probatio maritum non esse patrem: si natus est postea, iam est probatio evidens non esse conceptum ex marito, ideoque esse illegitimum, nisi matris valetudo, mores et rerum circumstantiae aliud evincant.[4] E contrario, est probatio evidens maritum non esse patrem prolis et hanc esse adulterinam, si constat quod maritus, ob diuturnam absentiam vel temporaneam impotentiam vel aliam similem causam, nunquam uxori est copulatus (rel. can. 1115 § 2).[5]

---

[1] D'Annibale, p. I, § 49, not. 20; De Lugo, *De iust. et iur.*, disp. XIII, n. 26; S. Alphonsus, lib. III, n. 654, 924.

[2] Schmalz., lib. IV, tit. XVII, n. 36.

[3] D'Annibale, l. c.

[4] D'Annibale, l. c.; Reiff., lib. IV, tit. XVII, n. 24; Voet, lib. I, tit. IV, n. 4; Schmalz., lib. IV, tit. XVII, n. 40.

[5] Schmalz., l. c., n. 39.

1114. Non convenitur inter DD., utrum expositi, quorum parentes ignorantur, habendi sint legitimi, an illegitimi. Nonnulli putant habendos esse illegitimos: quia plerumque illegitimi exponuntur; in humanis autem iudicandum est iuxta communiter contingentia. Alii censent habendos esse legitimos: quia filius reputandus est legitimus, donec illegitimitas non probetur; expositio autem illam non evincit. Haec altera sententia communior et probabilior est, quia in dubio: « iudex debet in bonum et commoda prolis propensus esse » ut ait Benedictus XIV, in Epist. *Redditae Nobis*, 19 dec. 1744, § 4; et Salm., tract. X, cap. IX, n. 44, referunt ita a Greg. XIV cautum fuisse. Haec quaestio practica non est, nisi quoad effectus canonicae legitimitatis seu quoad irregularitatem; de qua in tractatu de Ordine.

Item dicas si ignorentur huius viri parentes; vir habendus est legitimus quia « in dubiis inspicimus quod plerumque fieri solet » ex R. 45, R. I., in VI°.

1115. Quod attinet ad iudicem, qui definire debet utrum filius sit legitimus necne, si legitimitas pendet ex validitate matrimonii, sententia reservatur iudici ecclesiastico: nam hic tantum est competens circa matrimonii valorem aut nullitatem; atqui qui videt causam principalem, videre quoque debet accessoriam intime cum ea connexam. Confirmatur ex cc. 5, 7, X, *Qui filii sint legitimi*, IV, 17. Si legitimitas pendet ex facto contracti matrimonii, num scilicet matrimonium de facto initum fuerit, etiam iudex laicus potest illam definire, utpote qui de facto matrimonii videre utique potest. Idem dicas si legitimitas pendet ex alia quaestione facti, num proles ex marito revera nata sit.

Ceterum hodie auctoritas civilis effectus legitimitatis civiles matrimonio tantum civili tribuere solet apud nostras nationes.

1116. Restat ut dicamus de prolis legitimatione, de qua agitur in ultimis duobus relatis canonibus.

1117. Recolenda sunt quae diximus n. 407. Si dispensatio ab impedimento dirimente conceditur potestate ordinaria vel potestate delegata per indultum generale, haec dispensatio

secumfert legitimationem prolis iam natae, excepta adulterina et sacrilega; dispensatio vero concessa potestate delegata per rescriptum in casibus particularibus, non secumfert prolis iam susceptae legitimationem, nisi haec expresse fuerit petita in instantia et in rescripto expresse concessa. Haec ex praescripto can. 1051, et fusius, l. c., exposuimus. Cessante autem, quacumque demum ex causa, matrimonii nullitate, sed permanente illegitimitate prolis, haec legitimatur per subsequens matrimonium sive verum sive putativum sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis, ex praescripto can. 1116, excepta prole adulterina et sacrilega, de qua vide n. 1231. Nimirum proles est legitima et proinde legitimatione non indiget, si genita est a parentibus matrimonio nullo unitis, quorum uterque vel alteruter, copulam ponens, illius nullitatem ignorat (n. 1112); e contrario, si proles genita est a parentibus, quorum uterque sciebat se non esse vinculo coniugali ligatum, est illegitima, sed, contracto aut convalidato matrimonio, legitimatur.

1118. Conceptus iuridicus legitimationis per subsequens matrimonium hic est: matrimonium quod modo celebratur aut convalidatur, retrotrahitur, per fictionem iuris, ad tempus conceptionis vel gestationis vel nativitatis prolis, quae proinde habetur tamquam in valido matrimonio genita ideoque legitima.[1] Exinde sequitur non posse legitimari per subsequens matrimonium, nisi prolem naturalem, cuius scilicet parentes triplici memorato tempore, matrimonium inter se contrahere poterant; si enim proles est spuria seu genita ex damnato coitu, quamvis parentes aliquo ex illis temporibus matrimonium inter se inire potuissent, illa fictitia retrotractio est impossibilis. Tempore *conceptionis* vel *praegnationis* vel *nativitatis*: nam si omni tempore parentes habiles fuissent, vel habiles fuissent tempore conceptionis, licet deinde evaserint inhabiles, superveniente impedimento, certum est prolem legitimari

[1] Reiff., lib. IV, tit. XVII, n. 30; De Angelis, lib. IV, tit. XVII, n. 4.

per subsequens matrimonium; item si parentes habiles fuissent aliquo momento gestationis, licet tempore conceptionis et nativitatis fuissent inhabiles; aut si habiles fuissent tempore nativitatis, licet antea inhabiles.[1] E. g., Titius infra XVI aetatis annum cognoscit Caiam, quae uterum gerit. Deinde aetatem canonicam adeptus, publicum concubinatum instituit cum Sempronia, matre Caiae, quae stante impedimento publicae honestatis parit. Si obtenta dispensatione ab huiusmodi impedimento, Titius et Caia matrimonium contrahunt, proles legitima fit, eo quod parentes habiles fuerunt aliquo gestationis momento.[2]

1119. Hanc prolis legitimationem per subsequens matrimonium impedire non possunt parentes vel alii fratres legitimi, imo neque ipse legitimatus, cum haec legitimatio sit a iure inducta in favorem ipsius matrimonii et in commune societatis bonum.

1120. Legitimatio per subsequens matrimonium plena est quoad omnes effectus canonicos, ita ut taliter legitimati in omnibus aequiparentur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit, ex praescripto can. 1117. Id ius constituit ut parentes amore prolis facilius ad matrimonium ineundum inducerentur et ita a turpi commercio desisterent;[3] sunt tamen exceptiones. Nam filii legitimati per subsequens matrimonium, nequeunt creari Cardinales (can. 232 § 2 n. 1°), eligi Episcopi (can. 331 § 1 n. 1°), aut Praelati nullius (can. 320 § 2).

1121. Quid vero si ultima clausula rel. can. 1116 non verificetur, nempe si parentes habiles non exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum ullo nec conceptionis nec gestationis nec nativitatis tempore? Hoc in casu proles non legitimatur nisi per Principis rescriptum, idest per rescriptum Romani Pontificis quoad effectus ecclesiasticos et superioris civilis quoad effectus civiles (iura successionum). Principis

---

[1] Schmalz., lib. IV, tit. XVII, n. 65 seq.; Reiff., l. c., n. 39; Sanchez, lib. VIII, disp. VII, n. 19; Pontius, lib. XI, cap. XIII, n. 2.

[2] Schmalz., l. c., n. 67.

[3] Reiff., lib. IV, tit. XVII, n. 42, cum Glossa in cit. c. 6, X, *Qui filii sint legitimi*, IV, 17.

rescripto legitimari possunt etiam spurii; extensio autem legitimationis ex rescripti tenore est desumenda; rescriptum enim tantum valet quantum sonat. Summus Pontifex numquam legitimationem concedit filiis sacrilegis.

Articulus II.

De separatione coniugum seu de divortiis.[1]

§ 1. - *De dissolutione vinculi seu de divortio pleno.*

Can. 1118. – Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

1122. Indissolubilitatem vinculi matrimonialis esse unam ex proprietatibus matrimonii, praesertim christiani, diximus n. 10 et indicat vox *individua* in matrimonii definitione. Quot vero quantaque ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, ita describit Pius XI in cit. Encycl. *Casti connubii*: «Et primum quidem coniuges hac firmitate certum habent perennitatis signaculum, quod generosa propriae personae traditio et intima suorum animorum consociatio suapte natura tantopere exigit, cum vera caritas finem nesciat. Firmum praeterea adstruitur fidae castitati propugnaculum contra infidelitatis incitamenta, si qua interius exteriusve obiciantur; anxio timori num adversitatis aut senectutis tempore alter coniux sit recessurus, quivis praecluditur aditus eiusque loco quieta statuitur certitudo. Servandae item utriusque coniugis dignitati ac mutuo auxilio praestando quam aptissime providetur, cum per insolubile vinculum perpetuo perseverans coniuges continenter admoneantur se non caducarum rerum causa, nec cupiditati ut inservirent, sed ut altiora et perpetua bona sibi mutuo procurarent, nuptiale iniisse consortium, quod nisi morte solvi non queat. Liberorum quoque tuitioni et educationi, quae ad multos annos produci debet, optime consulitur, cum gravia et diuturna huius officii onera unitis viribus facilius a parentibus ferantur. Neque minora

[1] Vide Canonistas in X, *De divortiis*, LV, 19.

toti humanae consortioni oriuntur bona. Usu enim cognitum habemus matrimoniorum inconcussam firmitatem uberrimum esse honestae vitae morumque integritatis fontem: hoc autem ordine servato, felicitas salusque rei publicae in tuto positae sunt: nam talis est civitas, quales sunt familiae et homines, ex quibus ea constat, ut corpus ex membris. Quapropter, cum de privato coniugum et prolis, tum de publico societatis humanae bono optime merentur, qui inviolabilem matrimonii firmitatem strenue defendunt ».

1123. Pius IX in Syllabo, n. 67, reprobavit hanc propositionem quam Nepomucenus Nuytz Taurini docebat: *Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.* Unde sequitur matrimonii vinculum ipso naturali iure esse aliquo modo indissolubile, et auctoritatem civilem nunquam divortium proprie dictum sancire posse ne pro subditis quidem infidelibus. Quod iuxta doctrinam S. Thomae, 4 dist. 33, q. 2, a. 2, q. 1, ita declaramus.

1124. In primis omnimoda indissolubilitas vinculi ita ut nullo umquam in casu solvi queat, non est ex praeceptis primariis legis naturae, tum quia dari potest casus quo ea minime excludat finem principalem matrimonii, procreationem nempe et educationem prolis, e. g., si matrimonium est sterile aut filii educationem iam receperint; tum quia obstat in V. T. libellus repudii permissus hebraeis, in N. T. privilegium fidei, et in genere potestas Romani Pontificis dispensandi in matrimoniali vinculo iuxta inferius dicenda.

1125. Quamquam haec vera sint, tamen solubilitas vinculi *ex mera voluntate* unius, aut etiam utriusque coniugis est contra praecepta primaria legis naturae. Aliis verbis *unio libera*, ut aiunt, qua coniuges possunt se separare et ad alia vota transire, quandocumque alteruter voluerit, aut etiam uterque consenserit, est contra praecepta primaria legis naturae; nam manifeste contraria est fini principali matrimonii seu educationi prolis, quae requirit diuturnum parentum convictum. Vide quae n. 906 seq. diximus de conditione matrimonio apposita contra perpetuitatem vinculi matrimonialis.

1126. Praeterea omnimoda indissolubilitas vinculi in genere est ex praeceptis secundariis legis naturae, cum per eamdem melius consulatur bono prolis, et plenius ac facilius obtineatur finis secundarius matrimonii, mutuum scilicet adiutorium; etsi in nonnullis casibus particularibus hoc perpetuum iugum durum videri possit.

Hinc Deus in primitiva matrimonii institutione hanc plenam indissolubilitatem vinculi constituit; quod satis eruitur ex aliis verbis *Gen.*, II, 24: *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

Deinde permisit hebraeis propter duritiam cordis eorum libellum repudii.

Tandem Christus D., Matth., XIX, 8 seq., repudii libellum revocavit, matrimonium reducens ad primitivam sui institutionem;[1] imo matrimonio fidelium specialem voluit firmitatem inesse propter rationem Sacramenti, quia scilicet pressius referre debet imaginem unionis ipsius cum Ecclesia (can. 1013 § 2). Scilicet matrimonium validum ratum et consummatum inter baptizatos voluit omnino indissolubile, praeterquam morte (can. 1118). Ipsi praesertim applicantur verba Christi Domini, Matth., XIX, 6: *Quod Deus coniunxit homo non separet*; et S. Paulus, *ad Rom.*, VII, docet hoc matrimonium non solvi, nisi morte naturali. Hinc Romanus Pontifex potest quidem declarare matrimonium fidelium consummatum fuisse nullum, obstante aliqua nullitatis causa, sed, si validum fuit, illud quacumque de causa dissolvere nequit. Graeci, Calvinistae aliique putant solvi adulterio unius partis. Contra ipsos Conc. Trid., sess. XXIV, *De matrimonio*, can. 7, definivit: « Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet iuxta Evangelium et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere: moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et

[1] Cap. 8 cit. tit. Benedicti XIV, Const. *Apostolici ministerii*, 16 septembris 1747.

eam quae, dimisso adultero, alium duxerit; a. s. ». Et can. 5: « Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum; a. s. ».

At simul Christus Dominus Ecclesiae suae concessit potestatem dissolvendi matrimonium non consummatum inter baptizatos, licet Sacramenti dignitate praeditum; item matrimonium non consummatum inter partem baptizatam et partem non baptizatam, matrimonium etiam consummatum inter infideles in casu Apostoli et in genere matrimonium inter infideles in favorem fidei; de quibus omnibus fusius infra.

Exinde sequitur Principem civilem etiam in casibus, in quibus divortium proprie dictum non esset contra naturae legem, non posse illud sancire nec pro subditis infidelibus, cum nusquam legatur ipsi concessa potestas dispensandi a iure matrimoniali divino positivo.

1127. Ex dictis iam apparet indissolubilitatem matrimonii non esse ita absolutam, sicut est eius unitas; et coniugale vinculum, licet de se duraturum usque ad mortem, tamen aliquando solvi praeterquam ob mortem naturalem. Sed iam de dissolutione vinculi matrimonialis fusius agendum est.

I - De dissolutione matrimonii non consummati inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam.

Can. 1119. – Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

1128. Rel. can. 1119 agit de matrimonio *valido* (non enim potest esse locus dissolutioni matrimonii invalidi) *non consummato*. Hinc ut matrimonium dissolvi possit ex praescripto huius canonis, ante omnia necesse est extra dubium ponere non-consummationem matrimonii: pro qua demonstratione prae oculis haberi debent Regulae S. C. de Sacramentis relatae in Alleg. XII. Quod si invaliditas matrimonii est dubia, certa vero aut facilioris probationis eiusdem non consum-

matio, peti potest dispensatio a matrimonio rato et non consummato ad cautelam, idest in hypotesi validitatis matrimonii (can. 1963 § 2).

1129. Iam vero ex hoc canone matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam dissolvitur:

1° *Ipso iure per sollemnem professionem religiosam.* Ante Alexandrum III non omnes id admittebant: imo Bernardus Papiensis in *Summa de matrimonio* sententiam contrariam appellat rationabilem eamque dicit magis niti auctoritate doctorum, licet fateatur ab eadem ecclesiasticam consuetudinem discordare. Alexander III hanc consuetudinem expresse confirmavit in c. 2, X, *De conversione coniugatorum*, III, 32: « Post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, et alteri remanenti (si continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire, quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in saeculo remanere». Vide etiam cc. 7, 14 cit. tit. Tandem id definivit Conc. Trid., sess. XXIV, *De matrimonio*, can. 6: « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: a. s. ». *Per professionem*: proinde non per ingressum in religionem aut susceptionem habitus religiosi. *Sollemnem*: unde non per professionem in congregatione religiosa cum votis simplicibus; nec professionem simplicem in ordine religioso votorum sollemnium post novitiatum, nec eam professionem qua vota simplicia in S. I. nuncupantur,[1] licet haec ultima professio ex speciali privilegio matrimonium contrahendum dirimat.

Disputant DD. quo iure professio sollemnis matrimonium antea contractum dirimat: sed sine ulla cunctatione respondendum est dirimere solo iure ecclesiastico, sicuti de matrimonio post professionem inito diximus n. 626 seq., cum a sola Ecclesiae constitutione votorum sollemnitas repetenda sit. Ni-

[1] Ballerini-Gury, II, n. 751.

mirum Romanus Pontifex lege generali statuit huius matrimonii vinculum solvi sollemni professione religiosa.

1130. 2° *Per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.* Haec potestas, a Christo Domino suo in terris Vicario facta non probatur aliquo S. Scripturae textu, sed ex facto Romanorum Pontificum, cum sine temeritate et contumelia Sedis Apostolicae affirmari nequeat tot Romanos Pontifices saepius errasse circa unum ex praecipuis capitibus christianae religionis. Nonnulli antiqui auctores hoc factum explicaverunt dicentes matrimonium ratum totam suam firmitatem sortiri a iure positivo Ecclesiae: vide Glossam in c. 7, v. *consummatum* cit. tit. Id quidem falsum est, quia matrimonium ratum inter baptizatos est verum matrimonium iure divino indissolubile et est verum Sacramentum, cum hac tamen exceptione, nempe cum potestate Romani Pontificis ab eodem dispensandi. Cum vero haec potestas probetur ab exercitio eiusdem, progressu temporum magis magisque repetito, facile intelligitur quomodonam antiquitus gravissimi auctores de eadem dubitare potuerint. Hodie, licet haec Romani Pontificis potestas proprie de fide non sit, tamen nemo catholicorum eamdem ipsi negat, nec sine magna temeritate negare potest, cum eadem Romanus Pontifex utatur, etiam altero coniuge invito. S. Alphonsus, lib. VI, n. 959, ait de hac Romani Pontificis potestate adesse duplicem sententiam probabilem, nonnullos negare, alios affirmare: sed negantem inter opiniones obsoletas esse amandandam, merito ostendit Ballerini-Gury, tom. II, n. 759.

Has dispensationes Romanus Pontifex non elargitur, nisi ex iusta causa: qualis autem sit iusta causa, prudentiae eiusdem Romani Pontificis remittitur: « Non potest dari certa regula, debent tamen esse graves et urgentes... », ait De Justis, lib. II, cap. X, n. 21-34. DD. plures istiusmodi causas exempli gratia enumerant[1] quarum praecipuae ad sequentes reduci

[1] De Justis, l. c.; Cosci, *De separatione tori*, lib. III, cap. II, n. 96 seq.; Sanchez, lib. II, disp. XVI; Schmalz., lib. IV, disp. XIX, n. 53 seq.

possunt: *a*) animorum dissociatio, quin affulgeat futurae reconciliationis spes; *b*) timor probabilis magni scandali futuri, discordiarum et rixarum inter consanguineos; *c*) probabilis suspicio impotentiae cum periculo incontinentiae; *d*) divortium civile ab altera parte obtentum cum periculo incontinentiae partis innocentis; *e*) semiplena probatio defectus consensus, aut alterius impedimenti; *f*) morbus contagiosus superveniens; *g*) periculum perversionis, ut si qua cum haeretico contraxisset; *h*) si quis aliud matrimonium equidem nullum deinde inierit, a quo se aliter liberare nequeat,[1] e. g., matrimonium civile; *l*) tandem mutuus consensus, de quo tamen ait Cosci, l. c., n. 97: «Mutuo intercedente coniugum consensu, posse Papam de absoluta potestate etiam sine ulla causa hanc dispensationem concedere, sed de ordinaria auctoritate non esse solitum dispensare, nisi cum aliqua causa longe tamen minus gravi et urgenti ea requisita in casu alterutrius dissensus, post antiquiores advertunt Fagnanus...».[2] Saepe plures ex istiusmodi causis simul concurrunt; et tunc dispensatio facilius obtinetur.

Exinde facile intelligitur hodierna S. C. de Sacramentis vel S. C. S. Officii iurisprudentia; semel enim extra dubium posita non-consummatione matrimonii, pro dispensatione respondere solent, quia nimirum iusta causa plerumque adest. Dispensatio concessa a Romano Pontifice sine iusta causa foret illicita et nulla, cum Deus hanc potestatem Romano Pontifici dederit exercendam ex iusta causa (n. 449).[3]

---

[1] De Justis, l. c., n. 32.

[2] Panormitanus in cap. c. 7, X, *De conversione coniugatorum*, III, 32, refert sententiam Hostiensis, qui docuit Romanum Pontificem posse dispensare a matrimonio rato et non consummato: et addit: «Petrus (de Ancharano) tamen hic recitat quod dum quidam Princeps peteret ab Innocentio Papa ut dissolveret matrimonium non consummatum per eum contractum, Papa respondit se non posse. Princeps allegavit hanc Glossam (in cap. 7, *De conver. coniug.*). Respondit Papa: Maledictus qui te docuit. Dicit tamen se ignorare an Papa dispensavit, nec refert quare maledixit docentem, sed forte ex eo quia sine causa maxime non deberet Papa hoc facere».

[3] Schmalz., lib. IV, tit. XIX, n. 51; Sanchez, lib. II, disp. XV, n. 6; Pirhing, lib. IX, tit. I, n. 145, ac plures alii apud Schmalz., l. c.

1131. Rel. can. 1119 duplicem habet partem: prima respicit matrimonium *non consummatum* inter coniuges baptizatos; altera matrimonium *non consummatum* inter coniugem baptizatum et coniugem non baptizatum. De utraque pauca singillatim.

Prima pars comprehendit: *a*) matrimonium non consummatum inter coniuges baptizatos, qui nullo detinebantur impedimento dirimente; *b*) matrimonium non consummatum inter coniuges baptizatos cum pontificia dispensatione ab impedimento dirimente, e. g., *consanguinitatis*; *c*) matrimonium initum inter coniuges infideles, qui matrimonium in infidelitate consummarunt, deinde convertuntur ad fidem et baptismum recipiunt, quin matrimonium post baptismum consumment.

Iam vero vi rel. can. 1119 solvi matrimonium non solum in primo casu, sed etiam in altero indubium est sive ex verbis generalibus canonis sive ex praxi S. C. de Sacramentis, quae in altero, sicuti in primo casu, sine differentia stat pro dispensatione. Romanus Pontifex in tertio casu dispensare solet per S. C. S. Officii, proinde de eius dispensandi potestate dubitari nullo modo potest (n. 1169); et putamus et hunc casum comprehendi sub rel. can. 1119, quia iam habes *matrimonium inter baptizatos non consummatum*.

Altera pars comprehendit *a*) matrimonium non consummatum inter partem non baptizatam et partem baptizatam extra Ecclesiam catholicam; id post Codicis promulgationem, nam antea hoc matrimonium erat nullum ob dirimens impedimentum *disparitatis cultus* (n. 566) ac proinde non erat locus dissolutioni; *b*) matrimonium non consummatum inter partem non baptizatam et partem baptizatam in Ecclesia catholica cum dispensatione ab impedimento *disparitatis cultus*; *c*) matrimonium consummatum inter duos infideles, quorum alter remanet in infidelitate nec vult converti aut pacifice cohabitare, alter vero convertitur et baptismum recipit, sed non vult novas nuptias contrahere (n. 1155 n. 2°). In his casibus matrimonium Sacramenti dignitate verius non gaudet (n. 36). Iam vero in primo casu matrimonium solvi ad nor-

mam rel. can. 1119 evidens est; item in altero et tertio sive quia generalia canonis verba et hos casus comprehendunt, sive quia, si vi relati canonis solvuntur matrimonia non consummata quae ob Sacramenti rationem peculiarem habent firmitatem, multo magis dicendum est solvi haec matrimonia non consummata quae non sunt Sacramenta proprie dicta.

II. - De dissolutione matrimonii legitimi, licet consummati, in casu Apostoli ex privilegio Paulino.

Can. 1120. - § 1. Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino.

§ 2. Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

Can. 1121. - § 1. Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto can. 1125, partem non baptizatam interpellare:

1°. An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere;

2°. An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

§ 2. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit.

Can. 1122. - § 1. Interpellationes fiant regulariter, forma saltem summaria et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa.

§ 2. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa, valent, imo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo.

Can. 1123. - Si interpellationes ex declaratione Sedis Apostolicae omissae fuerint, aut si infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi ipsa post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam.

Can. 1124. - Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque po-

test hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris.

1132. Matrimonium infidelium etiam consummatum dissolvitur ex privilegio Paulino in casu Apostoli Pauli, quod Codex repetit rel. can. 1120 § 1. S. Paulus in *1a Cor.*, VII, n. 1 seq., interrogatus a Corinthiis circa matrimonium, in primis (*de nuptis*) exponit quae sint iura et obligationes coniugum christianorum; deinde (*de non nuptis et viduis*) docet (v. 8 seq.) inter christianos virginitatem et coelibatum matrimonio praeferri; tandem sermonem facit de tertia personarum classe, a praecedentibus distincta, scilicet de fidelibus qui, ex matrimonio contracto in infidelitate, infidelibus coniuncti sunt: et de iis tradit (v. 12 seq.): si unus coniugum infidelium convertatur ad fidem, altero remanente in infidelitate et nolente cohabitare, coniugem fidelem, suscepto baptismo, posse alias inire nuptias: « *Nam ceteris ego dico, non Dominus; si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentiat habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus* ». Hoc est *privilegium Paulinum*, quod dici etiam solet *fidei privilegium*.

1133. De hoc fidei privilegio loquitur Innocentius III, c. 7, X, *De divortiis*, IV, 19. Quaesitum fuerat num altero coniugum ad haeresim transeunte, qui relinquitur, possit ab secunda vota convolare: « Nos igitur, ait Innocentius III, consultationi tuae respondentes, distinguimus (licet quidam praedecessor noster sensisse aliter videatur) an ex duobus infidelibus alter *ad fidem catholicam* convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in haeresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium coniugum *ad fidem catholicam* convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini

nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: « *Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi* »; et canonem etiam in quo dicitur: « *Contumelia Creatoris solvit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur* ». Deinde vero docet, si alter fidelium coniugum labatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, qui relinquitur, non posse, vivente altero, ad secundas nuptias convolare; quod modo est de fide ex canone Tridentino relato n. 1126. Vide etiam c. 8 cit. tit., quod est eiusdem Innocentii III.

1134. Et notanda sunt illa verba relata *licet quidam praedecessor noster sensisse aliter videatur*: unde deducunt haeretici aliquem Innocentii III praedecessorem sensisse matrimonii vinculum propter haeresim unius partis dissolvi. Et Glossa, l. c., v. *Praedecessor* ait: « Scilicet Caelestinus, dictum cuius habuisti olim in decretali *De conversione infidelium*, cap. *laudabilem*, et male dixit Caelestinus ». Sed glossator dormiens haec scripsit; nam in eo capite nec vola nec vestigium hac de re. [1] Ceterum huic haereticorum obiectioni applica responsionem, quam simili difficultati dedimus n. 554.

1135. Circa originem huius privilegii est duplex sententia. Nonnulli censent hoc privilegium esse iuris humani, latum ab Apostolo potestate apostolica pro Corinthiis et deinde a Primate ad totam Ecclesiam extensum. [2] Alii docent esse iuris divini, a Christo Domino statutum et ab Apostolo promulgatum. [3] Haec controversia non est magni momenti et idearum confusionem redolere, non est dubium. Nam evidens est solius esse Auctoris iuris divini sive naturalis sive positivi, quod matrimonii indissolubilitatem exigit, huic indisso-

[1] Esmein, *Le mariage* etc., vol. II, pag. 80.

[2] Abbas in cap. *Quanto, De divortiis*, n. 5, et ibi Alexander Nevo, n. 9; Paludanus, 4, dist. 49, q. un., a. 2, n. 12.

[3] Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. VI, cap. IV, n. 3; Giovine, tom. I, § 271, n. 3; S. Alphonsus, lib. VI, n. 955, II; Feije, n. 471; Palmieri, *De matr.*, thesi 26a.

lubilitati aliquo modo derogare: et ideo hoc privilegium necessario ex iure divino procedere debet; quomodo vero hoc explicari possit post Apostoli verba: *ceteris ego dico non Dominus*, vide n. 1166.

1136. Pariter quaestio est inter canonistas utrum hoc fidei privilegium competat, necne, etiam haereticis aut schismaticis, si alteruter ex infidelibus coniugibus ad sectam haereticam aut schismaticam transeat et baptismum in eadem recipiat, dummodo omnia servanda servata sint circa interpellationes sine ulla apostolica dispensatione, quae haereticis et schismaticis numquam conceditur. Duplex est sententia inter antiquos et recentiores scriptores. Quaestio ad examen revocata est a S. C. S. Officii an. 1859. Causa discussa fuit coram Ssmo die 11 augusti; et Ssmus, canonistis consultis diversa opinantibus, noluit quaestionem dirimere et responsum fuit: *Dilata*, quod adhuc perdurat. Quaestio igitur libera est, sed nos certam habemus negativam sententiam, praesertim propter auctoritatem Innocentii III, cuius verba supra retulimus (n. 1133); nam ex una parte eius verba: *ad fidem catholicam convertatur*, clarissima sunt et nequeunt omnino ad haeresim aut schisma extendi; ex alia Innocentius III, l. c., textum paulinum interpretatur et eius auctoritas tanta est, ut omnibus aliis facile praevaleat. Confirmatur ex ipsa appellatione privilegii Paulini, quod *fidei privilegium* dicitur n. 1132, fidei scilicet catholicae, quia fides schismatica aut haeretica *fides* simpliciter appellari nequit.

Sed iam hoc fidei privilegium pressius exponendum est.

1137. Et in primis dicimus Apostolum non loqui de coniugibus, quorum alter est infidelis et alter fidelis, cum evidenter agat de duobus coniugibus infidelibus, proinde non baptizatis, quorum alter convertatur ad fidem et baptismum recipiat. Pariter nec loquitur Apostolus de coniugibus, qui in infidelitate contraxerunt et alter est infidelis, alter catechumenus tantum. Proposito dubio: «Num verba S. Pauli *1ª Cor.*, VII, 15: *Quod si infidelis discedit, discedat*, ita intelligenda etiam sint de catechumenis, seu potius utrum Titius catechumenus possit ducere Bertham catechumenam et a suo

marito infideli propter religionem repudiatam », S. C. de Prop. Fide, die 16 ian. 1683 reposuit: « Verba illa S. Pauli non esse intelligenda de catechumenis, sed de baptizatis tantum ».

1138. Iam vero conversione et baptismo coniugis matrimonium legitimum per se non solvitur,[1] « cum per Sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur » ait Innocentius III c. 8, cit. tit.: et si etiam alter coniux convertatur et baptizetur, matrimonium permanet elevatum ad dignitatem veri Sacramenti (n. 36) et si post baptismum utriusque partis consummatum fuerit, plena gaudet indissolubilitate.[2] Quid vero si alter coniux remanere voluerit in infidelitate? Huic quaestioni Apostolus, l. c., respondet cum distinctione: vel scilicet infidelis *consentit habitare* cum fideli, vel potius *discedit*.

1139. Si infidelis consentit habitare cum fideli .., quae quidem intelligenda sunt non tantum de materiali cohabitatione, sed de cohabitatione pacifica et sine contumelia Creatoris, seu quam fidelis tuta conscientia acceptare possit,[3] secus enim infidelis reipsa cohabitare non vult, ut bene perpendit Sanchez, lib. VII, disp. LXXIV, n. 4; si, inquam, infidelis consentit habitare cum fideli, hic *non dimittat illum*, ait Apostolus; quinam autem sit sensus horum verborum Apostoli vide n. 1152 lit. *b*. Si vero infidelis *discedit, discedat (fidelis)*, subdit Apostolus pro altero distinctionis membro: nempe si *non vult cohabitare*, aut vult quidem cohabitare, sed haec cohabitatio vel non est pacifica, e. g., si infidelis fidelem verberibus vexet, alimentis privet... vel non est sine contumelia Creatoris, ita ut eam fidelis tuta conscientia acceptare non possit, e. g., si infidelis nomen Christi blasphemet, filios velit ethnicae superstitionis sectatores,[4] periculum perversionis in fide vel alterius peccati praebeat fideli... in hoc, inquam, casu fidelis nequit

---

[1] S. Thomas, 4, dist. 39, q. 1, a. 3.

[2] Sanchez, lib. VII, disp. LXXIV, n. 1, cum communi.

[3] Ex cap. 8, collato cum cap. 7 cit tit., contumelia Creatoris est blasphemia divini nominis, sed generaliori sensu accipi solet pro quolibet peccato mortali sive fidelis sive infidelis, quia revera quodlibet mortale peccatum est contumelia Creatoris.

[4] Collect. Paris., n. 946.

cum eodem permanere, et poterit alias inire nuptias. *Non enim*, subdit Apostolus, *servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus*; scilicet ne fidelis, qui cum infideli ex dictis cohabitare nequit, invitus continentiam servare cogatur.[1]

1140. Ab exposita doctrina Apostoli et Innocentii III in citt. cc. 7, 8, manifeste sequitur privilegium fidei secumferre disciplinam *interpellationum* praemittendarum, antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat. Nam ex verbis Apostoli evidens est fidei privilegium esse *conditionatum*; coniux enim conversus potest ad alias transire nuptias *si* coniux infidelis renuat converti ad fidem aut saltem pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris. De impleta igitur conditione constare debet, ut coniux conversus possit ad alia vota convolare; cum autem de hoc ordinarie constare nequeat, nisi interrogando seu interpellando coniugem infidelem post baptismum a fideli susceptum, inducta est disciplina interpellationum. Ad rem Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XII, cap. XXI, n. 4: « Matrimonium ab infidelibus in statu infidelitatis initum et consummatum divina lex solvit, cum altero coniugum ad fidem converso, alter neque converti vult neque sine contumelia Creatoris cohabitare consentit. Ex hoc principio aliud velut consequens deductum fuit, ut coniux conversus coniugem infidelem requirere et interpellare debeat, ut mentem suam super hac re aperte declaret ». Codex idem repetit in rel. can. 1121.

1141. Interpellationes, parti infideli faciendae, sunt duae quae sequuntur (rel. can. 1121):

1° An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere;

2° An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

Hae interpellationes faciendae sunt post baptismum coniugis conversi.

1142. Nonnulli magnae auctoritatis canonistae putaverunt legem interpellationum non urgere, si iam *constet* de discessu

[1] Sanchez, lib. VII, disp. LXXIV, n. 4; S. Thomas, 4, dist. 39, q. 1, n. 5.

infidelis seu de eius negativa responsione ad utramque quaestionem eorumque sententiam Benedictus XIV, l. c., dicit communiorem. Licet haec sententia speculative vera videatur, tamen Ecclesia, ne abusus irreperent in re tanti momenti, eam numquam probavit, imo expresse declaravit etiam hoc in casu interpellationes esse faciendas, aut dispensationem ab eisdem petendam esse. Hinc S. C. S. Officii, die 11 aug. 1859, declaravit: «Quoties coniugem infidelem nec christianam fidem amplecti nec sine contumelia Creatoris cum coniuge converso velle cohabitare *certo constet*, Episcopi tamquam Apostolicae Sedis delegati et Vicarii Apostolici dispensare poterunt super interpellatione, dummodo urgeat necessitas nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem». Vide etiam responsionem S. C. de Prop. Fide relatam n. 1145 ad 3um.

1143. Interpellationes regulariter fieri debent forma saltem summaria et extraiudiciali de auctoritate Ordinarii coniugis conversi (rel. can. 1122 § 1). Scilicet Ordinarius advocat infidelem, a quo sciscitatur num velit et ipse converti, vel saltem pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris. Responsio seu negativa seu affirmativa in actis refertur et in archivo servatur. Si infidelis inducias postulat ad deliberandum, Ordinarius eas concedet, monens, iis inutiliter praeterlapsis, praesumi responsionem negativam (rel. can. 1122 § 1); quae omnia pariter in actis notanda sunt. Si infidelis advocatus non comparet, iudex curabit eumdem interpellare per aliam personam: et omnia item in actis referet. Sed interpellatio quoque privatim facta ab ipso coniuge converso satis est pro valido matrimonio ineundo, imo et pro licito, si forma superius praescripta servari nequeat. Hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo (rel. can. 1122 § 2).

Interpellationes unica tantum vice fieri necesse est: sed ex mera caritate pluries etiam fieri possunt, uti respondit S. C. S. Officii die 12 iunii 1850 ad Vicarium Ap. Cocincinae Occidentalis.[1] Formulam huius interpellationis vide in Alleg. V, n. 54.

[1] Collect. Paris., n. 948.

1144. Ut hanc de interpellationibus materiam aliasve connexas melius declaremus, iuvat referre nonnullas, licet longiores, responsiones S. C. de Prop. Fide et S. C. S. Officii.

1145. Provicarius Generalis Tungkini Occidentalis quaedam dubia, quae ad hanc rem aliasque attinent, proposuit S. C. de Prop. Fide, scilicet:

« 1° Utrum ad effectum matrimonii dissolvendi, iuxta privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum et ab Apostolo promulgatum, interpellatio partis in infidelitate perseverantis sit de iure divino, atque adeo necessaria, ut, ea neglecta, nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi locus? An solum pertineat ad formam iudicialem, nec requiratur, nisi ut dissolutio licite fiat, praesertim cum aliunde constat indiciis moraliter certis alterum coniugem nec fidem amplecti nec sine contumelia Creatoris velle cohabitare?

« 2° Posito quod ad primam partem respondeatur affirmative, quaeritur, num sola de religione amplectenda sufficiat interrogatio; utrum scilicet pars, in infidelitate remanens, velit converti, necne, quod Thomae Sanchez auctoritate freti existimant aliqui ex missionariis; an potius interpellatio, utrum saltem pars, in infidelitate perseverans, absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat, sit quoque essentialis et absolute requisita, ita ut, illa praetermissa, non solum non licite, sed etiam non valide matrimonium dissolvi queat?

« 3° Utrum sollemnis uxoris expulsio a marito facta, videlicet dando libellum repudii coram pagi primoribus iuxta leges regni, possit interpellationis locum tenere et pro ea reputari, cum certissime constet de istius mariti voluntate, illum nempe praefatam mulierem nullo modo in posterum uxorem velle habere; an potius, nulla repudii habita ratione, in iis etiam circumstantiis duplex in iure praescripta ad validitatem dissolutionis matrimonii requiratur interpellatio?

« 4° Quaeritur quomodo se debeat gerere missionarius erga mulierem infidelem absque ulla adulterii causa a suo marito etiam infideli repudiatam, qui aliam duxit, cum illa postulat baptizari, et est suspicio an sit animo parata ad revertendum ad suum maritum, si forte postea revocet, et sine contumelia

Creatoris cohabitare consentiat? Debetne illam de hac re prius interrogare, ac interea baptismum differre donec melius sit disposita, etiam cum periculo moriendi absque baptismate? Quid autem si consentit, sed dumtaxat cum hac conditione, quando nimirum expulsa fuerit concubina?

« 5° Quaeritur, an adulterium ansam praebeat coniugibus infidelibus, sicut et christianis, divortium perpetuum celebrandi, ita ut parti innocenti omnino sit integrum, cum sacro fonte abluta fuerit, aut saeculo nuntium remittere, aut in statu viduitatis vitam transigere, licet pars altera reconciliari velit, et sine contumelia Creatoris cohabitare?

« 6° Cum maritus infidelis suae uxori, iam sacri baptismi aquis tinctae, religionem quidem servare permittit, nec aliquid peccati mortalis formaliter iubet, at illam in usu matrimonii ad multa gravia contra coniugalem castimoniam adeo importune pellicit, ut mulier semper sit in gravi periculo peccandi mortaliter. Quaeritur in hoc casu, an praefata mulier possit eum relinquere, et ad alia vota transire? Quid autem si periculum non veniat ex altero coniuge, sed ab aliis qui in eadem domo sunt, v. g., a socero, qui suam nurum ad incestum sollicitat, vel a socru, muliere iurgiosissima et superstitionibus addictissima? »

S. C., die 5 martii 1816, reposuit:

« Ad 1um: Non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti in casu de quo agitur, nisi interpellatione praemissa, aut nisi obtenta legitimis ex causis super interpellatione apostolica dispensatione.

« Ad 2um: Interpellandum esse coniugem infidelem non solum an converti velit, sed etiam casu quo nolit converti, an velit cum coniuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris, iuxta dispositionem Innocentii III, cap. *Quanto, De divortiis.* [1]

« Ad 3um: Faciendam esse interpellationem etiam in casu de quo agitur, si fieri possit, aut recurrendum esse ad Sedem Apostolicam pro obtinenda dispensatione.

[1] C. 7, X, *De divortiis*, IV, 19.

« Ad 4um: Nihil obstare quominus mulieri, de qua in casu, modo aliunde sit sufficienter instructa, baptisma conferatur.

« Ad 5um: Coniugem ad fidem conversum et baptizatum posse facere divortium quoad torum a coniuge infideli ob adulterium ab eo commissum, quamvis iste veniam petat et velit cohabitare sine contumelia Creatoris.

« Ad 6um: Mulierem conversam posse a viro infideli discedere, et ad alia vota transire in casu quo ille eam pertrahat ad gravia peccata contra castitatem coniugalem (cap. *Quanto*, et cap. *Gaudemus*, Innocentii III, *De divortiis*). [1] Quod si pertractio mulieris conversae ad peccatum mortale non proveniat ab eius viro infideli, sed ab aliis qui in eius domo habitant, socero, e. g., vel socru, posse mulierem fidelem, ubi alia media non suppetunt, se subducere ab ea domo, ubi ad graviter peccandum pertrahitur, non vero posse matrimonium dissolvere, et ad aliud transire ».

1146. Hinc Gregorius XVI matrimonia inita post incompletas interpellationes sanavit in radice, die 17 ian. 1836. Nam Vicarius Apost. Sutchuensis exposuerat:

« Christiani, quando faciunt interpellationes prioris coniugis infidelis, si coniux infidelis respondeat se velle recipere suam consortem fidelem, tunc interrogant illum, an velit converti, et an saltem consentiat cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. At si pars infidelis statim respondeat se nolle amplius recipere priorem coniugem fidelem, aut ad illum reverti, tunc nihil ulterius interrogant: quia timent ne pagani magis indignentur et blasphement contra religionem Christianam. Quaeritur igitur an possit permitti parti fideli, ut cum alio fideli contrahat matrimonium, etiamsi in interpellatione prioris coniugis infidelis omissa fuerit interrogatio an velit converti, et an saltem consentiat simul cohabitare sine contumelia Creatoris. Quod si Sanctitas Vestra censuerit omissionem dictarum interrogationum *an coniux infidelis velit converti, et an velit saltem cohabitare sine contumelia Creatoris*, reddere nullam interpellationem aut insufficientem, ita ut ex vi huius-

[1] C. 8, X, *De divortiis*, IV, 19.

modi interpellationis pars fidelis non possit valide aliud matrimonium contrahere cum aliquo fideli, tunc humiliter supplicat Vicarius Apost. praedictus, ut Sanctitas Vestra sanet in radice multa matrimonia, quae in Vicariatu Sutchuensi contracta sunt post interpellationem factam sine dictis interrogationibus ».

Gregorius XVI: « ... Perpensis expositis benigne matrimonia, ut supra, contracta in Vicariatu Sutchuensi cum omissione interrogationum, prout in supplici libello exponitur, in radice sanat et convalidat, perinde ac si in matrimoniis contractis interpellationes factae fuissent ».

1147. Praeterea Episcopus Coccinensis exposuit S. C. Sancti Officii:

« Saepe contingit ut ex duobus infidelibus alter convertatur ad fidem, alter converti quidem tunc nolit, consentiat tamen habitare cum fideli sine contumelia Creatoris, et quin eum pertrahat ad mortale peccatum, imo promittat se quoque fidem postea amplexaturum, quod ob aliquam specialem rationem aliquandiu differre necessarium ducit. Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut coniuges, idque ad longum tempus et aliquot etiam annos. At postea infidelis, mutata voluntate, non solum converti non vult, sed tentat fidelem pertrahere ad idolorum cultum, vel discedit, nec iam consentit habitare cum illo, imo ad alias nuptias ipse transit. Quaeritur:

« 1° An in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere et ad alias nuptias transire, habeatque hic locum privilegium ab Apostolo promulgatum: *Si infidelis discedit, discedat*?

« 2° An id solum habeat locum quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam?

« 3° An etiam possit fidelis transire ad alias nuptias, quando infidelis quacumque de causa ab eo discessit, nec sciri potest an vivat adhuc, necne?

« 4° An fidelis qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si

infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eum pertrahat ad mortale peccatum?

« 5º An aliquo et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ad alias nuptias? »

Clemens XIII, in S. C. S. Officii, die 5 augusti 1759, reposuit:

« Ad 1um: In casu de quo agitur affirmative.

« Ad 2um: Cum militet ex parte coniugis conversi favor fidei, eo potest uti quacumque ex causa, dummodo iusta sit, nimirum si non dederit iustum ac rationabile motivum alteri coniugi discedendi, ita tamen ut tunc solum intelligatur solutum iugum vinculi matrimonialis cum infideli, quando coniux conversus (renuente altero post interpellationem converti) transit ad alia vota cum fideli.

« Ad 3um: Praemittendam esse interpellationem, qua intimetur coniugi infideli, an velit converti; a qua interpellatione Apostolica Sedes iustis de causis dispensat.

« Ad 4um: Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione, dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris: quare si infidelis non servet supradictam conditionem, adhibenda sunt iuris remedia ad hoc ut eam servet; alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum; quocirca in casu, de quo agitur, coniuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire.

« Ad 5um: Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti; sed tunc acquirit tantummodo ius transeundi ad alias nuptias, cum coniuge tamen fideli, idque si coniux infidelis renuat post interpellationem converti. Ceterum tunc solum coniugii vinculum dissolvitur, quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Si gentilis conversus ante susceptionem baptismi habeat plures uxores et prima recuset amplecti fidem, tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere, dummodo fidelis fiat, sed in hoc

casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent».

1148. Quod si ex legitimo impedimento interpellationes fieri nequeunt, vel non sine magna difficultate, sacerdos adeat Ordinarium, qui, si facultate praeditus sit, ab interpellationibus dispenset ad cautelam. Huc spectat sequens eiusdem S. C. S. Officii responsio:

Vicarius Apost. *Chensi* et *Chansi* quaesiverat:

«1° An sub nomine legitimi impedimenti per quod dispensatur coniux fidelis ab interpellatione coniugis infidelis, veniat sola praesumptio imprudentiae viri, qui, sicuti prima vice uxorem vendidit, timendum videtur ne, eadem recuperata, secundo etiam vendere audeat?

«2° An veniat sola praesumptio quod pars infidelis nolit redire, quia scilicet in praecedenti cohabitatione vel ob diversitatem temperamentorum, vel aliis ex causis ambo inter se discrepabant, continuisque agitabantur dissensionibus?

«3° An veniat sola praesumptio quod maritus infidelis, ex eo quia iam transiit ad alias nuptias, nolit reiicere secundam uxorem, ut primae rursus adhaereat, vel si forte velit rursus suscipere primam, nolit tamen reiicere secundam, sed ambas simul retinere?

«4° An veniat solus timor Christianorum, ne scilicet pars infidelis ob interpellationem illi factam intelligens tali in loco habitare Christianos, possit exinde christianae religioni molestiam afferre?

S. C. S. Officii, die 23 nov. 1796, reposuit:

«Ad 1um, 2um et 3um negative.

«Ad 4um in huiusmodi casu consulatur Sedes Apostolica».

1149. Ad rem facit etiam alia eiusdem S. C. responsio; propositis enim dubiis:

«1° Qualis distantia in praedictis regionibus, ubi viae sunt tam difficiles et periculosae incolarumque loca tam incerta, censeatur sufficiens ut interpellatio habeatur impossibilis, cum pro ipsa facienda missionarius expensas etiam cum dubio effectu suppeditare valeat? An, e. g., iter 7 vel 8 dierum in aditu et reditu sit sufficiens ratio ut interpellatio iudicetur impossibilis?

« 2° Quid censendum de responso affirmativo partis infidelis, scilicet se velle pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris, si fundate timetur, ne sic respondeat, ut uxorem conversam aliis vendat aut tradat?

« 3° Quid censendum de responsione partis infidelis interrogatae utrum velit converti, si respondeat: *Habeo aliquam intentionem, sed hic et nunc non possum me determinare: postea videbo.* An in casu pars conversa teneatur exspectare suae partis infidelis resolutionem cum proprio suo periculo?

« 4° Quid censendum de responso negativo a parte infideli obtento, scilicet nolle converti aut pacifice cohabitare, si istud responsum non quidem cordate, sed quasi oblique obtentum fuerit? v. g., si ille, qui ad interpellationem missus fuit, infideli dicat: Scisne, ista uxor, a te antea dimissa aut fugiens, nunc intravit in istam novam religionem Europaeorum, et quaerit alium virum: an, si ad te rediret, adhuc reciperes pro uxore tua, et cum ea pacifice cohabitares, et quam nunc habes uxorem dimitteres? Pars infidelis tali modo interrogata, saepissime respondet negative, sed missionarius de eo non raro angitur.

« 5° Ex concessione S. Sedis datur missionariis facultas dispensandi, ut si quis infidelis plures uxores habeat, cum una quam ex illis elegerit post conversionem manere possit, si prima converti noluerit, et selecta fidelis fiat. Quaeritur si iste infidelis, qui bona fide non habitat cum prima sed cum una ex secundariis, ab ea separandus sit ante baptismum, et monendus de necessitate interpellandae primae uxoris, vel utrum haec admonitio et separatio differri possit post baptismum? Ratio dilationis monitionis esset quia in tali casu, si statim imponeretur obligatio separationis, pariter spes conversionis evanesceret: quod si in bona fide relinqui possent, forsan utraque anima salvari posset.

« 6° An ille infidelis censendus sit plures uxores habere, qui non collective cum pluribus habitat, sed prima dimissa, altera vendita, cum tertia iunctus sit? Item an infidelis, qui uxorem in infidelitate dimiserit, et nunc vult converti, sed, durante catechumenatu assumit aliam uxorem, an ea uti licite

possit, seu potius monendus ut eam dimittat, et quatenus renuat, e numero catechumenorum, utpote indispositus, removendus sit ».

S. C., die 29 nov. 1882, reposuit:

« Animadvertere te volunt EE. PP. difficultatem illam et anxietatem, qua missionarii premuntur, quando agitur de usu facultatis dispensandi ab interpellatione, quaeque tibi causa fuit, cur ampliorem pro casibus extraordinariis facultatem peteres, vel penitus tollendam, vel magna saltem ex parte imminuendam esse, si attente inspiciatur qui *ordinarius*, quive *extraordinarius* casus sit habendus. Primus quidem, ut ex verbis indulti abunde patet, tunc evenit, quando scilicet, adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet, saltem summarie et extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse. *Alter* quando adiri quidem potest coniux infidelis, sed de comparte facta christiana interpellari nequit sine evidenti gravis damni ei vel christianis inferendi periculo. Iam vero ex his quae enarras facile coniicitur, casus, qui istic eveniunt, inter ordinarios, ut plurimum, recensendos esse, ac proinde non esse huiusmodi, qui adeo graves difficultates facessant.

« Verum sive agatur de ordinariis sive de extraordinariis casibus, investigationes et diligentiae, antequam ab interpellatione dispensetur, semper erunt adhibendae; in primis quidem ut saltem summarie et extraiudicialiter constet coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse; in alteris ut constet de evidenti periculo gravis damni, quod ex interpellatione vel in compartem christianam, vel in alios Christifideles obventurum esset. Sed neque ex huiusmodi investigationibus difficultates adeo graves oriri posse videntur, cum, omissa plenaria et iudiciali forma, summaria et extraiudicialis adhibenda permittatur...

« Ad 1um: Iuxta statuta Synodi Sutchuensis, cap. 9, n. 8,

illam longitudinem sufficere, quae, perpensis omnibus locorum et rerum adiunctis, magnam affert difficultatem.

« Ad 2um: Si ante interpellationem faciendam satis constet de voluntate hominis vendendi aut aliis tradendi suam uxorem, Vicarius Apost., vi suarum facultatum pro casibus extraordinariis datis, dispenset ab interpellatione. Si vero post interpellationem factam responsio affirmativa habita fuerit, et per processum extraiudicialem constet certis argumentis de mala viri dispositione vendendi aut aliis tradendi mulierem, Vicarius Apostolicus affirmativam responsionem pro negativa habere poterit, et permittere transitum mulieris conversae ad alias nuptias, facto de hac resolutione verbo cum Ssmo. In casibus particularibus, in quibus haec certa argumenta desint, recurrat ad S. Sedem.

« Ad 3um: Stet praescriptioni Synodi Limanae III, art. 2, cap. 10, a Sixto V adprobatae, quae ita statuit: *Si infidelis spem suae conversionis maturam ostendat, christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum est sacris canonibus definitum, sed coniugis lucrum in Christo exspectet. Si vero differat conversionem suam, neque tamen iam baptizato coniungi perniciosus exsistat, eum a fide avertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo (etenim cum id fit sacri canones eos necessario separandos volunt et christiano novi coniugii ineundi facultatem tribuunt), tunc est exspectandum adhuc per semestre tempus, et assidue de sua interim conversione admonendum. Sed quoniam tunc periculum recens conversi cavendum est, ne si diu permanserit in toro infidelis, fidem Christi fortassis amittat, dum vult servare homini: tum vero libertati illius consulendum est, ne caelebs vivere cogatur, qui forsan uritur: idcirco decernimus, ut, transacto sex mensium spatio, res ad Episcopum deferatur, qui, bene perspecta causa, fideli declaret copiam esse aliud matrimonium ineundi propter fidei aut caritatis periculum, quod patiatur. Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, iubeat exspectare infidelem, vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligit, iuxta Pauli Apostoli consilium. Neque enim potest omnibus conversis eadem regula praefigi, cum occurrant*

profecto variae circumstantiae, neque sit omnium infidelium eadem ratio.

« Ad 4um: Quoad praeteritum acquiescat, facto verbo cum Ssmo; sed in posterum interpellationes esse omnino faciendas iuxta formas ab Ecclesia praescriptas.

« Ad 5um: Affirmative ad 1^{am} partem; negative ad 2^{am}.

« Ad 6um: Catechumenum esse omnino separandum a muliere, de qua in dubio: si nolit separari, non posse admitti ab baptismum; peracta separatione, necessaria instructione, et post baptismum positis ponendis, liberum esse hanc mulierem ducere ».

1150. A lege interpellationum unus dispensat Romanus Pontifex (rel. can. 1121 § 2) et dispensationem ac dispensandi potestatem concedit per organum S. C. S. Officii (can. 247 § 3). Facultates autem pro aliquibus regionibus concessae non possunt ad alias extendi, quamtumvis id suadere videatur identitas aut paritas rationis, nisi aliud expresse in facultatis concessione caveatur. [1]

1151. Episcopus vero vel Vicarius Apostolicus, qui a Sede Apostolica potestatem dispensandi ab interpellationibus obtinuerit, prae oculis habeat quae S. C. S. Officii rescripsit, die 11 iunii 1760, ad Superiorem Missionum PP. Barnabitarum.

« Osservi però diligentemente e con tutta la possibile cautela il P. Superiore della Missione, che in ognuno di questi casi, nei quali crederà necessario di dispensare dall'interpellanza, non basterà che egli ne sia internamente persuaso, ma dovrà fare un processetto sommario da cui per ogni futuro tempo apparisca questa necessità, o perchè l'interpellato non risponde, o perchè non si sa ove egli sia, o perchè ha dato prove col fatto del suo aperto dissenso, e sarà bene in tal caso che per non mancare di cautela si facciano anche le citazioni *ad valvas* et *per edictum* coll'assegnazione di congruo tempo *ad comparendum et declarandum* etc. N. S., felice-

[1] Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. III, cap. XXI, n. 5. Formulam huius facultatis vide in Alleg. V.

mente regnante, espressamente inculca e vuole questa prova sommaria da farsi dal P. Superiore della Missione, o da altri, a cui delegherà le facoltà ».[1]

At, hoc processu praetermisso, peccaret quidem dispensans, sed, si nil aliud desit, matrimonium valeret.

1152. Interpellationibus peractis, sedulo perpendenda est responsio partis infidelis.

a) Si ad primam interpellationem responderit affirmative, idest quod velit et ipsa converti et baptismum recipere, res plana est (n. 1138).

b) Si ad primam responderit negative et affirmative ad secundam, fidelis *non dimittat* infidelem, ait Apostolus, idest cum ipso remaneat, servans vitae consuetudinem etiam quoad torum, mensam et cohabitationem. In his Apostoli verbis: *non dimittat illum*, alii vident *praeceptum* vetans dimissionem vel separationem a coniuge infideli, uti Tertullianus, lib. I, *Ad ux.*; S. Hieronymus, lib. I, *contra Iovin.*; Silvius, in 3, q. 59, a. 5, c. 1 et 2; Estius, in 4, dist. 39, § 6 et seq....; alii, quod verius videtur, merum *consilium*, ita ut liceat christiano se separare ab infideli, etiamsi hic vellet pacifice cohabitare, firmo tamen tunc remanente vinculo matrimoniali, licet melius faceret, si remaneret, uti S. Augustinus, *ad Potent., De coniugiis adulterinis*; S. Thomas, in *1ª Cor.*, VII, et in 4, dist. 39, art. 3; S. Bonaventura, in 4, dist. 29 et communiter interpretes. Et S. Paulus consilii sui dat rationem, quia scilicet, si fidelis remanet cum infideli, hic sanctitate quadam externa donatur, quae viam sternit ad veram

[1] *Latine*: Sed animadvertat diligenter et cum omni cautela P. Superior Missionis, quod in uno quoque horum casuum, in quibus ab interpellatione dispensandum esse censebit, satis non erit ut hoc sibi persuasum habeat, sed conficiendus erit processus compendiarius ex quo pro quovis futuro tempore huiusmodi necessitas apparet, vel quia interpellatus non respondet, vel quia ubi degat, ignoratur, vel quia facto suo apertum dissensum manifestavit; atque insuper expediet in hoc casu ut, ne cautelae desint, fiant etiam citationes ad valvas et per edictum cum assignatione congrui temporis ad comparendum et declarandum etc. D. N., feliciter regnans, expresse inculcat et exigit hanc probationem summariam faciendam a P. Superiore Missionis vel ab aliis quibus facultates delegabit.

et internam sanctificationem et spes adest ut precibus et vivendi ratione coniugis fidelis, ad fidem et ipse adducatur prolesque christiane educetur. At ratione caritatis consilium verti potest in praeceptum, ita ut fidelis iam teneatur vitae consuetudinem cum infideli servare. Ita, e. g., si infidelis laborat morbo contagioso, ut puta, lepra, et non solum consentit pacifice cohabitare cum fideli, sed hanc cohabitationem peroptat et petit, fidelis vitam coniugalem illicite solveret; id enim esset contra privilegium Paulinum, cum infidelis, ex hypothesi, nullo modo discedat; esset insuper contra legem caritatis et non leve scandalum in catholicam religionem pareret.

c) Tandem si ad primam et alteram interpellationem negative responderit, videndum quanam de causa infidelis discedere velit; si enim iustam discedendi causam habet, fidelis ius ad novas nuptias ineundas non habet, et, si eas contraheret, ipsae essent illicitae et invalidae (cit. can. 1123); iusta autem causa ex regulis iustitiae et rectae rationis diiudicanda est. Iustae causae, quae frequentius occurrere possunt, sunt duae quae sequuntur: *Prima*: si post receptum baptismum fidelis adulterium commisit; quo in casu sibi imputet si debet continentiam servare. Adulterium commissum ante baptismum non privat fidelem coniugem iure utendi privilegio Paulino, quia baptismo deletum est. Hinc cum quaesitum fuisset a S. C. de Prop. Fide: «Si Titia, ante eius conversionem et baptismum, adulterium commisit et repudiata est, baptizata utine potest privilegio Paulino?» S. C. reposuit, die 17 ian. 1747: «Affirmative, praemissa tantum interpellatione, nullaque praeterea habita ratione utrum, necne, praecesserit sive adulterium sive repudium». Et nec adulterium commissum post baptismum, fidelem suo iure privat, si coniux infidelis vel idem peccatum commisit, vel adulterium a fideli patratum condonavit, vel eiusdem ipse causa fuit. *Secunda*: Si fidelis gravi morbo contagioso laborat, qui vitam communem impossibilem vel valde difficilem reddit, e. g., lepra. Si coniux fidelis *ex sua culpa* hunc morbum contraxit, rursus sibi imputet, si, privatus Paulino privilegio, debet continentiam servare; si *absque sua culpa*, nequit privilegium Paulinum invocare, quia pars infidelis ex iusta

causa cohabitationem denegat; et si, non obstante morbo, aliud matrimonium ipsi praesto est, poterit a Summo Pontifice petere dispensationem a praecedenti matrimonio in infidelitate contracto vi potestatis a Deo eidem concessa in matrimonia infidelium, de qua infra. Quod si infidelis discedit, sed non habet iustam discedendi causam, coniux fidelis statim obtinet ius transeundi ad alias nuptias cum persona catholica (rel. can. 1123), quod ius conservat, licet post receptum baptismum matrimonialiter vixerit cum infideli, si hic postea, mutata voluntate, discedat (rel. can. 1124).

Haec omnia prae oculis habere debet etiam ille, qui potestatem habet dispensandi ab interpellationibus aut ab eisdem legitime dispensaverit; si enim constet infidelem iustam habere discedendi causam, cum fideli non liceat ad alias nuptias transire, inutilis est dispensatio ab interpellationibus.

1153. Vinculum naturale prioris coniugii in infidelitate contracti tunc tantum solvitur, cum pars infidelis reapse novas nuptias cum persona catholica iniverit (rel. can. 1126). Vide supra n. 1147 ad 2um et ad 5um; et infra n. 1154, ad 3um et ad 8um. Initis autem novis nuptiis a coniuge converso, liber evadit et potest ad alia vota transire etiam coniux infidelis; de quo disputant DD. eorumque quaestionem Benedictus XIV in Const. *Apostolici ministerii*, 16 sept. 1743, intactam reliquit. Nam licet fidei privilegium sit in favorem coniugis fidelis, fieri tamen nullo modo potest ut vinculum solutum pro fideli, remaneat pro infideli; si enim vinculum non amplius exsistit, quo iure novum coniugis infidelis matrimonium erit invalidum aut etiam illicitum tantum? Vinculum enim *poenale*, de quo nonnulli loquuntur, commentitium prorsus est.

1154. Hic referre ex integro iuvat responsionem S. C. S. Officii datam ad Vicarium Apost. Natal, die 11 iulii 1886, quae aliis quoque quaestionibus lucem affert. Propositis dubiis:

« 1° Quaeritur utrum dispensatio a vinculo matrimonii, quae dari solet ab Ecclesia, positis ponendis post baptismum unius partis, possit applicari in casu in quo post baptismum unius, duae partes non cessarunt habere connexionem, et consummarunt matrimonium sicut ante baptismum?

« 2° Matrimonium valide contractum ante baptismum inter duos infideles potestne dissolvi, quando, post baptismum unius, pars infidelis promittit quidem se non inquietare mulierem baptizatam in professione christianitatis, sed ille recusat dimittere alias uxores illegitimas, vel non vult promittere se servaturum leges Evangelii circa monogamiam?

« 3° In casu praecedenti, si matrimonium dissolvi potest, mulier baptizata teneturne recurrere ad dispensationem pro dissolutione matrimonii?

« 4° Mulier baptizata potestne recurrere ad dispensationem, quando praenoscit, quod, facta dissolutione matrimonii, educatio prolis susceptae penitus erit in potestate viri eius infidelis?

« 5° Si dispensatio dari non potest, mulier legitima, quae fit christiana, post conversionem potestne cohabitare cum marito infideli, qui simul in eadem domo retinet uxores alias illegitimas?

« 6° Puella christiana, obtenta dispensatione *disparitatis cultus*, potestne legitime contrahere matrimonium cum infideli, qui non promittit se a polygamia abstinere in futurum?

« 7° Bertha, adhuc infidelis, contrahit matrimonium cum infideli statim ac pervenit ad annos pubertatis; et post duos annos relinquit virum suum, nulla suscepta prole, et ambo currunt ad alias nuptias, imo vir accipit plurimas uxores, et fit polygamus. Sed nunc mulier, aetate provecta, audito missionario, vult baptizari: potestne illa mulier dispensari a vinculo matrimonii contracti cum primo marito, non postulato consensu eius, et sic remanere cum secundo marito, ex quo illa suscepit prolem?

« 8° Apud quosdam infideles detestabilis viget consuetudo, iuxta quam vir, post commissum adulterium cum uxore alterius, administrat remedium uxori adulterae, cuius effectus erit inferre mortem super legitimum maritum eo ipso quod postea habebit connexionem cum uxore sua. [1] Unde postulatur utrum vir legitimus, qui nolit cohabitare cum uxore sua post adulterium commissum, si convertitur ad fidem, poterit

[1] Quod tamen inter fabellas esse amandandum non est dubium.

dispensari a vinculo matrimonii sui contracti in infidelitate et ducere alteram uxorem, etiamsi infidelis uxor adultera vellet et ipsa baptizari? »

S. C. reposuit: « EE. et RR. PP. ad singula postulata responderunt iuxta sequentem modum, hisce tamen praenotatis:

« 1° Supra scripta postulata intelligi de privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso et per Apostolum Paulum, *1ª ad Cor.*, VII, 12 seq., promulgato.

« 2° Hoc privilegium divinum in eo consistere, quod, stante matrimonio legitime in infidelitate contracto et consummato, si coniugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis coniugis fidelis, vel non sine exsecratione Ssmi nominis Christi, et christianae religionis despicientia, tunc integrum sit converso transire ad alia vota, postquam infidelis interpellatus aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia.

« 3° Iuxta idem divinum privilegium coniugem conversum ad fidem, in ipso conversionis puncto, non intelligi solutum a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc, si coniux infidelis renuat, acquirere ius transeundi ad alias nuptias cum tamen coniuge fideli. Ceterum tunc solum coniugii vinculum dissolvi, quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias.

« Hinc : Ad 1um: Si quando evenerit ut, stante duorum infidelium matrimonio, alter coniugum, ad fidem conversus, baptismum susceperit, atque cum infideli coniuge pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitaverit, si postmodum infidelis, quin tamen pars fidelis rationabile motivum dederit discedendi, nedum converti recusaverit, sed fracta fide de pacifica cohabitatione, aut odio religionis discesserit, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluerit, vel fidelem ad peccatum mortale aut ad infidelitatem trahere tentaverit, integrum erit coniugi fideli ad alia vota transire.

« Ad 2um: Si agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii, quae convertitur, tunc, facta interpellatione, si renuat converti aut cohabitare absque iniuria Creatoris, ac proinde desinere a concubinatu, qui sine iniuria Creatoris certe haberi nequit, poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

« Ad 3um: Quando coniux infidelis rite interpellatus, aut absolute recusaverit cum coniuge ad fidem converso cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, vel absque eo quod se a concubinatu abstinere perpetuo velit, tunc coniux conversus, praehabito superioris ecclesiastici iudicio, separari debet ab infideli, et poterit, si velit, uti privilegio, seu divina dispensatione in favorem fidei concessa, et sic ad alia vota transire cum persona fideli.

« Ad 4um: Si coniugi fideli impossibile prorsus sit filios e potestate alterius coniugis in infidelitate obdurati, subducere, nec fas sit, praemissa iuridica et formali interpellatione, cum eo cohabitare, vel quia ille non vult, vel non sine contumelia Creatoris vult cohabitare, praehabito iudicio superioris ecclesiastici, integrum erit ad alia vota transire, firma tamen manente obligatione, qua semper tenetur, curandi, si quo modo poterit, catholicam filiorum educationem.

« Ad 5um: Provisum in praecedentibus.

« Ad 6um: Negative, et in similibus casibus missionarii, qui ex concessione apostolica pollent facultate dispensandi super disparitate cultus, caveant ne dispensationem concedant, nisi remoto polygamiae periculo.

« Ad 7um: Quum agatur, uti supponitur, de matrimonio legitimo in infidelitate contracto, mulier separetur a secundo viro omnino et cum effectu; et si ob gravissimas causas et realem impotentiam separari nequeat quoad habitationem, separetur saltem quoad torum et consuetudinem; nullum amplius habens cum eodem viro tractum aut carnale commercium. Deinde de more instruatur, ei praecipue notificando, quod, suscepto baptismo, non dispensetur ab obligatione, quam habet, redeundi ad primum maritum; et quatenus, post

debitam instructionem, constet, eam moveri ad accipiendum baptismum ex vero religionis motivo, admittatur statim ad baptismum, eoque collato, interpelletur omnino primus vir, et interrogetur utrum converti velit, aut sine contumelia Creatoris cum ea vitam traducturus sit, et de omnibus resultantibus R. P. D. Vicarius Apost. S. C. certiorem faciat. Quod si vero summarie saltem et extraiudicialiter constet coniugem in infidelitate relictum adeo esse absentem ut moneri legitime non possit, aut monitum, intra tempus in monitione praefixum, suam voluntatem non significavisse, vel si adiri quidem possit coniux infidelis, sed de comparte iam facta christiana interpellari nequeat sine evidenti gravis damni ei vel Christianis inferendi periculo, quin huiusmodi damna cum necessaria circumspectione et cautela removeri possint, haec omnia Apostolicae Sedi renuntiabit Vicarius Apost., expressis nominibus et expositis gravissimis causis pro obtinenda dispensatione super impedimento dirimenti disparitatis cultus, si praetensus secundus vir adhuc in infidelitate persistat, et narratis omnibus rerum, personarum et facti adiunctis, ut in re tam gravis momenti procedi tuto possit.

« Ad 8um: Matrimonium etiam in infidelitate contractum natura sua est indissolubile et tunc solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei a Christo D. concessi, et per Apostolum Paulum promulgati, quando coniugum alter christianam fidem amplectitur, et alter nedum a fide amplectenda omnino renuit, sed nec vult pacifice cum coniuge converso cohabitare absque iniuria Creatoris, ideoque non esse locum dissolutioni quoad vinculum matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo coniuges baptismum susceperunt vel suscipere intendunt ».

1155. Ex huc usque disputatis de privilegio Paulino, nonnulla non levis momenti corollaria deducuntur:

1° Privilegium Paulinum locum habet quando, interpellationibus peractis aut legitime dispensatis, coniux infidelis sine iusta causa discedit, seu nec vult converti nec pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris cum coniuge converso, qui tunc obtinet ius novas nuptias contrahendi cum persona

catholica, quibus initis naturale vinculum pro utraque parte dissolvitur (n. 1153).

2° Si coniux conversus hoc suo iure non utitur quia non potest aut non vult novas inire nuptias, tunc si matrimonium cum infideli non fuerat consummatum, solvi potest vi can. 1119 (n. 1131); si fuerat consummatum, peti potest a Romano Pontifice eiusdem dissolutio vi potestatis quam habet in matrimonia legitima, de qua infra.

3° Cum vinculum naturale non dissolvatur, nisi cum coniux conversus vel, utens iure suo, novas nuptias contraxerit cum persona catholica vel vinculi naturalis dissolutionem alio modo obtinuerit, sequitur coniugem infidelem *a*) si interim aliud contrahat matrimonium, invalide contrahere; *b*) si, e contrario, et ipse convertatur et baptismum suscipiat, posse coniugem antea conversum, qui novas nuptias nondum contraxerit, ad vitae consuetudinem revocare.

4° Tandem referimus responsionem a S. C. S. Officii datam die 17 ian. 1900. Titius hebraeus in uxorem duxerat Semproniam hebraeam; postea a Sempronia separatus, matrimonium invalidum contraxit cum Caia catholica; tandem ad fidem conversus et baptizatus petiit a S. C. S. Officii sanationem in radice sui matrimonii cum Caia. S. C. respondit: « Dummodo constet ex processu saltem summario mulierem (Semproniam) nullum responsum dare voluisse, matrimonium (cum Caia) contrahi posse et ad mentem. Mens est hoc in casu non dari locum dispensationi (sanationi) in radice; nam adhuc viget prius matrimonium (cum Sempronia) in infidelitate contractum, quod non dissolvitur, nisi quando post conversionem et interpellationem inutiliter factam novum ac validum contractum fuit matrimonium ».

III. - De solutione matrimonii legitimi auctoritate Sanctae Sedis quando salus animarum id exigit et absit scandalum.

Can. 1125. - Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III *Altitudo*, 1 iunii 1537; S. Pii V *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571; Gregorii XIII *Populis*, 25 ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur.

Can. 1126. - Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit.

Can. 1127. - In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

1156. Etiam haec Romani Pontificis potestas probatur non aliquo sacrarum Scripturarum testimonio, sed facto Romanorum Pontificum (n. 1130); fundamentum autem iuridicum huius potestatis vide n. 1159. Iam vero facile probari potest Romanos Pontifices has dispensationes et anteactis temporibus concessisse et nostris temporibus concedere, quando casus cum requisitis circumstantiis occurrunt.

1157. Citamus in primis Const. Pauli III *Altitudo divini*, 1 iunii 1537 (cf. Documentum VI in fine Codicis) in qua legitur: « ...Sane cum sicut, non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus quamplures incolae occidentalis et meridionalis Indiae, licet divinae sint legis expertes, Sancto Spiritu tamen cooperante, illustrati, errores quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus et cordibus abiecerint, ac fidei catholicae veritatem et S. Ecclesiae unitatem amplecti et secundum ritum eiusdem Romanae Ecclesiae vivere desiderent et proponant... Super eorum vero matrimoniis hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant uxores et non recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; si vero recordantur quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant... » Patet igitur Paulum III exercuisse potestatem plane distinctam a privilegio fidei; nam viro infideli qui plures habet uxores et non recordatur quaenam earum sit prima, Romanus Pontifex permittit, si vir convertatur, unam retinere, quam maluerit, licet prima non sit, aliis dimissis; hoc autem fieri non potest, nisi primo matrimonio dissoluto, si mulier non est prima uxor; proinde primum matrimonium dissolvit.

1158. Accedit S. Pii V Const. *Romani Pontificis*, 2 augusti 1571 (Doc. VII in fine Codicis) in qua haec leguntur: « ...Cum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate

manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est quod recipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata exsistit; et quia saepenumero contingit illam non esse primam coniugem, unde tam ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire; ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere atque ipsos Episcopos et ministros ab huiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sic ut praemittitur baptizati et in futurum baptizanti, cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere... ». Ut patet, in his verbis S. Pii V nullum vestigium de privilegio Paulino; nam S. Pontifex viro, qui in infidelitate plures uxores duxerat, permittit illam retinere, quae cum ipso conversa est, etiamsi non sit prima; hoc autem fieri nequit, nisi soluto matrimonio cum prima.

1159. Addimus Gregorium XIII Const. *Populis*, 25 ian. 1585, (Doc. VIII in fine Codicis): « Populis ac nationibus nuper ex gentilitatis errore ad fidem catholicam conversis expedit indulgere circa libertatem contrahendi matrimonia, ne homines, continentiae servandae minime assueti, propterea minus libenter in fide persistant, et alios illorum exemplo ab eius perceptione deterreant. Quoniam igitur saepe contingit multos utriusque sed praecipue virilis sexus infideles, post contracta gentili ritu matrimonia, ex Angola, Aethiopia, Brasilia, et aliis Indicis regionibus, ab hostibus captos, a patriis finibus et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari, adeo ut tam ipsi, captivique qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur, coniuges infideles tam longo locorum intervallo disiunctos, an sine contumelia Creatoris

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

secum cohabitare velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias ne nuntiis quidem accessus pateat, vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem: idcirco Nos, attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, universis et singulis dictorum locorum Ordinariis et parochis, et presbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis Superioribus approbatis et ad dictas regiones pro tempore missis vel in illis admissis, plenam auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus incolis dictarum regionum et serius ad fidem conversis, qui ante baptisma susceptum matrimonium contraxerunt, ut eorum quilibet, superstite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, aut responso non exspectato, matrimonia cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae sollemnizare, et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint remanere licite valeant: dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter, coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse; quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles *suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse*, et *ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse* [1] nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus». Ut patet, Romanus Pontifex viro, qui in infidelitate uxorem infidelem duxerat et postea baptismum recepit, si longo locorum intervallo ab uxore separatus, eam interpellare nequit, permittit uxorem

[1] Nonnulli legunt: *et ad fidem etiam contracti secundi matrimonii*; sed nostram versionem veram esse, vide apud Benedictum XIV, *De Syn.*, lib. XIII, cap. XXI, n. 5.

christianam ducere, superstite quoque coniuge infideli et eius consensu minime requisito aut responso non exspectato, eamque retinere, etiamsi postea innotuerit coniugem infidelem suam voluntatem iuste impeditam declarare non potuisse, imo tempore secundi matrimonii eam ad fidem conversam fuisse; haec autem supponunt primum matrimonium non privilegio Paulino, sed pontificia potestate solutum fuisse.

Notanda autem sunt verba: *idcirco Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint*, quae continent iuridicum fundamentum huius pontificiae potestatis; et cohaerent verbis Innocentii III in cit. c. 7: « Nam etsi matrimonium verum inter infideles exsistat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum exsistit, quia Sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii Sacramentum, ut ipsum in coniugibus, illo durante, perduret ».

1160. Constitutiones, quas supra retulimus, Pauli III, S. Pii V, Gregorii XIII, datae pro peculiaribus locis, postea per Codicem (rel. can. 1125) extensae fuerunt ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis, quae, singulas pontificias constitutiones resumentes, adnotavimus, omissis circumstantiis quae doctrinam non afficiunt.

1161. Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, cap. XXI, n. 5, negat ex relatis constitutionibus deduci iure posse Romanos Pontifices solvisse vinculum matrimoniale in infidelitate contractum. Ait enim: « Verricellus in suo Tractatu *De Apostolicis Missionibus*, lib. 4, *De privilegiis Regularium*, quaest. 98, dub. 16, diversae videtur esse sententiae, et in eam propendere, ut praedictae Apostolicae Constitutiones solutionem vinculi matrimonii in infidelitate consummati revera importent: etenim animadvertit, Gregorium XIII in suis litteris usum esse sequentibus verbis: *Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut, necessitate suadente, dissolvi non possint*: propterea eumdem concessisse Episcopis, Parochis, et Missionariis facultatem dispensandi cum neophytis, ut cum

fideli possint matrimonio coniungi, etiam superstite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, responso non exspectato. Verum ex his inferri recte non potest, voluisse Pontificem matrimonia in infidelitate contracta et consummata apostolicae auctoritatis plenitudine dirimere. Siquidem in iisdem Gregorii litteris expressa mentio fit iuris divini, quo matrimonii vinculum tollitur, si coniux infidelis ad viam veritatis venire renuat: nec alia Episcopis, Parochis et Missionariis dispensandi facultas conceditur, quam super iudicialis interpellationis rigore, ut supra observavimus. Quod maiorem videtur involvere difficultatem, illud est, quod, ex Gregorii Pontificis definitione, coniux ille, qui post fidem susceptam novo se connubio cum fideli sociavit, iubetur in eo perseverare, etiamsi primus ille infidelis repente compareat, ostendatque, se, iustis ex causis, praepeditum fuisse, quominus voluntatem suam de eadem Fide amplectenda manifestaret, et, quod magis est, etiamsi affirmet et probet, se iam fuisse christianis sacris initiatum, quo tempore alter coniux, se absente et ignorante, secundum matrimonium contraxit: quod quidem non videtur fieri aliter posse, nisi vinculum matrimonii in infidelitate initi et consummati, dissolvatur et auferatur. Sed eadem semper recurrit superius allata responsio; primum scilicet matrimonium nequaquam dici posse solutum a Summo Pontifice, bene vero a iure divino; nihilque in hac re a Pontifice fieri, quam, peculiaribus ita suadentibus circumstantiis, rigorem iudicialis interpellationis auferre». Sed cum debita tanto Pontifici reverentia, liceat animadvertere, ad rem nostram quod attinet, nihil referre utrum matrimoniale vinculum in infidelitate contractum solvatur a Pontifice *interpretante* ius divinum, recepta a Deo interpretandi potestate, an a Pontifice *dispensante* in iure divino, dispensandi potestate a Deo pariter recepta; semper enim verum est Pontificem, potestate a Deo recepta, solvere legitimum matrimonium; ipsa autem solutio per interpretationem potest, generaliori sensu, dici *dispensatio*.

1162. Post supra relatas Romanorum Pontificum generales constitutiones, addere iuvat, inter alias quae afferri possent,

duas dispensationes a Sancta Sede concessas in casibus particularibus. Quarum prima discussa fuit an. 1727-1728 in causa *Florentina* penes S. C. C. (quae tunc erat competens), quo tempore Secretarius S. C. erat Prosper Lambertinius, postea Benedictus XIV. Species haec erat. Ricca Esther, iudaea, matrimonium contraxerat et consummaverat cum Abraham, pariter iudaeo. Post aliquod tempus Ricca ad fidem conversa est et baptizata, ac, peracta interpellatione, Abraham reliquit, novas tamen nuptias non quaesivit. Tum Abraham aliam duxit uxorem iudaeam, Blancam nomine. An. 1726 Abraham et Blanca communi consensu religionem catholicam amplecti et baptismum suscipere volebant, sed simul in connubio permanere. Ricca interrogata respondit se libenter suum ad hoc consensum praestare et ad Abraham non velle redire, etsi baptismum reciperet. *Punctum reducitur*, optime dicebat in suo discursu S. C. Secretarius, *ad videndum an possit Pontifex dispensare in matrimonio in infidelitate consummato, postquam coniuges conversi sunt.* Scripserunt Urlaja... et Lambertinius, ille in favorem, hic in contrarium; et, reproposita causa, S. C. reposuit, die 29 martii 1727: «Scribatur iuxta instructionem». In Thesauro Resol. S. C. deinceps nulla amplius invenitur mentio huius causae; sed tandem in Pia Domo Catechumenorum almae Urbis apud S. Mariam ad Montes, sub die 20 ianuarii 1728, repertum est documentum baptismi Abraham et Blancae, quae *eius uxor* dicitur: unde dubitari non potest Summum Pontificem in casu dispensationem concessisse in matrimonio consummato inter Abraham et Riccam.[1]

1163. Eadem potestate in identico casu, recentioribus temporibus, usus est Leo XIII. Nam Praefectus Apostolicus Maroquien. exponebat duos iudaeos, Isaac et Rebeccam, matrimonium contraxisse. Postea Isaac libellum repudii dederat Rebeccae. Haec deinde ad fidem conversa baptismum receperat, sed caelebs permansit. Isaac vero sese univerat Antoniae,

[1] Attentis verbis Benedicti XIV, *De Syn.*, lib. VI, cap. IV, n. 4, dicendum ipsum Secretarium S. C. et deinde Summum Pontificem ignoravisse huius dispensationis concessionem.

mulieri catholicae, ex qua filios susceperat, quos catholice educare fecerat. Nunc autem Isaac converti vult et plene instructus enixe petit baptismum et ut legitimo matrimonio uniatur Antoniae, cui obstabat primum matrimonium cum Rebecca. Igitur casus erat similis casui in *Florentina* et S. C., die 23 maii 1894, reposuit: «Supplicandum Ssmo pro gratia dispensationis»; et Ssmus annuit pro gratia.

1164. Demum, qui praxim noscunt S. C. S. Officii, bene sciunt S. C., facto verbo cum Ssmo, huiusmodi dispensationes et praeteritis temporibus et nostris quoque diebus non raro concessisse et concedere.

1165. Ex dictis satis superque demonstratum est Romanos Pontifices hanc potestatem solvendi vinculum matrimoniale in infidelitate contractum et exercuisse et exercere in casibus qui longe distant a privilegio Paulino; proinde hanc potestatem ipsos habere dicendum est. Hanc potestatem eidem misericors Deus concessit in fidei favorem et salutem animarum. Ut igitur haec dispensatio a Romano Pontifice obtineri valeat, necesse in primis est ut exinde non oriatur scandalum, secus enim eius concessio non in salutem, sed in damnum vergeret animarum. Deinde requiritur ut concessio dispensationis necessaria sit pro animarum salute spirituali obtinenda. Haec exprimuntur, cum dicitur Romanum Pontificem hanc dispensationem non concedere nisi *ex iusta gravique causa* et *remoto scandalo.*

1166. Post ea quae huc usque diximus de dissolutione vinculi matrimonialis in infidelitate contracti, res ita explicatur. Misericors Deus hanc potestatem (dissolvendi scilicet matrimonium in infidelitate initum) dedit, in favorem fidei et propter salutem animarum, suae Ecclesiae, idest modo ordinario suo in terris Vicario, et modo extraordinario aliis Apostolis. S. Paulus, scribens ad Corinthios hanc generalem potestatem a Deo receptam applicavit et Sancta Sedes apostolicam applicationem probavit et servandam sedulo curavit. Ipsa Apostolica Sedes eamdem potestatem applicavit in can. 1119, in pontificiis constitutionibus Pauli III, S. Pii V, Gregorii XIII, quas supra retulimus, et in solutionibus, quas

recentioribus temporibus dedit, et applicat in casibus particularibus, qui eidem proponuntur, quoties favor fidei et salus animarum id exigit, abest scandalum, nec privilegium Paulinum applicari potest. Difficultatem faciunt verba Apostoli: *ceteris ego dico, non Dominus*, quae DD. non explicant uno eodemque modo. Putamus Apostolum iis verbis non excludere potestatem a Domino receptam, quod foret absurdum, sed dicere receptam potestatem, propria apostolica auctoritate, applicare ad casum particularem iniustae derelictionis coniugis fidelis.

1167. Codex in rel. can. 1126 tradit generale principium: « vinculum prioris coniugii in infidelitate contracti tunc tantum solvitur cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit». Quod principium saepius ante Codicem inculcatum in casu privilegii Paulini, valet quoque, ni fallimur, in casu dispensationis pontificiae, sive quia verba canonis sunt generalia, ita ut hunc etiam casum comprehendant, sive quia cit. can. 1126 ponitur in Codice post can. 1125, qui non de privilegio Paulino agit, sed de pontificiis constitutionibus cum potestate dispensandi matrimonia in infidelitate contracta, sive tandem ex analogia cum privilegio Paulino; sicut enim Deus ita voluit in casu privilegii Paulini, ita idem voluisse dicendum est, donec contrarium probetur, in casu pontificiae dispensationis. Hinc si Romanus Pontifex super legitimo matrimonio dispensaverit, hanc dispensationem ita intelligimus, ut novae nuptiae contrahi quidem valeant, sed interim permaneat vinculum matrimoniale legitimum, donec novae nuptiae de facto initae fuerint, adeo ut si post dispensationem pontificiam, sed ante novarum nuptiarum celebrationem, pars infidelis aliud matrimonium contraxerit, hoc, si nostra interpretatio est veritati conformis, invalidum esset, obstante dirimente impedimento *ligaminis*; inito autem matrimonio, vinculum etiam hoc in casu solvi pro utraque parte, non est dubium (n. 1153). Ignoramus utrum S. C. S. Officii mentem suam super hac quaestione usque adhuc aperuerit; hinc casus, si occurrerit, submittendus esset eidem S. C.

1168. Tandem Codex in ultimo rel. can. 1127 ponit aliud generale principium quod valet etiam in casu dissolutionis

matrimonii ex privilegio Paulino: *in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris*, de quo vide n. 21, 1°. Res dubia tunc proprie exsistit, cum pro utraque responsi parte aliqua est probabilitas, secus enim non est dubium, sed certitudo. Dubium autem versari potest: *a*) circa valorem matrimonii in infidelitate contracti; *b*) circa personam primae uxoris; *c*) circa validitatem baptismi a parte conversa recepti; *d*) circa sinceritatem responsi partis infidelis; *e*) circa causam sufficientem ad dispensandum ab interpellationibus vel a responso exspectando; *f*) circa exsistentiam matrimonii iam initi; *g*) circa verificationem conditionum pro usu privilegii Paulini. In his omnibus ea responsio retinenda est, quae favet libertati partis conversae ut cum fideli matrimonium inire possit, vel novum cum fideli iam initum valere dicatur.[1]

1169. Ut ea quae huc usque exposuimus de pontificia potestate in matrimonia infidelium, paucis comprehendamus, dicimus:

1° Matrimonium in infidelitate initum et ab utroque coniuge converso et baptizato consummatum, nulla humana potestate solvi potest.

2° A Romano Pontifice dissolvi potest et de facto ex iusta causa dissolvi solet *a*) matrimonium initum et consummatum in infidelitate non vero post utriusque coniugis baptismum; *b*) matrimonium in infidelitate initum et consummatum, si una tantum pars baptismum recipiat, licet post eius baptismum matrimonium rursus consummatum fuerit; *c*) matrimonium non consummatum initum inter partem baptizatam et partem non baptizatam.

3° Sedes Apostolica matrimonii legitimi consummati dissolutionem concedere non solet: *a*) si pars privilegio Paulino potest illud dissolvere novas nuptias contrahendo, quia non est recurrendum ad medium extraordinarium, cum praesto sit ordinarium ab Apostolo invectum; *b*) si matrimonium initum fuit cum dispensatione pontificia ab impedimento *disparitatis cultus*.

[1] Cappello, op. cit., n. 788.

1170. Haec quidem in hoc ultimo casu est praxis usque adhuc servata a S. C. S. Officii; quae tamen minime probat Sanctam Sedem ipsa potestate matrimonium dissolvendi carere. Unicum enim argumentum contra hanc Ecclesiae potestatem est, quia Ecclesia sua dispensatione matrimonium possibile reddidit; ergo iam non poterit idem matrimonium dissolvere. Sed hoc argumentum rem minime evincit. Nam n. 1131 diximus Sedem Apostolicam posse dispensare in matrimonio non consummato, licet matrimonium initum fuerit ex dispensatione Sedis Apostolicae in impedimento, e. g., *consanguinitatis, disparitatis cultus*... Ergo dispensatio a Sede Apostolica concessa, quae matrimonium possibile reddidit, eidem non aufert potestatem idem matrimonium dissolvendi, si hanc dissolutionem bonum animarum exigit. Dices in cit. n. 1131 agi de matrimonio *rato*, quod Ecclesiae potestati subest, non obstante dispensatione; id verum est, sed in casu nostro agitur de vinculo *naturali*, quod pariter Ecclesiae potestati subest, minime obstante dispensatione. Difficultatem facere videtur responsio S. C. S. Officii relata n. 1147 ad 4um: sed haec difficultas gravis non est. Nam Episcopus Coccinensis quaesiverat de privilegio Paulino, non autem de potestate Pontificis in matrimonia infidelium.

§ 2. - *De divortio semipleno, idest quoad torum, mensam et habitationem tantum.*

Can. 1128. - Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset.

Can. 1129. - § 1. Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit.

§. 2. Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit; praesumitur vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit.

Can. 1130. - Coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla unquam obligatione te-

netur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium; potest autem eundem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit.

Can. 1131. – § 1. Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora.

§. 2. In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore.

Can. 1132. – Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, et si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorundem catholica educatione, aliud decreverit.

1171. Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset (rel. can. 1128), sed haec iusta causa multiplex adesse potest. Protestantes docebant hoc semiplenum divortium fieri posse tantum ob adulterium, et errare Ecclesiam, quae alias quoque causas admittit. Eos damnavit Conc. Trid., sess. XXIV, *De matrimonio*, can. 8: « Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; a. s. ». Eiusmodi causae reducuntur ad adulterium, haeresim seu schisma, educationem prolis in secta acatholica, vitam criminosam vel ignominiosam, quodvis animae vel corporis periculum grave, mutuum consensum (cc. 1129-1131). Neque id obstat verbis Christi D., Matth., V, 19: *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis...*; nam Christus Dñus voluit ita indicare unicam intrinsecam causam separationis perpetuae, quae significatur illis verbis *dimiserit uxorem suam*, quae proprie divortium audit,[1] excludens uxoris

[1] « Divortium non est verum, nisi quod animo perpetuam constituendi dissensionem fit », l. 3 pr., Dig., *De divortiis et repudiis*, XXIV, 2.

deformitatem, inopiam et quidquid citra culpam est, ob quae Iudaei dabant libellum repudii.[1] Sed iam de singulis pauca.

1172. 1° Adulterium unius partis esse legitimam huius divortii causam pro altera parte, Codex docet (rel. can. 1129 § 1) et ipse Christus Dominus tradit.[2]

Requiritur autem:

a) Adulterium *formale et culpabile*, cum ius divortii competat propter solam fidei coniugalis criminosam violationem. Hinc locus divortio non est, si, e. g., vir, putans uxorem mortuam, aliam ducat, nisi, de illius vita certior factus, in unione perstiterit; aut viceversa si uxor, putans virum mortuum, alteri nupserit, licet nonnulli aliud sentiant; item si coniux invincibiliter putabat adulterum esse suum coniugem;[3] item si ab uxore omnino invita copula extorqueatur.[4] Utrum copula, metu gravi obtenta, satis sit ad divortium petendum, DD. inter se non conveniunt.[5]

b) Adulterium *consummatum* (n. 673). Unde non sufficiunt copula solum attentata, et multo minus amplexus, oscula, tactus vel alii turpes actus cum proprii vel alieni corporis pollutione.[6] Communis sententia est posse divortium fieri ob sodomiam, aut bestialitatem commissam a coniuge,[7] licet S. Alphonsus, cit. n. 962 putet hanc sententiam solido fundamento destitui.

c) Adulterium *moraliter certum*. Equidem[8] S. Hieronymus ait: « Ubicumque est fornicatio, *vel fornicationis suspicio*, libere dimittitur uxor ». At communiter advertunt AA. ex una parte non sufficere quamcumque probabilem suspicio

---

[1] Cornelius a Lapide in cap. V S. Matth.; S. Bellarminus, *De matr.*, lib. I, cap. XIV.

[2] S. Thomas, 4 disp. 35, q. un.; Sanchez, lib. X, disp. III, n. 6; Pontius, lib. IX, cap. XVI; Schmalz., lib. IV, tit. XIX, n. 1002; Cosci, *De sep. tori*, lib. II, cap. XIV.

[3] Cosci, l. c., n. 6; S. Thomas, l. c.

[4] Cosci, l. c.; S. Thomas, l. c.; Can. 6, c. 32, q. 5, in Decreto.

[5] Schalmz., l. c., n. 105; S. Alphonsus, l. c.; Sanchez, l. c.

[6] Schmalz., l. c., n. 103; Sanchez, lib. X, disp. IV, n. 9 seq.; Pirhing, n. 5; Reiff., n. 60; S. Alphonsus, l. c., n. 962, *Quaeritur*, III; Cosci, lib. II, cap. XVI, n. 17.

[7] Cosci, lib. II, cap. XIII, n. 25; Sanchez, lib. X, disp. IV, n. 3 seq.

[8] Cfr. can. 3, c. 32, q. 1.

nem de adulterio,[1] et ex alia non requiri testes de visu, qui in delictis carnis haberi non solent, sed satis esse in utroque foro praesumptiones, ut aiunt, violentas, quibus moralis certitudo inducitur de perpetrato crimine.[2]

1173. Hoc coniugis adulterium ius divortii alteri non tribuit in quadruplici casu (can. 1129 § 1):

a) Si adulterii malitia alteri quoque ex parte tribuenda est, e. g., si adulterium mandaverit, aut in illud consenserit seu expresse seu tacite, idest non impediens, cum sciret et facile posset (rel. can. 1129 § 1).[3] Diximus cum *facile posset*, secus enim non censetur consentire, quod plerumque verificatur in uxore relate ad virum. Praeterea coniux ius divortii non amittit, si, sciens alterius adulterium, simulet se illud ignorare, ut interea testes idoneos inveniat ad infidelem coniugem observandum et de adulterio convincendum.[4]

b) Si alter coniux alterum ad adulterium impulerit directe vel indirecte, e. g., negans debitum aut alimenta, vel eumdem e domo expellens, vel cum eodem non cohabitans sine iusta causa, etc., ex cit. cap. 6 cit. tit.

c) Si innocens adulterium coniugi reo condonavit sive expresse sive tacite, e. g., usu matrimonii, solitis amplexibus, osculis, etc.[5] Dummodo haec obsequia et signa coniugalis affectus sponte ac scienter dederit, et post reconciliationem reus novum adulterium non commiserit. Tacita condonatio praesumitur, nisi intra sex menses alter coniux coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit aut legitimam accusationem fecerit (can. 1129 § 2).

d) Tandem si et alius coniux deinde in adulterium lapsus est; nam per hoc aliud adulterium videtur inducta com-

---

[1] Cosci, lib. II, cap. XVI, n. 20 seq.; Sanchez, lib. X, disp. XII, n. 39.

[2] S. Alphonsus, lib. VI, n. 961; Schmalz., lib. IV, tit. XIX, n. 115 seq.; Ballerini-Gury, tom. II, n. 761 et fuse Cosci, lib. II, cap. XIV.

[3] Schmalz., l. c., n. 106; Sanchez, lib. X, disp. V, n. 4 seq.; Pontius, lib. IX, cap. XVII, n. 7; Pirhing, n. 11; Reiff., n. 66; Cosci, lib. 77, cap. XVI, n, 2.

[4] Schmalz., l. c.; Reiff., n. 69; Pirhing, n. 12.

[5] Sanchez, l. c., n. 19; Schmalz., n. 108; Pirhing, n. 14; Reiff., n. 71.

pensatio iniuriarum (can. 2218 § 3). Neque interest quinam prius aut pluries fornicatus sit.[1] Imo si coniux ob adulterium alterius propria auctoritate ab ipso diverterit, et deinde eiusdem criminis reus fiat, vitae consuetudo redintegrari debet. Non conveniunt DD. utrum idem servandum sit etiam in casu, quo coniux ex sententia iudicis diverterat;[2] sed certe non tenetur vitam matrimonialem restaurare, antequam petitione alterius partis per sententiam iudicis adstringatur.

1174. Coniux innocens propter alterius adulterium non tenetur quidem, sed potest petere divortium,[3] etiam perpetuum, quo se a reo, non reum a se liberat.[4]

Hinc ex una parte ipse potest, utcumque coniuge culpabili invito, religionem ingredi et profiteri, aut sacros ordines suscipere, salvis cc. 132 § 3, 542, 987 n. 2°; nec tenetur coniugem emendatum revocare, nisi forte ex reconciliatione magnum publicum malum avertatur, aut bonum promoveatur, aut ex caritate erga coniugem emendatum vel honestate quadam, si commode potest, adstringatur.

Ex alia autem parte coniux innocens potest reum quandocumque ad se revocare, sive propria auctoritate diverterit, sive ex sententia iudicis.[5] Hinc coniux dimissus nequit religionem amplecti, aut ad ordines ascendere, nisi de consensu innocentis; « alias... potest ab illo repeti et tenetur reddere », S. Alphonsus, lib. VI, n. 969 (can. 1130).[6] At sufficit etiam consensus tacitus, qui habetur, si innocens statum irrevocabilem religionis aut sacrae ordinationis iam susceperit, si sciat dimissum velle ad religionem vel ad clericalem statum transire, nec contradicat, cum possit; sed innocens in casu non tenetur aut religionem ingredi, aut voto castitatis sese adstringere.

---

[1] Sanchez, lib. X, disp. VI, n. 8; S. Alphonsus, lib. VI, n. 966; Schmalz., n. 107; Pirhing, n. 8; Reiff., n. 80-82.

[2] Schmalz., n. 107; Reiff., n. 86 seq.; Pirhing, n. 4, aliique affirmant. S. Alphonsus, lib. VI, n. 967, in fine, sententiam negantem longe probabiliorem habet.

[3] S. Alphonsus, lib. VI, n. 963.

[4] D'Annibale, p. III, § 471.

[5] S. Alphonsus, lib. VI, n. 967; D'Annibale, p. III, § 471, not. 32 et 35.

[6] Sanchez, lib. X, disp. X, n. 12; Ballerini-Gury, tom. II, n. 763.

1175. Certum est coniugem innocentem posse propter adulterium alterius propria auctoritate discedere (can. 1130), si delictum sit certum et notorium. Ratio est quia coniux ad divortium ius habet ex ipsa Evangelii lege, ita ut sententia iudicis tantum declaret causam idest adulterium verificari; atqui haec declaratio necessaria non est, quando adulterium est certum et notorium.[1]

At quaeritur num possit, si adulterium est certum, sed occultum. Communior et probabilior sententia affirmat,[2] saltem pro foro conscientiae, contra S. Thomam in 4, dist. 35, q. 1, a. 3, aliosque, quia causa tribuens ius divortii indubia est, ac proinde coniux innocens discedere prohibebitur in hoc casu tantum lege caritatis ad evitandum scandalum, aut diffamationem coniugis culpabilis: sed lex caritatis non obligat cum magno incommodo, quod hisce in casibus numquam non aderit.

Diximus *saltem in foro conscientiae*, quia in foro externo ex causa adulterii nec notorii nec legitime probati coniux dimissum coniugem recipere a iudice compellendus est, ne malis coniugibus praebeatur ansa innocentem compartem dimissione vel recessu iniuste vexandi.

1176. 2° Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit, si prolem acatholice educaverit, si vitam criminosam et ignominiosam ducat, totidem temporaneae separationis causae esse possunt (can. 1131 § 1). At si coniugi innocenti vitae consuetudo periculo proximo non est, ipse potest, sed non tenetur, discedere, et aliquando ex caritate nec poterit quidem, si nempe exinde spes conversionis sit; sed si vitae consuetudo ipsi praebet proximum perversionis in fide periculum, non solum potest, sed ex ipso naturali iure debet divertere.

Coniux innocens potest propria auctoritate, quin sententiam Ecclesiae exspectet, reum derelinquere, si haeresis etc., certa sit et periculum sit in mora (can. 1131 § 1).

---

[1] Schmalz., n. 111; Pirhing, n. 16; Reiff., n. 89; Sanchez, lib. X, disp. XII, n. 12 et 25.

[2] Praeter mox allegatos, D'Annibale, p. III, § 471.

Ast hoc divortium debet esse temporaneum, idest vitae consuetudo restauranda est, si coniux dimissus eiuraverit haeresim.., et indubia dederit resipiscentiae signa quandocumque innocens diverterit propria auctoritate. Si vero iudex divortium pronuntiaverit coniux innocens ad vitam coniugalem non tenetur, nisi decreto Ordinarii vel exacto tempore (can. 1131 § 2).

1177. 3° Praeterea etiam periculum grave seu animae seu corporis, saevitiae, quae vitam communem nimis difficilem reddant atque alia id genus, praebent coniugi innocenti ius divortii, seu separationis (can. 1131 § 1). Periculum *animae* habetur, e. g., si vir pertrahit uxorem ad furta, adulteria...; *corporis*, e. g., si alter alterius vitae struxerit insidias; si capitali odio vir uxorem prosequatur aut uxor virum, si morbo contagioso alteruter laboret, nisi sanus talem duxerit sciens volens;[1] si vir sanae uxori alimenta negaverit aut aegrotae medicamina. Saevitiae quoque ius praebent separationis sive quia saevitiae semel exercitae alias annuntiant, sive in poenam iniuriae uxori illatae. Quaenam saevitiae legitima divertendi causa sint, varie ex personis existimari debent: nam quae graves sunt respectu foeminae nobilis, leves sunt respectu foeminae humilis conditionis.[2]

Si periculum tale est ut moram non patiatur, coniugem posse propria auctoritate discedere palam est (can. 1131 § 1): sed, remoto periculo, redire debet, et ministerio iudicis cogi potest. In praxi vix credi potest « quod cesset unquam periculum, si coniux fuerit amens et furiosus, vel ita pronus ad iram ut saepe intervenerit periculum damni, et aliquando uxorem vulneraverit, vel si dederit venenum etiam semel ». S. Alphonsus, l. c. Si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad restaurandam vitae consuetudinem non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore (can. 1131 § 2).

Quod si divortium, iudicis ministerio, pronuntiatum fuit

---

[1] Reiff., lib. IV, tit. VIII, n. 8.

[2] S. Alphonsus, lib. VI, n. 971; Sanchez, lib. X, disp. XVIII.

ad certum incertumve tempus, coniuge ad meliorem frugem redeunte, innocens vitae consuetudinem restaurare non tenetur, nisi ex sententia iudicis, aut transacto tempore; sed licet pronuntiatum fuerit in perpetuum ob inemendabilem viri improbitatem, ipse nequit sine dispensatione Sedis Apostolicae aut ingredi religionem, ex praescripto can. 542, aut ad ordines promoveri, ex praescripto can. 987 n. 2°.

1178. 4° Tandem ex mutuo consensu posse coniuges se separare ad tempus ut orationi vacent, testis est Apostolus *1ª Cor.*, VII, 5, et ita etiam ob aliam iustam causam (can. 1128). Imo cum neuter teneatur iure suo uti, possunt, citra incontinentiae periculum, etiam in perpetuum se separare mutuo consensu ac privata auctoritate tum quoad torum, tum etiam quoad mensam et habitationem, secluso scandalo; quod tamen plerumque aderit, nisi ipsum coniugium occultum sit. Hinc per se possunt votum castitatis emittere. At bene advertit Laymann, lib. V, tr. X, p. 3, c. V, n. 11 seq.: « Propter incontinentiae periculum consultum non est coniugibus continentiam vovere, nisi praemissa matura deliberatione et longa experientia, quod facile continentes ambo esse possint: atque post votum toro eos separari oportet ».

Quaenam servanda sint, ut vir uxoratus possit ad sacros ordines ascendere, vel ut sive vir sive uxor post consummatum matrimonium religionem ingredi et profiteri valeant, non est hic exponendi locus.

1179. Pronuntiato a iudice divortio, filii educari et ali debent apud coniugem innocentem expensis rei. Quod si alter coniugum est infidelis aut haereticus, proles, propter favorem fidei, semper apud fidelem educanda est; licet hic fuerit in culpa.[1] At Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorumdem catholica educatione, aliud potest statuere (can. 1132).

---

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 976; Sanchez, lib. X, disp. XX, n. 3.

CAPUT VIII.

DE MATRIMONIO NULLO

1180. Huc usque diximus de matrimonio valide contracto; modo videamus quid iuris, si e contrario, matrimonium initum fuerit invalidum.

1181. Quoad filios qui nascuntur ex matrimonio nullo, vide quae diximus n. 1110 seq.; quoad coniuges ipsos, qui matrimonio nullo implicati reperiuntur, quatuor esse possunt remedia; scilicet *cohabitent uti frater et soror, relinquantur in bona fide, petant a legitimo iudice ecclesiastico declarationem nullitatis et discedant*, tandem *convalident matrimonium*. Quodnam ex his remediis magis consultum sit, pendet ex circumstantiis, et in dubio confessarius et parochus consulat Ordinarium, eiusque instructionem sequatur; sed fere numquam, propter incontinentiae periculum, suaderi poterit cohabitatio ad instar fratris et sororis.

1182. Si partes sunt in bona fide,[1] triplex casus fingi potest: Si neutra pars potest moneri sine periculo gravis incommodi et in primis peccati formalis, relinquantur in bona fide, etsi impedimentum sit iuris divini.[2] Si utraque pars moneri potest sine hoc periculo, utraque moneatur, ut deinde aut partes separentur et petatur declaratio nullitatis, e. g.,

---

[1] Nota *bonam fidem* in hac materia esse subiectivam certitudinem validitatis matrimonii; *malam fidem* esse scientiam vel dubium rationabile nullitatis. Proinde pars est in mala fide si scit nullitatem matrimonii aut de ea serio dubitat; in bona, si persuasum habet matrimonium esse validum, etsi error aut ignorantia alias fuerit culpabilis, aut peccatum in ineundo matrimonio commissum. Feije, n. 598, in nota.

[2] Hic casus accidit. Titius rem habuit cum matre vidua, inscio quidem Titio, sed non matre, quae filiam peperit. Haec nutrita et educata fuit extra maternam domum; et cum ad XVII suae aetatis annum pervenisset, ducta est in uxorem ab ipso Titio, eius simul patre et fratre. Mater, conscientiae stimulis agitata, omnia confessario pandit, hic consuluit Ordinarium, qui reposuit coniuges relinquendos esse in bona fide.

si partes in magna discordia vivunt, aut matrimonium convalidetur. Sed in hoc posteriori casu expedit omnino ut prius dispensatio ab impedimento, si obtinenda sit, obtineatur, et deinde monitio fiat, ita ut una simul possint partes moneri et coniugium convalidari. Tandem si una tantum pars moneri prudenter potest, si matrimonium non est convalidabile, neutra moneatur; si matrimonium est convalidabile, petatur prius dispensatio vel simplex vel in radice, et deinde pars monebitur, si monenda est. Ad rem Card. Caprara in instructione diei 25 apr. 1803 pro convalidatione irritorum coniugiorum in Galliis: « Si contrahentes communiter habeantur pro legitimis coniugibus, et ipsimet fortasse ex ignorantia invincibili sint in bona fide, et absque gravis scandali seu perturbationis periculo certiorari nequeant de nullitate matrimonii, hisce in circumstantiis in bona fide relinquendi sunt, quemadmodum per sacros canones disponitur ». Ita communiter contra Concina.[1]

1183. Si impedimentum non solum ambae partes, sed et alii cognoscunt, in primis partes separari debent, ratione scandali, quoad torum, mensam, habitationem, nisi cohabitationis separatio sit moraliter impossibilis et suppetant media, quibus sufficienter occurratur scandalo et incontinentiae periculo. Deinde si matrimonium non est convalidabile, petenda est declaratio nullitatis: si matrimonium est convalidabile, partes possunt aut petere declarationem nullitatis, aut matrimonium convalidare. Primum, maxime si proles deest, potius suadendum est, si divortium civile iam obtentum fuit, aut brevi obtinebitur; si animi dissociati prorsus sunt; si periculum est perversionis unius partis. Alterum potius, praesertim exstante prole quae ex separatione grave semper damnum

[1] Rosset n. 2797. Quaeri solet quomodo sese gerere debeat confessarius, si coniux relictus in bona fide, 1° debitum neget; 2° dubium ipsi confessario exprimat de validitate matrimonii. Respondemus: Confessarius in primo casu coniugem cogat ad debiti redditionem, quippe qui, negans debitum, peccat; in altero casu exquirat dubitandi motivum : si hoc motivum non continet causam nullitatis, id confessarius respondebit, etsi aliunde sciat matrimonium esse nullum : si hoc motivum continet causam nullitatis, debet respondere iuxta rei veritatem. Feije, l. c.; S. Alphonsus, *De Poenit.*, n. 616; Rosset, n. 2798.

morale patitur, praeferri debet ex caritate, si matrimonio non obstant gravissimae rationes, aut deinde civile divortium obtineri non poterit, et aliunde extra matrimonium periculum sit incontinentiae.

1184. Si impedimentum notum est partibus tantum, in primis eae separandae sunt quoad torum et etiam, ut supra, quoad habitationem, sub aliquo praetextu, e. g., itineris, ad impediendum scandalum et infamiam; deinde eadem repetenda sunt quae mox dicebamus.

1185. Tandem si impedimentum uni tantum parti notum est, haec certe nec petere nec reddere potest etiam cum quocumque incommodo: et si matrimonium non est convalidabile, moneat compartem de impedimento, separentur et petant declarationem nullitatis; si matrimonium est convalidabile, poterit alterutram viam, declarationis scilicet nullitatis aut convalidationis tenere, ut supra. Si primam seligit, moneat compartem, ab eadem separetur et instantiam introducat: si alteram, vel compars moneri potest sine incommodo gravi, et tunc ipsam moneat et matrimonium convalidetur simpliciter; vel compars moneri nequit sine incommodo gravi, et tunc aut in convalidatione simplici petatur remissio conditionis de altera parte certioranda, aut petatur sanatio in radice.[1]

Nostrum est in distinctis articulis fusius agere de matrimonii convalidatione, et de petitione ac declaratione nullitatis, idest de causis matrimonialibus.

Articulus I.

De matrimonii convalidatione.

Can. 1133. - § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia.

§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.

---

[1] Feije, n. 595 seq.; Marc, n. 2081; Bangen, tit. III, pag. 162 seq.; Rosset, n. 2799, aliique passim.

Can. 1134. – Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse.

Can. 1135. – § 1. Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta.

§ 2. Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto.

§ 3. Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret.

Can. 1136. – § 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat.

§ 3. Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma iure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus.

Can. 1137. – Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma.

1186. « Matrimonium revalidare, ait D'Annibale, p. III, § 484, est illud ex integro denuo contrahere. Quaecumque igitur eis (nuptiis) ineundis, haec et revalidandis regulariter necessaria sunt ». Scilicet convalidatio matrimonii est actus quo matrimonium invalidum redditur validum. Proinde sicuti in celebrando matrimonio necessaria est habilitas personarum, seu absentia cuiuslibet impedimenti dirimentis, consensus internus, et expressio huius consensus in debita forma, ita regulariter et in matrimonio convalidando. Novus consensus dicitur *consensus renovatio.*

1187. Ex hac notione convalidationis iam patet coniuges, momento convalidationis, debere esse in statu gratiae, quia tunc revera matrimonium-Sacramentum contrahitur; secus pars quae peccato mortali maculatur, non obtinet gratiam, et, si conscia est convalidationis, committit sacrilegium. « Deficiente vero recta dispositione, non idcirco procrastinanda est revalidatio, cum maius plerumque malum ex procrastinatione eveniret »; Marc, l. c., in nota.

Pariter ex data notione sequitur omnia quae coniugatis licita sunt, sed solutis illicita, ante convalidationem matrimonii his praetensis coniugibus per se prohiberi, postea licita esse.

1188. Iam vero ad rem nostram propius accedentes, animadvertimus matrimonium convalidari posse dupliciter, nempe vel per simplicem convalidationem, vel per sanationem in radice. De utraque singillatim.

§ 1. - *De simplici convalidatione.*

1189. Simplex matrimonii convalidatio est actus quo matrimonium invalidum redditur validum cum renovato consensu et absque ulla fictitia retrotractione ad praeteritum. Hanc simplicem convalidationem explicantes, aliqua praemittimus de lege quae praecipit consensus renovationem.

1190. Principii loco statuimus hanc consensus renovationem, attento naturae iure, seu praecisione facta ab Ecclesiae lege, minime requiri ad matrimonium convalidandum; id melius intelligitur si percurramus singulas nullitatis causas. Contractus matrimonialis celebratus cum aliquo impedimento dirimente, e. g., *aetatis*, sed cum debito consensu interno rite manifestato, permanet post celebrationem cum suo consensu (n. 2), sed iura et officia matrimonialia non producit, seu iuridice non valet, quia obstat impedimentum dirimens: hoc igitur remoto, quia vel cessavit vel dispensatum fuit, iam, attento iure naturae, deberet suos effectus producere seu iuridice valere. Si vero contractus matrimonialis celebratus fuit absque utriusque partis debito consensu interno, licet hic consensus fuerit rite manifestatus, ad matrimonii validitatem necesse omnino est, ipso attento naturae iure, ut hic consensus internus praestetur, qui in casu non *renovatur*, si proprie loqui velimus, sed *praestatur*; hoc autem praestito, nil deesset, attento iure naturae, ad matrimonii validitatem. Tandem si contractus matrimonialis celebratus fuit sine impedimento dirimente et cum debito consensu interno et externo, sed hic consensus non fuit in forma substantiali praescripta manifestatus, cessante per dispensationem praescripto formae, rursus matrimonium, attento iure naturae, valere deberet.

1191. At Ecclesia sua positiva lege constituit matrimonium, exceptis nonnullis casibus, non revalidari, nisi per renovatio-

nem consensus; id autem potuisse Ecclesiam constituere, dubitari nullo modo potest; si enim potest impedimentum dirimens ferre et modum determinare quo consensus matrimonialis debeat ad validitatem manifestari, absque dubio poterit ad matrimonii invalidi convalidationem exigere ut consensus praestitus renovetur. Porro lex explicita id statuens ante Codicem non aderat, sed ius commune eruebatur tum ex cc. 2 et 4, X, *De coniugio servorum*, IV, 9, tum praesertim ex praxi Ecclesiae quae ab hac renovatione consensus dispensare solebat. Codex relatis canonibus omnia in claro posuit; nam rel. can. 1133 § 2 edicit hanc renovationem consensus *iure ecclesiastico* requiri ad convalidationis *validitatem*, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit; can. 1134 statuit hanc consensus renovationem debere esse novum voluntatis actum in matrimonium quod constet ab initio nullum esse; tandem in reliquis canonibus declarat quandonam haec consensus renovatio requiratur et quomodo fieri debeat et quando consensus praestitus sufficiat; quod nos infra exponemus.

1192. Ex dictis apparet ad consensus renovationem, lege Ecclesiae praescriptam, satis non esse, si partes, remoto impedimento, nil dubitantes de nuptiarum validitate, matrimonio utantur per copulam, quia in casu non haberetur nisi continuatio prioris consensus, dum e contra Ecclesia exigit novum voluntatis actum. At si partes noverint matrimonium initio fuisse nullum ob occultum impedimentum, postea cessavisse nullitatis causam et deinde copulam habeant *affectu maritali* (praesumitur autem hanc haberi affectu maritali, nisi aliud probetur), iam censentur novum voluntatis actum lege requisitum emisisse et ita legem de renovando consensu implevisse. Haec autem privata consensus renovatio sufficit ad matrimonium convalidandum, nisi lex ad matrimonium convalidandum exigat substantialem matrimonii formam. Hanc doctrinam S. C. S. Officii semper retinuit.[1]

[1] Card. Gennari, *Consultazioni morali*, vol. I, Cons. 118, citat responsionem S. C. S. Officii datam die 8 martii 1899: in eodem sensu S. C. reposuerat etiam die 31 aug. 1887.

1193. Cum vero consensus renovatio exigatur lege ecclesiastica, sequitur infideles, matrimonio invalido unitos, ad illius revalidationem, cessata invaliditatis causa, ad eamdem non teneri, cum infideles legibus ecclesiasticis non adstringantur. Ut id melius declaretur, triplex fingatur casus: 1° *Neutra pars est baptizata*; neutra tenetur lege de renovatione consensus ob allatam rationem. 2° *Una non est baptizata et de baptismo alterius serio dubitatur*; neutra pariter tenetur, non prima ob allatam rationem, non secunda quia lex dubia non obligat, sicuti eadem pars non tenetur aliis legibus ecclesiasticis, e. g., de Missa audienda diebus festis... 3° *Una est baptizata et altera non baptizata*; utraque tenetur, prima tenetur directe, quia est baptizata, et altera indirecte ob individuitatem contractus, sicuti, e. g., in impedimento *disparitatis cultus* lex Ecclesiae afficit partem baptizatam et indirecte ac per accidens partem non baptizatam (n. 567).

1194. His positis, ad rem nostram accedentes iuxta ordinem, quem in hoc Tractatu sequuti sumus, supponamus in primis matrimonium fuisse nullum ob aliquod impedimentum dirimens, e. g., *ligaminis, consanguinitatis, aetatis*..., quod reddit partes inhabiles ad contrahendum, etsi consensum praestiterint in debita forma nec revocaverint — deinde nullum fuisse ob defectum consensus in utraque vel alterutra parte, quia nempe partes, licet fuerint habiles et in debita forma contraxerint, tamen consenserunt ex vi, simulate, ex errore, sine debita mentis discretione, aut sub conditione — tandem fuisse nullum ex defectu formae substantialis, licet partes fuerint habiles, et consensum habuerint in eoque perseverent. De simplici matrimonii convalidatione in tribus his casibus agit Codex in relatis canonibus, finem imponens pluribus gravibusque quaestionibus, quae ante Codicis promulgationem inter DD. agitabantur.

1195. De primo casu simplicis revalidationis tractat Codex in rel. can. 1133 § 1, tradens ad revalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens duo requiri: ut removeatur impedimentum et renovetur consensus saltem a parte impedimenti conscia.

1196. Ad primum quod attinet, relatus Codicis canon ait: *cesset aut dispensetur impedimentum*. Porro plerumque impedimentum removetur dispensatione, a legitimo superiore concessa, sed nonnulla simpliciter cessant sine ulla dispensatione, scilicet impedimentum *aetatis*, adveniente nubili aetate; impedimentum *raptus*, redditione mulieris loco tuto; impedimentum *ligaminis*, solutione primi matrimonii; impedimentum *disparitatis cultus*, conversione coniugis infidelis; impedimentum *impotentiae*, remotione impotentiae. Quod si impedimentum nec per se cesset, nec dispensari queat, matrimonium non est convalidabile. Si impedimentum tollitur dispensatione, serventur quae exposuimus in longiori cap. III, art. IV, § 2.

1197. Rel. can. 1135 edicit quomodo renovatio consensus fieri debeat, ut matrimonium nullum ob impedimentum dirimens convalidetur. Nimirum:

1198. *a*) Si impedimentum est *publicum* (n. 209), consensus renovari debet in forma iure praescripta (rel. can. § 1), idest coram parocho et testibus; modus vero servandus in hac renovatione, determinatur in clausulis rescripti quo conceditur convalidatio, sedulo servandis (n. 359). Si forma substantialis est in casu obligatoria, sed partes nullo modo induci possunt ut consensum renovent coram parocho et testibus, petenda est a Sede Apostolica sanatio in radice; si vero formae substantialis observantia est in casu possibilis, sed non obligatoria, satis est ut consensus renovetur modo externo privato. Fingatur casus: Titius et Sempronia, acatholici baptizati, coram magistratu civili matrimonium contraxerunt nullum iure canonico non autem iure civili ob impedimentum *aetatis* ex parte mulieris: tractu temporis impedimentum cessavit, et modo coniuges, de conversione ad catholicam Ecclesiam cogitantes, volunt matrimonium convalidare: ad quid tenentur? Non est necessaria dispensatio ab impedimento, quia hoc iam cessavit; tenentur ad renovationem consensus, quia utraque pars est baptizata; non tenentur consensum renovare in forma canonica substantiali, quia haec eos non obligat (can. 1099); igitur satis est ut consensum renovent modo externo privato, iuxta ea quae mox dicemus sub litt. *b*). Tandem eadem repe-

tantur, si observantia formae substantialis non est possibilis, idest si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistat (can. 1098); de qua re vide quae diximus n. 1001 seq.

1199. *b*) Si *sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto* (rel. can. § 2). *Privatim*, idest sine parocho et testibus, seu sine forma sive substantiali sive accidentali iure praescripta; *secreto*, ita nempe ut alii consensus renovationem penitus ignorent; sufficit igitur ut partes sibimet dicant: *tu es mea uxor, tu es meus maritus*, et matrimonium convalidatum est. Nec est necesse ut renovatio consensus utriusque partis sit simultanea. Quod si una pars consensum renovare recuset, licet in consensu praestito perseveret, aliud remedium non erit, nisi a Sancta Sede petere sanationem matrimonii in radice.

1200. *c*) Si *sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut pars, impedimenti conscia, consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret* (rel. can. § 3). Hinc a parte, quae impedimentum ignorat, non requiritur consensus renovatio, sed satis est ut in consensu perseveret praestito, cum matrimonium contraxit. Pars vero impedimenti conscia consensum debet renovare, sed ipsum renovare potest etiam per actum mere internum, aut per copulam animo maritali positam, aut per obsequia coniugalia hac mente praestita. Perseverantia vero alterius partis in praestito consensu satis verificatur, si consensus praestitus positive revocatus non fuerit. [1]

1201. De altero simplicis convalidationis casu agit rel. can. 1136, ubi in § 1 traditur principium generale, scilicet *matrimonium convalidari, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret*; quod principium est iuris naturae; deinde exponitur, quomodo pars quae non consenserat, consentire debeat, ut matrimonium validum evadat. Scilicet:

1202. *a*) Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat (§ 2).

[1] Cappello, op. cit., n. 845.

Hinc necesse est ut haec pars notitiam habeat nullitatis matrimonii et deinde satis est ut consensum renovet per novum voluntatis actum internum. Hinc non requiritur ut de hoc novo voluntatis actu moneat alteram partem, dummodo haec consenserit et in consensu perseveret.

1203. *b*) Si defectus consensus fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam externe manifestare; et quidem si fuerit externus-publicus, debet manifestari forma iure praescripta; si fuerit externus-occultus, sufficit ut manifestetur modo privato et secreto. De utroque casu vide quae diximus n. 1198 seq. Renovatio consensus privata et secreta sufficit, etiamsi defectus consensus ab initio fuerit publicus, sed deinde evaserit occultus, e. g., si mortui sint ii, qui de eodem testificari poterant; sane defectus iam est occultus, quando renovatio fieri debet; et de hoc agit relati canonis § 3.

1204. De tertio casu simplicis convalidationis agit can. 1137, qui tradit matrimonium nullum ob defectum formae, ut convalidetur, contrahendum esse legitima forma. Si utraque vel alterutra pars recuset substantialem matrimonii formam, vel acceptet substantialem, sed recuset accidentalem, vide quae diximus cit. n. 1198 seq.

1205. Ex dictis facile apparet quid faciendum pro revalidatione matrimonii quod nullum fuit ex pluribus capitibus: scilicet quae de singulis diximus, servanda simul sunt.

1206. Matrimonium ex simplici convalidatione incipit valere *ex nunc*, idest a momento convalidationis. Quod vero attinet ad prolem antea susceptam, ipsius legitimatio regitur disciplina tradita in cc. 1116-1117, uti fusius diximus n. 1116 seq. Quod si matrimonium fuerit nullum ob defectum consensus vel formae, non vero ob dirimens impedimentum, proles convalidationi praehabita aut etiam concepta tantum, legitima efficitur momento convalidationis, attenta habilitate parentum ad matrimonium contrahendum inter se. Si e contra parentes inhabiles exstiterint triplici tempore, de quo in cit. cc., tunc pro legitimatione prolis recole quae diximus n. 407.

§ 2. – *De matrimonii sanatione in radice.*

Can. 1138. – § 1. Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur.

§ 3. Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia.

Can. 1139. – § 1. Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret.

§ 2. Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti.

Can. 1140. – § 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

Can. 1141. - Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede.

1207. In rel. can. 1138 § 1 datur definitio sanationis matrimonii in radice, quae est: matrimonii convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu et retrotractionem per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum.[1] Haec definitio facile intelligitur, si prae oculis habeatur conceptus iuridicus sanationis in radice.

---

[1] Vide prae ceteris *Acta Sanctae Sedis*, vol. 1, App. VIII, pag. 82 seq.; Benedictus XIV, *Quaest. can.*, 174; et *Quaest. can.*, 183 *in suo Discursu*, n. 52, et *De Syn.*, lib. XIII, n. 7; Gury, tom. II, n. 901 seq.; Lehmkuhl, vol. II, n. 828 seq.; Feije, n. 715 seq.; D'Annibale, p. III, § 594.

1208. Ante Codicis promulgationem quaestio erat inter canonistas utrum sanatione in radice matrimonium validum fieret *ex tunc*, uti aiunt, idest a momento celebrationis matrimonii, ita ut non solum pro tempore quod sequitur sanationem, sed etiam pro tempore quod praecedit, validum reipsa iam esset; an potius validum fieret *ex nunc*, idest a momento sanationis in radice, ita ut pro tempore quod sequitur validum esset, sed pro tempore quod praecedit irritum foret et permaneret. Et nonnulli licet magni nominis canonistae,[1] primum sustinebant, quia, aiebant, matrimonium *sanatur in radice*, idest ab ipsa matrimonii celebratione. Sed a plerisque[2] haec sententia reiiciebatur et revera absurda erat, quia ad praeteritum non datur potentia et est aperte contradictorium, infectum fieri factum; hinc, e. g., peccata, in antecessum commissa usu matrimonii, remanent peccata, luenda aut lacrimis aut gehenna. Codex rel. can. 1138 § 2 de medio sustulit hanc quaestionem, declarans: « convalidatio fit a momento concessionis gratiae (idest sanationis in radice); retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur ».

1209. Scilicet supponamus in primis matrimonium esse nullum ob dirimens impedimentum quod adhuc exsistit. Ecclesia, concedens sanationem in radice, dispensat *ex nunc* ab impedimento dirimente, per fictionem iuris retrotrahit hanc dispensationem ad initium matrimonii, nisi aliud dicatur (seu fingit hanc dispensationem fuisse concessam quando matrimonium initum fuit) et ideo dispensat a lege de renovando consensu et prolem legitimam habet ab inito matrimonio. Proinde matrimonium redditur validum per dispensationem ab impedimento et per dispensationem a lege de renovando consensu, quae duae dispensationes in ipsa sanatione in radice continentur, prima directe, altera mediante illa fictione. Igitur concessa pure et simpliciter sanatione in radice matrimonium

[1] Scavini, vol. III, n. 1050; Giovine, tom. I, nn. 323, 326; De Angelis, lib. IV, tit. XVII, n. 3 aliique.

[2] D'Annibale, p. III, n. 504; Lehmkuhl, l. c.; Feije, l. c.; Schmalz., lib. IV, tit. XVII, n. 123; Sanchez, lib. VIII, disp. VII, *Acta Sanctae Sedis*, l. c.

ob illas duas dispensationes, reipsa incipit valere a momento sanationis vi consensus ab initio praestiti et perseverantis et ideo usus matrimonii iam licitus est et proles nascitura iam est legitima ex ipsa rei natura, sed etiam proles, antea forte suscepta, est legitima ex positiva concessione Ecclesiae, in eadem sanatione in radice contenta, mediante illa fictione, ita ut, si proles erat legitima, e. g., quia matrimonium erat putativum, iam sit legitima ex duplici capite. Ad rem Benedictus XIV in Const. *Etsi matrimonialis*, 27 sept. 1735: « Per eam (sanationem in radice) non fit, ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui, ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu, producti fuerunt ».

1210. Haec indoles sanationis matrimonii in radice declaratur ex c. un. *De immunitate ecclesiarum*, III, 17 in Clem. Bonifacius VIII nova sanctione prohibuerat ne laica potestas contributiones aliaque onera imponeret super bonis ecclesiasticis et clericorum, ita ut si aliter fieret, tum qui contributiones exigerent, tum qui darent, excommunicationi ipso facto, et si communitates essent, interdicto subiacerent. Cum itaque ex hac nova sanctione, et subsequutis declarationibus nonnulla scandala, magna pericula et incommoda gravia fuerint sequuta, et ampliora sequi praesumeretur verosimiliter in futurum, Clemens V in Concilio Viennensi, in usum revocans ea quae circa immunitatem ecclesiasticam statuta iam erant, constitutionem Bonifacii abrogavit his verbis: « Constitutionem et declarationem, seu declarationes praedictas, et quidquid ex iis secutum est vel ob eas, penitus revocamus et eas haberi volumus pro infectis ». Ex hac Clementina dispositione infert Glossa, v. *pro infectis*: « Per hoc puto quod excommunicatus ex viribus illius constitutionis (Bonifacii) absolutione non egeat. Et vide quanta est papalis potestas circa ea quae simpliciter sunt de iure positivo, quia revocat illa *ut ex tunc* ». Proinde sicut Clemens V sua dispositione hoc unum effecit, ut Bonifaciana constitutio deinceps pro tempore futuro non amplius exsisteret, et simul effectus ab eadem producti pro

tempore praeterito tollerentur; ita Romanus Pontifex, sanans matrimonium in radice, facit ut lex irritans non amplius urgeat, et matrimonium pro tempore futuro validum sit vi prioris consensus, ac simul effectus nullitatis, idest illegitimitas prolis, pro tempore praeterito removeantur.

1211. Quid vero si impedimentum dirimens, quod nullum reddebat matrimonium, iam cessavit: e. g., impedimentum *aetatis*, et modo, cum constet de veri consensus praestatione et perseverantia, Ecclesia concedit sanationem in radice? Hoc in casu impedimentum *aetatis* non dispensatur nec per fictionem iuris, quia non exsistit, sed Ecclesia sanatione in radice *ex nunc* dispensat a lege de renovando consensu et concedit prolis legitimationem; et per fictionem iuris retrotrahit dispensationem et legitimationem prolis ad tempus quo partes praestiterunt consensum, in eodem postea perseverantes, ita ut rursus matrimonium quoad validitatem sanetur *ex nunc* vi prioris consensus dati et perseverantis, quoad legitimationem prolis sanatur *ex tunc*, Ecclesia positive eam concedente.

Haec satis declarant conceptum iuridicum sanationis in radice.

1212. Sanatio in radice, de qua supra, est sanatio plena et proprie dicta; sed concedi potest et saepe conceditur sanatio in radice imperfecta et secundum quid, cum scilicet in concessione retrotractio fit non ad initium matrimonii, sed ad aliquod temporis matrimonialis momentum intermedium, vel conceditur dispensatio ab impedimento et a lege de renovando consensu, sed absque ulla retrotractione.

1213. Omnes admittunt prolis legitimationem per sanationem in radice concessam sortiri omnes effectus ecclesiasticos et temporales in Statu temporali Sanctae Sedis, aliisve in locis ubi id a civili auctoritate receptum est. Quaeritur an sortiatur effectus temporales iure proprio et originario ubique terrarum: quaestio gravis momenti, cum ex ea definiri debeat, attenta rei veritate, e. g., num filius, ope huius sanationis in radice adeptus legitimitatem, in maioratus ac fideicommissi successione praeferendus sit aut alteri fratri minori, sed post sanationem legitime nato, aut alteri consanguineo. Iam vero ple-

rique affirmant,[1] quam sententiam Sanchez, l. c., appellat receptissimam et veriorem. Nonnulli hanc rationem afferunt, quia matrimonium fit validum *ex tunc*; ex matrimonio autem valido plena legitimitas prolis, ipso iure naturae, sequitur. Hinc iuxta hanc doctrinam Romanus Pontifex directe sanaret matrimonium *ex tunc* et indirecte ac consequenter plenam legitimitatem etiam quoad temporales effectus proli conferret. Dicemus plane quod sentimus. Si sanatione in radice matrimonium valeret *ex tunc*, revera sequeretur prolis legitimitas quoad effectus quoque temporales a Romano Pontifice concessa indirecte et consequenter, ut supra. At n. 1208 probavimus matrimonium valere *ex nunc*. Proinde legitimitas pro tempore praecedenti, nisi verbis ludere velimus, repetenda est ex directa Ecclesiae concessione, quae illam elargitur, mediante fictione iuris, de qua supra. Iam vero quando matrimonium nullum fuit ob impedimentum iuris ecclesiastici, Romanus Pontifex, iure proprio et originario, concederene potest directe proli iam susceptae legitimitatem etiam quoad effectus civiles? A solutione huius quaestionis pendet solutio quaestionis praecedentis. DD. autem huic quaestioni communiter respondent negative, idest Romanum Pontificem, extra suum temporale dominium, non posse hanc legitimitatem, quoad civiles effectus, directe elargiri, nisi bonum religionis in casu particulari aliud exigat; nam effectus civiles legitimitatis sunt in casu materia pure civilis, non ecclesiastica. Ceterum recentiores legislationes sanationi in radice ab Ecclesia concessae effectus civiles recognoscere non solent.

1214. Ex hactenus disputatis facile apparet quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum *iuris ecclesiastici* vel ob defectum formae, posse sanari in radice, ut traditur rel. can. 1139 § 1, sanatione plena et proprie dicta. Cum enim consensus datus fuerit et perseveret, nil impedit quominus

---

[1] Sanchez, lib. VIII, disp. VII, n. 4; Benedictus XIV, cit. *Quaest.*, 174; Giovine, I, § 326; Schmalz., lib. IV, tit. XVI, n. 120; De Angelis, lib. IV, tit. XVII, n. 3.

per sanationem dispensatio super impedimento aut super canonica forma concedatur *ex nunc* et per fictionem iuris retrotrahatur ad matrimonii initium, et ideo dispensetur a lege de renovando consensu, et legitimetur proles nata ab inito matrimonio; in quo plena et proprie dicta sanatio in radice consistit.

1215. Quid vero si matrimonium contractum fuit cum impedimento iuris naturalis vel divini? Id evenire potest si matrimonium nullum fuit vel ob impedimentum *ligaminis*, e. g.: Titius, separatus ab uxore, connubium civile init cum alia muliere, et nunc, mortua uxore, petit civile matrimonium sanari in radice; vel ob impedimentum *impotentiae*, e. g.: mulier, impotentia antecedenti et perpetua laborans ob arctitudinem vaginae, matrimonium contrahit, et modo, remoto impedimento *impotentiae* per chirurgicam operationem, petit a Sancta Sede matrimonii sanationem in radice. De hoc casu agit rel. can. 1139 § 2, statuens Ecclesiam matrimonium in casu non sanare in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti. Quod indiget declaratione.

1216. In primis evidens est hoc in casu Ecclesiam concedere non posse sanationem in radice plenam et proprie dictam, quia, concedens hanc sanationem, Ecclesia non solum dispensaret a lege de non renovando consensu atque ita reciperet consensum ab initio praestitum et perseverantem, sed insuper hanc dispensationem per fictionem iuris retrotraheret ad initium matrimonii, considerans matrimonium tamquam initum sine impedimento ideoque validum: atqui Ecclesia nec per fictionem habere potest validum matrimonium, cui obstat impedimentum iuris naturalis vel divini ab ipsa indispensabile. Quaestio igitur est utrum Ecclesia possit, necne, in casu concedere sanationem in radice imperfectam et secundum quid, nempe dispensationem a lege de non renovando consensu cum fictitia retrotractione non ad initium matrimonii, sed ad momentum quo cessavit impedimentum iuris naturalis vel divini et ideo cum legitimatione prolis ab hoc momento susceptae.

1217. S. C. S. Officii an. 1904 iussit ut haec quaestio, quae pluries eidem proposita fuerat, funditus examinaretur; et plures

Consultores pro hoc examine scripserunt et inter alios ipsa S. C. nos designavit, licet aliis gravibus occupationibus distentos et aliis Consultoribus scientia canonica longe inferiores. Nos, sententiam affirmativam sustinentes, retulimus plus minusve ipsam doctrinam in nostro Tractatu expositam; alii Consultores pro sententia negativa fere unice institerunt in hac eorum thesi, scilicet haberi non posse consensum matrimonialem, si matrimonio obstat impedimentum dirimens iuris divini sive cognitum sive ignoratum, quas rationes nos retulimus et confutavimus n. 813; ex qua thesi plane sequitur concedi non posse sanationem in radice etiam imperfectam et improprie dictam cum dispensatione a lege de renovando consensu et cum retrotractione ad momentum quo cessavit impedimentum. Hanc thesim nos falsam retinebamus et falsam retinemus; sed S. C. stetit pro sententia negativa; nam ad propositum dubium, die 2 martii 1904, reposuit: « Matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini *non posse sanari in radice* »; qua responsione, a Sanctissimo probata, negatur Ecclesiae, ut patet, ipsa sanandi potestas; quae responsio absque ullo dubio refertur non tantum ad sanationem plenam et proprie dictam, sed etiam ad sanationem imperfectam et improprie dictam, vel, si mavis, ad utramque.

1218. Deinde res incidit in Codicem, qui hanc quaestionem praeterire non poterat. Iam vero plerique eorum, qui nobiscum in Commissionibus pro Codice redigendo adlaborabant, responsum S. C. non admittebant ob gravissimas rationes quas nos dedimus n. 813; et nos pro munere Praesidis Commissionum, quo fungebamur, rem totam referre debuimus ad Summum Pontificem, qui responsum S. C. probaverat. Itaque Pio Pp. X exposuimus plerosque doctissimos canonistas Commissionis pro matrimonio putare responsum S. C. non posse in Codicem introduci, quia Ecclesiae denegat ipsam sanandi potestatem, quae eidem tribuitur a canonistis et theologis magni nominis, etiam post S. C. responsum, quaeque in nonnullis adiunctis est unica anchora spiritualis animarum, eo vel magis quod hoc responsum, iam magnam habens auctoritatem, in Codicem

introductum longe maiorem obtineret, imo, iuxta nonnullos, ad dogmaticam definitionem assurgeret, quod sane nullo modo meretur; hinc iudicio Consultorum melius esse, loco responsi S. C., in Codice affirmare factum, quod scilicet Ecclesia in casu *non sanat*, licet, si salus animarum id exigat, sanare possit, sicuti in impedimento *affinitatis* ex copula licita in linea recta S. C. respondere solebat: *Ecclesia non dispensat*, et tamen hodie gravibus de causis dispensat (n. 722). Ssmus haec omnia probavit et ita factum est, ut in Codice loco responsi S. C. diei 2 martii 1904, poneretur rel. can. 1139 § 2.

1219. Ex dictis satis apparet sensus relati canonis et explicatur quomodo S. C. S. Officii et ceterae SS. CC. pro foro externo et S. Poenitentiaria pro interno, valde gravibus de causis, aliquando concedant hanc imperfectam et improprie dictam sanationem in radice ad momentum scilicet cessationis impedimenti iuris divini, non obstante citato responso S. C. et rel. can. 1139 § 2.

1220. E contrario, « si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus postea fuerit revocatus »: ita in rel. can. 1140. Hunc canonem explicamus. ad examen revocantes varios casus, qui occurrere possunt, quique solutionem habent in verbis relati canonis.

1221. 1° Sempronia, nubens Titio, consensum matrimonialem non habuit, postea consensit, et perseverante consensu petit sanationem in radice, nolens matrimonium inire forma canonica. Matrimonium in casu sanari in radice nequit a momento celebrationis matrimonii, quia fictitia retrotractio ad initium matrimonii est impossibilis (rel. can. 1140). Exinde deduces sanationi in radice locum non esse in unione mere fornicaria. Sed in casu exposito possibilis est sanatio imperfecta et improprie dicta, idest a momento positi consensus. Ita explicatur praxis Ecclesiae sanandi in radice matrimonium civile. Si pars, dum civile matrimonium init, intendit meram civilem caeremoniam explere, sanatio ex dictis non est possibilis, sed si consentit in matrimonium, licet putet hunc consensum esse inefficacem (et hoc praesumitur quia verba

matrimonium sonant), sanatio est possibilis et de facto SS. CC. eam, gravibus de causis, concedere solent.

1222. 2° Sempronia nupsit Titio cum vero utriusque partis consensu, licet matrimonium nullum esset ob dirimens ecclesiasticum impedimentum, e. g., *consanguinitatis*; deinde Sempronia consensum revocavit et in hoc rerum statu Titius a Sancta Sede petit sanationem in radice. Nonnulli [1] putant sanationem in casu concedi posse, quia revalidatur matrimonium *in radice* seu quando initum fuit, et tunc consensus utriusque partis aderat. Sed immerito prorsus (rel. can. 1140); nam ex dictis matrimonium sanatione in radice fit validum *ex nunc*; in casu autem, cum in momento sanationis consensus deficiat, validum fieri nequit. Quod si consensus ab initio adfuit, deinde revocatus fuit, sed postea rursus positus, momento sanationis adest, sanatio in radice plena et proprie dicta possibilis est. Circa sanationem in radice matrimonii nulliter contracti a partibus quarum una postea incidit in amentiam, distinguendum est. Si amentia est perpetua absque lucidis intervallis etsi non desint doctores qui tenent sanationem in radice esse possibilem, quia consensus praestitus fuit nec revocatus, tamen de facto S. Poenitentiaria et SS. CC. non sanant huiusmodi matrimonium: revera, cum ex dictis, matrimonium per sanationem in radice fiat validum ex nunc, non concipitur convalidatio matrimonii, quaecumque ea sit, quando una ex partibus incapax est consensus matrimonialis eo prorsus modo quo nec intelligitur eiusmodi matrimonii celebratio.

Si amentia est temporanea et pars amens habet lucida intervalla, vera et proprie dicta sanatio in radice conceditur tantummodo in lucido intervallo.

1223. Porro consensus, semel praestitus, censetur perdurare, donec revocetur, idque sufficit pro concedenda sanatione in radice, nisi positiva consensus exsistentis argumenta in sanationis rescripto exigantur. Cum vero revocare consensum matrimonialem sit elicere voluntatis actum illi contrarium, idest voluntate dicere explicite vel implicite: *Restituo tibi ius acce-*

[1] Perrone, lib. II, n. 173; Scavini, vol. III, n. 1050.

ptatum in corpus tuum, et revoco ius datum in corpus meum, hinc sanatio in radice concedi poterit donec constet de hac voluntatis retractatione. In genere persuasio validitatis matrimonii impedit quominus seria et efficax huiusmodi voluntas foveatur, quippe quae concipiatur impossibilis. Proinde sanatio in radice concedi potest et conceditur in casu quo unus coniux noscit impedimentum et alter illud ignorat, etsi ignorans impedimentum, si illud novisset, certe plenum faceret divortium, quia illud *faceret* indicat voluntatem mere interpretativam.[1] aut, etsi ignorans impedimentum, divortium semiplenum quaerat, quia hoc non respicit nisi exercitium iuris coniugalis.[2] Etiam cum scientia impedimenti consensus matrimonialis potest perdurare: hinc sanatio concedi potest et conceditur, si partes, cognita nullitate matrimonii, consentiunt permanere in matrimonio, sed una pars vel utraque induci nequit ad illum reiterandum coram parocho et testibus.

Imo alterutra vel etiam utraque pars, petens declarationem nullitatis, praesumitur fovere voluntatem discedendi conditionatam: *Si sententia erit mihi favorabilis*; proinde ante sententiam sanatio in radice applicari poterit. Item post sententiam contrariam petitioni, si forte matrimonium nullum est ob aliud impedimentum non indicatum: non vero post sententiam favorabilem, quia voluntas discedendi iam evasit absoluta. Quod si pars petens declarationem nullitatis, habebat discedendi voluntatem: *Si quomodocumque matrimonium invalidum est*, etsi sententia fuerit contra nullitatem, sed aliud exstet impedimentum dirimens non indicatum, sanatio in radice forte concessa foret inefficax.[3]

1224. 3° Tandem pauca dicenda sunt de sanatione matrimonii in radice, cui obstabat impedimentum *mixtae religionis* aut *disparitatis* cultus.

In primo casu, matrimonium cui obstat solum impedimentum *mixtae religionis*, est graviter illicitum, sed validum; tunc

[1] *Acta S. Sedis*, l. c.; Lehmkuhl, l. c., n. 811; Giovine, tom. I, § 328, n. 4; Feije, n. 771.

[2] *Acta S. Sedis*, l. c.; Giovine, l. c.

[3] Lehmkuhl, vol. II, n. 832.

igitur non potest esse locus sanationi in radice. Ut vero pars catholica obtineat dispensationem ab impedimento cum absolutione a peccato commisso, exponat Ordinario *vel* partem acatholicam veram fidem suscepturam esse, *vel* cautiones iure praescriptas haberi, *vel* saltem moraliter certum esse partem acatholicam baptismum catholicum et catholicam educationem universae prolis non esse impedituram, et sese pro viribus curaturam partis acatholicae conversionem. Quod si adsit etiam causa nullitatis, e. g., defectus formae substantialis, tunc matrimonium est nullum et illicitum ratione defectus formae substantialis et rursus est illicitum ratione impedimenti *mixtae religionis*. Potestne Ecclesia dispensare vel sanare in radice? Dummodo consensus ab utraque parte praestitus perseveret, potest, si verificentur quae mox dicebamus et tunc pars catholica obtinet quoque absolutionem a censuris, si matrimonium initum fuit corum ministello (can. 2319); non potest, si nec pars acatholica convertatur ad fidem nec cautiones habeantur nec illa moralis certitudo. Sane S. C. S. Officii communicavit S. C. Orientali et S. C. de Prop. Fide mixta coniugia posse deinceps sanari in radice: *dummodo moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis tam natae quam nasciturae catholicam educationem non esse impedituram*, quod ita intelligendum est ut includat etiam catholicum baptismum. Quam regulam modo omnes SS. CC. accurate servant, ut apparet ex formulis quibus utuntur in hisce negotiis expediendis quaeque prostant in Alleg. V. Ita S. C. de Prop. Fide in responsione ad Delegatum Apostolicum in Turcarum republica, data die 4 septembris 1931, non admittens petitam sanationem in radice, addit *iuxta ultimas dispositiones S. Officii, non posse sanari in radice mixta coniugia, nisi habeatur moralis certitudo partem acatholicam universae prolis tam natae quam nasciturae catholicam educationem non esse impedituram.*

In altero casu impedimentum *disparitatis cultus* illicitum et invalidum reddit matrimonium iure ecclesiastico, sed etiam ius divinum illud prohibet, si nec cautiones habeantur nec moralis certitudo de qua supra; pro dispensationem autem et sanatione in radice ea omnia servanda sunt, quae mox

exposuimus. Quod si tam in primo quam in altero casu, ex peculiaribus adiunctis speciales difficultates occurrant, aut in dubio utrum in casu adsit, necne, moralis certitudo necessaria ad dispensationem obtinendam, haec omnia exponantur S. C. S. Officii quas unice competens est in materia.

1225. Gravissimi AA.[1] docent sanationem in radice nec concedi posse, si coniugium speciem veri matrimonii non praetulit aut partes non fuerunt in bona fide. Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, disp. XXI, n. 7, expresse tradit huiusmodi dispensationes « concedi quidem aliquando, gravissimis urgentibus causis et quatenus coniunctio coniugum extrinsecam speciem habuerit iusti matrimonii, neque copula fuerit manifeste fornicaria ». Et similia habet in Epistola *Redditae Nobis*, 5 dec. 1744, § 40, ibi: « Requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali ». Sed haec, praeeunte praesertim Ecclesiae praxi, rite intelligenda sunt, quatenus sanatio in radice necessario supponat partes verum matrimonialem consensum habuisse et expressisse, ita ut, remoto impedimento, matrimonium iure naturae validum fuisset; sed necesse minime est ut matrimonium initum fuerit coram parocho et testibus, aut partes impedimentum ignora verint. Revera Ecclesia, uti diximus, sanare solet matrimonium, ut aiunt, civile, licet partes illius nullitatem dignoverint.[2] Igitur dicendum aut Benedictum XIV per speciem iusti matrimonii in casu solum intellexisse consensum matrimonialem expressum modo naturaliter sufficienti, aut Ecclesiam, mutatis circumstantiis, disciplinae rigorem hac in re temperavisse.

1226. Explicata hoc modo natura sanationis in radice, dubitari nequit de potestate Romani Pontificis eamdem concedendi, sive quia de facto concedit, sive quia potest dispensare ab impedimento dirimente et a lege de renovando consensu, et simul auferre praeteritos effectus nullitatis (legitimare prolem), mediante illa fictione, perinde quasi ab initio validum matrimonium fuisset: atqui his tota sanatio in radice conti-

---

[1] Giovine, tom. I, § 327, cum aliis.

[2] Card. Gennari, l. c.; D'Annibale, p. II, § 504.

netur. « Ita ut assertio additionatoris ad Navarrum cit. conf. 2, lib. 5, ubi refert S. P. Gregorium XIII consimilem dispensationem concedere noluisse, et etiam addidisse se non posse dictam concedere dispensationem, vel intelligenda sit et explicanda, ut Pontifex dicere voluerit se dictas dispensationes concedere non posse, nisi magna urgente causa..., vel de manifesta redarguatur falsitate, cum constet Gregorium XIII dispensationes concessisse in radice matrimonii... »; Benedictus XIV, cit. *Quaest. can.*, 174. Romanus Pontifex ob eamdem rationem sanationem in radice concedere potest non solum in casibus particularibus, sed etiam in globo, et insciis prorsus partibus, ac etiam uno coniuge defuncto; e. g., Bonifacius VIII coniugium inter Sancium IV, Castellae Regem, iam praemortuum, et Mariam, in tertio consanguinitatis gradu ei coniunctam, sanavit; et S. C. C. in *Pragensi, Matrimonii*, 10 sept. 1723, censuit: « Praevio recessu a decisis, consulendum Ssmo pro dispensatione in radice matrimonii », licet vir supremum diem iam obiisset. [1] Imo gravissimi AA. censent sanationem in radice concedi posse, exstante prole, etsi uterque coniux defunctus sit; et merito, cum revera idem prorsus sit casus. [2] At in his casibus proprie non est *matrimonii sanatio*, cum matrimonium, non amplius exsistens in rerum natura, revalidari nequeat, sed est tantum prolis legitimatio concessa per dispensationem legis irritantis *uti ex tunc*. Pariter Feije, n. 769, narrat s. m. Pium IX, an. 1868, sanavisse in radice matrimonium quod initum fuerat cum solo impedimento iuris ecclesiastici, sed cui deinde supervenerat impotentia perpetua, ita ut haec fuerit subsequens celebrationem matrimonii, sed antecedens sanationem. Neque in hoc casu fuit vera *sanatio matrimonii*, quia tempore sanationis erat insanabile ratione impotentiae, sed fuit legitimatio prolis modo superius exposito.

Episcopi sine speciali indulto eam elargiri nequeunt: « cum solius Romani Pontificis, ait ad rem Bened. XIV in cit. Const.

---

[1] Giovine, t. I, § 324; Scavini, l. c.; Sanchez, lib. VIII, disp. VII, n. 6; Benedictus XIV, cit. *Quaest. can.*, 174; Schmalz., lib. IV, tit. XVII, n. 120; Card. Gennari, vol. I, Cons. 128, cum communi.

[2] Schmalz., l. c., 121; Giovine, l. c.

Etsi matrimonialis, sit non solum dispensationes in radice matrimonii indulgere, sed etiam conditiones constituere pro validitate gratiae adimplendas»; quod Codex confirmat rel. can. 1141.

Quamquam *sanatio in radice* dicatur tantum in re matrimoniali, tamen similes dispensationes dantur etiam in aliis materiis: de qua re vide Sanchez, lib. VIII, disp. VII, n. 12.

1227. Antiquitus sanationes in radice matrimonii vix concedebantur: historia tamen refert Bonifacium VIII eam concessisse an. 1301 (n. praec.). Hodie earum usus frequentior est. Facilius datur quando matrimonium initum fuit bona fide, saltem ex una parte, et speciem veri matrimonii retinet.

1228. Rite animadvertit Giovine, tom. I, § 332, n. 3: « Quod si impedimentum de facili publicum reddi, aut saltem coniugi ignaro, lapsu temporis, enunciari possit, non satis consulitur eiusmodi coniugum et prolis necessitati, petendo dispensationem in radice pro foro conscientiae tantum, quae in foro fori suffragari nequit. Quare in tali eventu necesse est, ut impetretur sanatio in radice valitura quoque pro foro externo: et tunc opus est ut confessarius suum poenitentem, impedimenti conscium, moneat ut rem secreto palefaciat proprio Antistiti, qui ita se gerere potest, ut res adhuc ignota maneat. Neque tamen timeri potest ne evulgetur impedimentum, dum impetratur sanatio in radice pro foro quoque externo valitura. Etenim in huiusmodi eventu Ordinarius non per consuetas testimoniales gratiam a Pontifice impetrabit, sed per specialem commendatitiam clausam, suoque sigillo obsignatam, atque per organum Maioris Poenitentiarii petet. Quin imo, quoties agitur de pluribus coniugiis dicto modo sanandis, potest casus exponi, relictis putatorum coniugum nominibus, impetrando facultatem concedendi sanationem in radice valituram quoque pro foro externo. Etenim in tali eventu in sequenti modo S. Sedes rescribere Ordinario consuevit: *S. Poenitentiaria... facultates necessarias et opportunas concedit ad hoc ut matrimonia, de quibus, et prout in precibus, contracta, super respectivis impedimentis, quibus singuli coniuges detinentur, dispensando, Apostolica auctoritate in radice sanare, et proles sive susceptas, sive suscipiendas exinde legitimas de-*

clarare valeat, descriptis in calce praesentium propriis coniugum nominibus et cognominibus, ac praesenti gratia pro quolibet futuro eventu in episcopali cancellaria caute asservanda ». Similis clausula additur etiam rescripto personis determinatis et notis dato pro foro externo.

1229. Pro concedenda sanatione in radice necessaria est gravis et urgens causa, quae fere semper intercedit et est ut consulatur conscientiae aut legitimationi prolis; secus, scienter concessa a delegato invalida dici debet (can. 84). Gravis et urgens causa suppetit si una pars impedimentum dirimens, antea ignotum tunc primum comperit, sed absque periculo nequit alteri parti manifestare nullitatem coniugii ad novum consensum praestandum. Eadem causa gravis et urgens habetur in casu quo una vel utraque pars cum scientia impedimenti matrimonium inivit et postea alterutra peccatum lugens cupit conscientiae consulere, renuente altera consensum canonica forma renovare, priore tamen posito perseverante.

Si partes matrimonium contrahant cum scientia impedimenti, sed cum ignorantia ipsius vis dirimendi nuptias, et gravitas impedimenti talis est ut vix diu latere possit ipsos sponsos nullitas matrimonii (uti in affinitate in primo gradu aut in consanguinitate in primo tangente secundum), tunc casu ad S. Sedem ab Ordinario delato, S. C. de Sacramentis concedit indultum sub alternata formula, nempe vel convalidationis simplicis, si partes induci possunt ad consensum renovandum saltem privatim coram parocho et duobus testibus confidentibus, aut coram parocho aut coram solis testibus, facta facultate dispensandi ab impedimento; vel sanationis in radice, si partes aut earum altera consensum etiam praefata forma renovare recuset (Alleg. V, n. 45). Tandem si utraque pars nescit impedimentum et nullitatem, et moneri nequit, vel quia metuendum est ne, eo cognito, divertat, vel quia nullitas provenit ex culpa Ordinarii, parochi, confessarii, in hoc casu S. Sedes, iuxta circumstantias, aliquando rescribit pro sanatione in radice in forma gratiosa sine ullo exsecutore, aliquando coniuges relinquit in bona fide, aliquando dat Ordinario indultum sanandi matrimonia in singulis casibus, pro

quibus ad ipsum recursus habitus fuisset, constito prius de perseverantia consensus in unoquoque.

1230. Instantia pro sanatione in radice inscribi semper debet Romano Pontifici, qui eam elargitur pro foro externo per organum S. C. S. Officii, vel S. C. de Sacramentis, vel S. C. de Prop. Fide, iuxta diversam competentiam, vel S. C. pro Ecclesia Orientali pro suis subditis; pro foro autem interno per organum S. Poenitentiariae. In ea exprimi debet an consensus ab initio adfuerit, et perseveret in utraque parte, an partes fuerint in bona fide, quaenam sint causae pro sanatione, praeter alia, quae pro ipsa impedimenti dispensatione indicanda sunt.

Exsecutor vel commissarius sedulo servet clausulas in rescripto appositas.

1231. Pro fulminatione sanationis non est determinata formula et satis est si formulae consuetae addatur: *in radice*; e. g.: *Ego auctoritate apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice eius sano, prolemque susceptam legitimam declaro. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Etiamsi delegatus omiserit declarationem de prolis legitimitate, et sanatio concessa sit in forma gratiosa, uti habetur in formulis S. C. de Sacramentis (Alleg. V n. 41 seq.), tunc proles antea suscepta legitima est, quia illud *in radice* legitimationem necessario continet, dummodo ipsa legitimatio expresse non excipiatur in ipso sanationis indulto, exclusa tamen prole adulterina, quae non legitimatur nisi per Principis rescriptum, et sacrilega, quae nunquam legitimatur. Sanationis memoria pro foro externo in forma authentica servari debet in Curia vel in actis paroeciae. Demum servandae erunt ceterae clausulae, quas rescriptum sanationis continet, easque habes in Alleg. V.

Articulus II.

De causis matrimonialibus.

1232. Causae matrimoniales, si vim nominis attendamus, sunt illae quae matrimonium spectant. At « tria sunt causarum matrimonialium genera. Aliquae versantur circa initi coniugalis foederis firmitatem ... Aliae sunt causae excitatae aut

super validitate sponsalium, aut super iure instituendi divortium quoad torum et cohabitationem... Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe atque immediate respiciunt, uti sunt lites quae frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, hereditaria successione, alimentis et similibus...»; Benedictus XIV, *De Syn. dioec.*, lib. IX, cap. IX, n. 3 et 4. Iam vero causae matrimoniales stricto sensu dicuntur tantum causae primi et alterius generis, quae versantur vel circa valorem, liceitatem et solutionem vinculi, ut dispensationes a matrimonio rato et non consummato, usus privilegi Paulini et solutiones legitimi matrimonii in favorem fidei; vel circa iura coniugalia, ut causae separationis a toro et cohabitatione; vel circa legitimitatem prolis et aliae huiusmodi. Aliae dicuntur causae matrimoniales tantum lato sensu, ut quaestiones de dote, de successione hereditaria vel quae versantur circa crimina cum matrimonio connexa, e. g., adulterium, abortum. Cum per can. 1017 § 3 actio denegetur sponsalibus etiam validis ad petendam matrimonii celebrationem et tantum detur actio ad reparationem damnorum, causae quae agitari possunt circa sponsalia post Codicem accensentur causis matrimonialibus lato sensu acceptis.

Quae sub hoc articulo dicturi sumus, respiciunt omnes causas matrimoniales, praesuppositis tamen iis, quae de processibus traduntur in parte prima libri IV Codicis.

1233. Hac autem in re praeter Codicem prae oculis utiliter haberi possunt sequentia documenta, licet iure novo magna ex parte obsoleverint: 1° Const. Benedicti XIV *Dei miseratione*, 3 nov. 1741, in qua praescribitur forma et ordo in iudiciis causarum matrimonialium super matrimoniorum validitate vel nullitate declaranda servandus; 2° Instructio S. C. C., 22 aug. 1840, *pro confectione processus in causis matrimonialibus*; 3° Instructio sine data S. C. S. Officii *sequenda in conficiendo processu super viri impotentia, et non secuta matrimonii consummatione, accedente Summi Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum Bullae Benedicti XIV, «Dei miseratione», servata tamen in substantialibus*; 4° In-

structio S. C. S. Officii, feria IV, die 25 iunii 1883, *ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos rituum orientalium in causis matrimonialibus adhibenda*. Quamquam enim haec ultima instructio pro rituum orientalium Ordinariis condita sit, ea tamen omnibus aliarum regionum Ordinariis perutilis erit, cum regulae in eadem traditae ad tramitem iuris communis concinnatae sint. Hanc eamdem instructionem ad verbum transcriptam S. C. de Prop. Fide dedit eodem anno ad Foederatorum Statuum Americae Ordinarios, additis in principio §§ 95 et 96 Instructionis Austriacae, immutata § 24 et suppressis §§ 34 et 46 seq.[1] Pariter hac in re consulere utiliter possumus cit. Instructionem Austriacam in titulo secundo, qui est praecise *de processu matrimoniali*.

Attamen pro causis non consummationis matrimonii prae manibus haberi debent Regulae iure novo editae a S. C. de Sacramentis, die 7 maii 1923, quas habes in Alleg. XII, nec non epistola eiusdem S. C. ad locorum Ordinarios « de tractatione causarum matrimonialium » missa die 1 iulii 1932 (Alleg. XI).

§ 1. - *De foro competenti in causis matrimonialibus.*

Can. 1960. - Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant.

Can. 1961. - Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur pertinent ad civilem magistratum, ad normam can. 1016; sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri.

Can. 1016. - Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

1234. Principium iuris publici propositum in rel. can. 1960 iam definivit Conc. Trident., sess. XXIV, *De matrimonio*, can. 12: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudicem ecclesiasticum; a. s. ».

Iansenistae et Regalistae, quibus adhaesit pseudo-synodus

[1] Hanc instructionem S. C. de Prop. Fide vide apud *Acta S. Sedis*, XVIII, pag. 369 seq., et apud Concilium Plenarium Baltimorense III in fine inter Appendices; et in Collect. S. C. de Prop. Fide, nn. 1587, 1588.

Pistoriensis, an. 1786, putaverunt hanc potestatem vel iudicibus ecclesiasticis demandatam fuisse a christianis principibus, vel etiam christianis principibus competere. Eos refellit Pius VI in Epistola ad Episcopum Motulensem, 17 sept. 1788, qua docet causas matrimoniales spectare originario et exclusivo iure ad iudicem ecclesiasticum: quod rursus tradidit Pius IX in Litteris *Ad Apostolicae*, 2 aug. 1851, et in allocutione consistoriali, 27 sept. 1852, unde desumpta est prop. 74 reprobata in Syllabo: «Causae matrimoniales et sponsalia, suapte natura, ad forum civile pertinent». Proinde ex dictis, etsi ius Ecclesiae originarium et exclusivum in causas matrimoniales inter baptizatos non sit de fide, quia formalis definitio lata non est, est tamen fidei proximum.

Sane cum matrimonium inter baptizatos sit verum et proprie dictum Sacramentum, sequitur causas matrimoniales esse causas circa Sacramentum aut circa obligationem ad Sacramentum: atqui causas huiusmodi per se ad Ecclesiam pertinere originario et exclusivo iure palam est ex can. 1559 § 1 n. 1°. Imo probabilius haec conclusio vera fuisset etiam in hypothesi non elevationis matrimonii ad Sacramenti dignitatem; quia matrimonium est natura sua, vi sua, sponte sua res sacra (n. 11), quae proinde in Ecclesia uni Ecclesiae subiacet etiam in potestate iudiciaria.

Hinc licet causa matrimonialis incidentaliter occurrat in causa civili, e. g., si in causa successionis hereditariae quaestio moveatur de valore matrimonii, iudex laicus debet quaestionem incidentalem remittere ad iudicem ecclesiasticum, eiusque sententiam exspectare, ut in sua causa civili procedat.

Excipe si agatur *de mero facto*, e. g., utrum revera nuptiae initae sint, an potius purus putusque intercesserit concubinatus, utrum matrimonio duo testes adstiterint, necne, etc.; DD. enim admittunt de nudo facto circa causas spirituales etiam iudicem laicum videre posse,[1] dummodo quaestio facti non resolvatur in quaestionem iuris.

[1] Schmalz., lib. II, tit. II, n. 122; Santi, lib. IV, tit. XVIII, n. 15; Cavagnis, *Inst. iur. pub. eccl.*, lib. II, cap. II, art. IX, n. 460.

Quod si principaliter agatur de dote, successione hereditaria, etc., causa pertinet ad iudicem laicum, quia non est causa spiritualis, sed mere temporalis, licet exorta occasione matrimonii. At si huiusmodi quaestio incidit in causa spirituali, eam iudex ecclesiasticus definire potest, c 1, X, *Qui filii sint legitimi*, IV, 17, et cc. 1, 7, X, *De donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda*, IV, 20; et ex cit. can. 1961;[1] quod tamen non ubique servari refert et non reprobat Benedictus XIV, l. c.

Tandem delicta circa matrimonium, e. g., adulterium, abortus, etc., sunt mixti fori, cum utramque societatem civilem et ecclesiasticam aeque offendant et ab utraque potestate puniri possunt ex can. 2198. At iuri magis consonum est ut a iudice laico puniantur, ex c. 5, *De procuratoribus*, I, 19, in VI°, quod nostris diebus servatur ex can. 1933 § 3; si autem agatur vel de divortio semipleno ob adulterium, vel de impedimento criminis ex adulterio et coniugicidio, iudex ecclesiasticus de his criminibus videre deberet.

1235. Diximus 1° causas matrimoniales *inter baptizatos* pertinere iure originario et exclusivo ad iudices ecclesiasticos. Nam si utraque pars est infidelis, iudex competens certe non est iudex ecclesiasticus, sed iudex laicalis. At interpretatio iuris divini seu naturalis seu positivi, data ab Ecclesia, afficit etiam infideles, et interpretatio huius iuris data a iudice laico et sententia eidem innixa nullius roboris est; e. g., si iudex laicus, nulla exstante lege civili, nullum declarat coniugium inter Titium fratrem et Semproniam sororem: nam una Ecclesia est interpres authentica iuris divini.

1236. Si una pars est infidelis et alia fidelis, prima fronte videretur applicandum principium: *Actor sequitur forum rei*, ita ut, si reus est infidelis, sit competens iudex laicalis, si reus est fidelis, sit competens iudex ecclesiasticus. At illud principium inservit tantummodo ad determinandum *quinam* iudex laicus sit competens in causa civili, vel iudex ecclesiasticus in causa ecclesiastica, dum hic quaeritur utrum sit

[1] Benedictus XIV, l. c., n. 5; Cavagnis, l. c., n. 459.

competens iudex ecclesiasticus, an laicalis. Aliis verbis, illud principium est iuris privati, dum haec quaestio est iuris publici. Putamus competentem esse iudicem ecclesiasticum, quicumque tandem sit actor vel reus. Nam matrimonium in casu licet non sit verum ac proprie dictum Sacramentum (n. 36) est tamen vi sua, sponte sua, natura sua res sacra; quae, ratione partis fidelis, ad Ecclesiam spectat.

1237. Diximus 2° has causas *per se* pertinere originario et exclusivo iure ad iudicem ecclesiasticum, et iudicem laicum esse incompetentem: nam certum est Ecclesiam, idest Romanum Pontificem, posse tolerare ut iudex laicus causas matrimoniales videat. Ita nostris temporibus causae de divortio semipleno pertractari solent penes tribunalia laicalia, et S. Sedes pro nonnullis nationibus expresse declaravit id, servatis servandis, tolerari posse, suppleta scilicet iurisdictione.[1]

Revera Episcopus Southwarcensis in Anglia, die 19 dec. 1860, quaesivit a S. C. S. Officii: « Utrum liceat advocati et actoris partes agere (apud tribunal civile), quando finis litis est simplex separatio, absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa ferente ». S. C. reposuit: « Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit a quo sententiam obtineat separationis quoad torum et mensam, et dummodo sententia huius tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem praedictam, posse tolerari ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant, et dummodo adsint iustae separationis causae iudicio Episcopi; et si quid habeat praeterea dubii, recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones ». Si autem toleratur fideles divortium semiplenum sub iis conditionibus petere a iudice laico, et advocatos hanc petitionem defendere, eo ipso tolerari iudicem laicum hoc divortium concedere, ideoque eidem iurisdictionem suppleri palam est.

Idem pro Gallis deducimus ex celebri responso S. C. S. Officii, 29 iunii 1885: « Post nuper restitutas penes Gallos

[1] Ex. g., vide Concordatum inter S. Sedem et Gubernium Italicum initum, art. 34 (Alleg. XV).

anno 1884 divortii leges plura a nonnullis Episcopis Galliarum dubia huic S. R. et U. Inquisitioni proposita sunt: utrum nempe fas esset iudicibus laicis, in causis de separatione coniugum sive circa vinculum sive *circa habitationem tantum*, ius dicere; utrum advocatis et procuratoribus huiusmodi causas agere penes iudices laicos; utrum his ad quos de iure pertinet, defensores officiosos, quos vocant, deputare; utrum denique syndicis (vulgo *maires*) divortium pronuntiare.

« EE. PP. una mecum Inquisitores Generales, re mature perpensa, in feria V, loco IV, die 25 iunii 1875, ita decernendum esse censuerunt:

« Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adiunctis tolerari posse, ut qui magistratus obtinent, et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos iudices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur, ut numquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico iuri repugnantem; et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque Ordinarium adeat, eius iudicio se dirigat, et quatenus opus sit per eius medium ad Apostolicam Poenitentiariam recurrat.

« Hoc decretum Ssmus Pater ratum habuit, ideoque omnibus in Gallia Archiepiscopis et Episcopis notum fit pro eorum norma per has litteras, ceteroquin non evulgandas ».[1]

Hae declarationes ad alias nationes, quae in iisdem circumstantiis reperiuntur, extendi per se non possunt, quia « quod alicui gratiose conceditur trahi non debet aliis in exemplum »; Reg. 74, R. I., in VI°; proinde necesse est eiusdem tolerantiae gratiam petere et obtinere.

1238. Praeter casum huius tolerantiae explicitae vel implicitae, iudex laicus, sese immiscendo causae matrimoniali,

[1] Non obstante hac prohibitione, decretum statim evulgatum fuit: ideoque illud hic retulimus.

e. g., separationis corporum, graviter peccat, etsi deinde sententiam proferat contrariam, quia, causam ad examen revocando, Ecclesiae iura usurpat; item graviter peccat coniux, qui causam ad iudicem laicum deducit, et advocatus qui eam sustinet. At non peccat reus, eiusque advocatus; quia licet profecto sese defendere etiam coram iudice incompetenti. Item post sententiam in causa matrimoniali a iudice ecclesiastico latam, e. g., separationis corporum, nullitatis matrimonii..., licitum est, saltem si usu sit receptum, iudicem laicalem adire pro rei familiaris ordinatione. Quamquam enim de iure communi iudex ecclesiasticus causae principalis *potest* etiam civilem quaestionem incidentalem de bonorum divisione, de liberorum alimentis, etc., definire, tamen ius commune proprie non prohibet hanc quaestionem deferre ad iudicem laicalem, uti supra dictum est (n. 1234).

1239. Iam vero si causae matrimoniales spectant iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum, ut huc usque demonstravimus, modo ulterius inquirendum, quinam iudex ecclesiasticus competens sit.

Si agitur de divortio pleno obtinendo, idest de dispensatione matrimonii rati et non consummati, vel de solutione matrimonii legitimi in bonum fidei, unice competens est Romanus Pontifex, qui primam concedit per tramitem SS. CC., scilicet S. Officii, si una pars sit acatholica, S. C. de disciplina Sacramentorum, si utraque pars est ritus latini, et S. C. pro Ecclesia Orientali, etiam si una pars tantum sit orientalis; alteram unice per S. C. S. Officii. Quare nullus iudex potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica facultatem eidem fecerit. Quae facultas necessaria non est in casu quo iudex coeperit videre de matrimonii nullitate ex capite impotentiae et emerserit probatio non impotentiae, sed non consummati matrimonii. Tunc debet omnia acta transmittere ad Congregationem competentem (can. 1963).

Rursus unice competens est Romanus Pontifex et incompetentia aliorum iudicum est absoluta in causis matrimonialibus illorum, qui supremum tenent populorum principatum horumque filiorum ac filiarum eorumque quibus ius est pro-

xime succedendi in principatum. Causae istae dicuntur *maiores* ratione personae et exclusive spectant ad illam Congregationem vel ad illud Tribunal aut ad illam specialem Commissionem, cui illas Romanus Pontifex toties quoties delegaverit (cc. 1557 § 1 n. 1°; 1962). Revera haec negotia, quae semper gravia sunt, ex una parte ob dignitatem personae gravissima fiunt et ex alia parte pertimescendum est ne desit sufficiens libertas iudici in partibus, in quibus dominatur Princeps, cuius interest. Saec. XII Caelestinus III graviter conquestus est de nonnullis Galliarum Episcopis, qui divortii sententiam dixerant inter Philippum regem Franciae et Ingelburgam, et sententiam irritavit. « Non est, inquit, a temeritatis vitio alienum, quod in tam arduo et difficili negotio non fuit censura Sedis Apostolicae requisita, per quam vel ipsum canonice finiretur, vel committeretur aliquibus, qui idem, servato iuris ordine, secundum canonica statuta terminarent. Hic revera contra sanctorum Patrum veneranda concilia processum est manifeste, qui maiores et difficiliores quaestiones ab universis ad Sedem Apostolicam censuerunt debere praeferri, quod usque in hodiernum diem non solum a Gallicana Ecclesia, praeterquam in praesenti articulo, verum etiam a longe remotioribus devotissime observatur ». [1] Proinde initio saeculi XIX tribunal archiepiscopale Parisiense immerito prorsus, circa causam matrimonialem ab imperatore Napoleone introductam, se competens habuisse, non est dubium.

Tandem competentia Romani Pontificis est exclusiva in omnibus causis, quas sibi reservavit (cc. 220, 1597, 1557 § 3, 1569, 1559 § 2).

1240. In canone 1964 decernitur: « In aliis causis matrimonialibus (quae nempe S. Sedi reservatae non sunt) iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo pars conventa vel, si una sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet ». Quoniam vero iuxta canonem 1572 § 1 in unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis iudex primae

[1] *Annales ecclesiastici Baronii*, ed. Mansi, an. 1195.

instantiae est loci Ordinarius, consequitur in causis matrimonialibus S. Sedi non reservatis iudicem primae instantiae esse Ordinarium loci in quo aut celebratum est matrimonium (forum contractus) aut habet domicilium vel quasi-domicilium reus vel pars catholica, si altera sit acatholica (forum domicilii). Proinde in casu mixtae religionis derogatur principio generali: « Actor sequitur forum rei ».

Ergo post Codicis promulgationem certa est competentia iudicis ratione loci contractus, quinimmo praefertur, et competentia ex quasi-domicilio. De utraque olim disputabant auctores, inclinantes in negativam sententiam. Circa vero competentiam ratione quasi-domicilii ad faciles praecavendos abusus, S. C. de Sacramentis, die 23 dec. 1929, opportunam dedit Instructionem, quam habes in Alleg. X.

Mulier autem catholica, quae habeat proprium quasi-domicilium, etsi non legitime a viro separata, virum acatholicum convenire potest sive coram Ordinario domicilii eiusdem viri, sive coram Ordinario proprii quasi-domicilii. Ita reposuit Commissio pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos, die 13 aug. 1922 (cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XIV, pag. 529-530).

Quoties plures habeantur iudices competentes, integrum actori est quem, ipse maluerit, eligere. At postquam citatio iudicialis intimata est, aut partes sponte in iudicium comparuerint, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis non inducit (can. 1725 n. 2°).

1241. In *secunda instantia* competens est Metropolita si Episcopus, qui per se vel per alium in prima instantia sententiam tulit, est eidem Suffraganeus, nisi, praetermissa instantia intermedia, ad Apostolicam Sedem appellare statim quis malit (can. 1599 § 1 n. 1°). A sententiis latis in tribunali archiepiscopali primae instantiae ad illum loci Ordinarium appellandum est, qui ab ipso Metropolita, ad normam can. 1594 § 2, semel pro semper fuerit designatus cum approbatione Sedis Apostolicae; quod si prima instantia instituta fuerit in Curia archiepiscopali Suffraganeis carente aut in Curia Ordinarii, qui Apostolicae Sedi sit immediate subiectus, appellatio eadem

ratione ad normam can. 285 interponenda est ad Metropolitam electum cuius Concilio Provinciali interesse debet Episcopus Curiae huiusmodi. Quod autem tradit S. C. de Propaganda Fide in citata Instructione ad Ordinarios Americae Septentrionalis (n. 1233): «Si prima sententia a Curia episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad Curiam metropolitanam; si vero a Curia metropolitana ea prodierit, appellabitur ad Curiam metropolitanam viciniorem» fuerat statutum pro illis regionibus, quibus Archiepiscopus vicinior (attenta distantia ecclesiarum cathedralium) pro secunda instantia fiebat competens, cum de iure communi fuisset incompetens.

Ita pariter Const. *Trans Oceanum* diei 18 apr. 1897 praecipiebat pro America Latina ut a sententia lata a Metropolitano daretur appellatio ad Ordinarium viciniorem. Et iam de facto, probante Sede Apostolica, quidam Archiepiscopi, Platensis nempe et Portus Principis, designaverant iuxta communem legem Ordinarium appellationis; ille quidem Cochabambensem, alter vero Ordinarium Capitis Haitiani (*Acta Ap. Sedis*, vol. XIII, pag. 100).[1] Haec tamen privilegia abolita censeri debent pro America Latina per Litteram Apostolicam diei 30 apr. 1929, quae complectitur nova privilegia et facultates concessas Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus Americae Latinae, quam habes in Alleg. XIV: ac proinde praefati Ordinarii quod ad tribunal appellationis attinet videntur ad iuris communis observantiam esse redacti. Unica facultas, quae eisdem confertur, sub n. 12 praefatae Litterae continetur, qua nempe permittitur ut fieri possit appellatio *in tertia instantia* ad alterum Metropolitam vel Episcopum eiusdem provinciae viciniorem ei a quo primo fuit lata sententia. Etiam Metropolitae Americae Septentrionalis hodie in eligendo tribunali appellationis iuri communi reguntur ad normam can. 1594 § 2.

1242. Tandem competens est Romanus Pontifex seu Apostolica Sedes, ad quam appellandum est, quoties necessitas postulet, in tertia instantia. Tribunal ordinarium Romae a Pontifice institutum, cui antiquo iure reservabantur causae ma-

[1] Wernz-Vidal, l. c., n. 691, nota 29.

trimoniales, excepta competentia S. C. S. Officii, erat S. C. C. ex citata Constitutione *Dei miseratione* Benedicti XIV. Hic quidem in § 13 ait: « Quas omnes causas (matrimoniales) iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et exsecutione Conc. Trid. vel in causarum palatii Nostri Auditorio ». Sed Const. *Sapienti Consilio*, 29 iunii 1908, competentiam Congregationum Romanarum et Tribunalium definivit, quam Codex, paucis additis immutationibus, ex integro proposuit. Hodie ergo iure novo in primis SS. CC. causas, prouti iam adnotatum est, cognoscunt de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia causarum ad dispensationem huiusmodi concedendam (can. 249 § 3). Pro causis vero de matrimonii nullitate, quae per appellationem ad S. Sedem in qualibet instantia deferuntur, Tribunal ordinarium constitutum est S. Romana Rota, quae cum sit Tribunal appellationis, nonnisi ex Pontificia Commissione, ius in prima instantia dicit (can. 1599).

Quodsi una pars haeretica aut infidelis exsistat, causa ad S. C. S. Officii pertinet. Siquidem can. 1962 huic S. C. iudicandae committuntur causae, quae referuntur ad privilegium Paulinum, idemque sancitur in can. 247, in quo insuper de eadem S. C. edicitur quod ipsa sola cognoscit ea quae sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, versantur non modo circa privilegium Paulinum, sed etiam circa matrimonii impedimenta *disparitatis cultus* et *mixtae religionis*... « quare quaelibet huiusmodi quaestio ad hanc Congregationem est deferenda ». Hanc autem suam exclusivam competentiam eadem S. Congregatio paucis abhinc annis aperte vindicavit. Proposito enim sibi dubio: « Utrum in quibuslibet causis matrimonialibus inter partem catholicam et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, quocumque modo ad Sanctam Sedem delatis, Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii exclusivam habeat competentiam »; feria IV, die 18 ianuarii 1928, reposuit: « Affirmative, habita praesertim ratione can. 247 § 3 et salvo praescripto can. 1557 § 1 n. 1° ».[1]

[1] *Acta Apost. Sedis*, 1 martii, vol. XX, n. 3.

De causis matrimonialibus, quae orientales respiciunt, quamvis unus tantum talis sit, agit S. C. pro Ecclesia Orientali.

Demum, quoniam Romanus Pontifex pro toto Orbe Catholico iudex est supremus, ad ipsum quilibet fidelis suam causam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam deferre potest (cc. 1597-1599); ac proinde idem Romanus Pontifex, praeter causas iure sibi reservatas, videre et iudicare eas omnes causas matrimoniales valet, quas aut fideles ad eius iudicium deferre maluerint aut ipse ad se advocaverit. Causas autem matrimoniales Urbis eiusque suburbii et districtus videt in prima instantia Cardinalis Vicarius, ad instar Episcopi in sua dioecesi. Tandem Romanus Pontifex potest etiam iudices extraordinarios deputare sive in Urbe, e. g., Congregationem particularem pro aliqua causa maioris momenti, nec desunt exempla; sive extra Urbem, idest iudicem *commissarium*, uti vocant. Benedictus XIV, l. c., § 4, praecipit et mandat « iis ad quos huiusmodi commissionum seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant, nisi Episcopis, praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis qui, secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis litteris praescriptum, pro iudice idoneo ab Episcopo, cum consilio sui Capituli, nominatus fuerit ».

1243. Ordinarius autem competens, si agitur de matrimonio impediendo, est Ordinarius dioecesis in qua matrimonium contrahendum est (can. 1039).

1244. Quaeritur quid iuris si aut partes iudicem recusent, aut iudex accusationem.

Ad primum quod attinet, in Instructione Austriaca haec leguntur:

« § 103. Si coniuges vel nupturientes, qui in causis matrimonialibus citantur, competentiam tribunalis impugnari posse autumant, eidem intra decem post citationem intimatam dies, exceptiones suas exponere debent. Quando reclamatio pro non

fundata declaretur, liberum eis est ad instantiam proxime superiorem appellationem dirigere.

« § 104. Competentia, quam impugnarunt, per tribunal superius confirmata, contendentes coram primae actionis iudice causam dicant oportet ».

Eadem de quaestione agit Codex eamque resolvit can. 1610, qui ita se habet: «§ 1. Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet. § 2. In casu exceptionis de incompetentia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem. § 3. Quod si iudex se incompetentem declaret, pars quae se gravatam reputat, potest intra decem dierum spatium appellationem ad superius tribunal interponere ». Quae facile quidem intelliguntur si prae oculis habeatur ex una incompetentia absoluta consequi sententiae nullitatem (can. 1892 n. 1°), eandem vero absolutam incompetentiam haberi, ad normam can. 1558, in causis de quibus mentio est in cc. 1556-1557, quae nempe aut ipsum Romanum Pontificem respiciunt aut eidem reservantur.[1]

Quoad alterum, can. 1608 monet Codex iudicem, qui sit competens, ne parti legitime requirenti suum ministerium recuset, firmo praescripto can. 1625 § 1, quo decernitur iudices certe et evidenter competentes et ius reddere recusantes teneri de damnis, et ab Ordinario loci, vel, si de Episcopo agatur, a Sede Apostolica per S. C. S. Officii, aut de Sacramentis aut pro Ecclesia Orientali, aut de Propaganda Fide, unamquamque secundum suam competentiam, ad instantiam partis aut etiam ex officio congruis poenis pro gravitate culpae puniri posse, non exclusa officii privatione.

§. 2 - *De constitutione tribunalis matrimonialis.*

1245. Explicavimus quinam sit iudex competens in causis matrimonialibus: modo videamus quomodo tribunal matrimoniale constitui debeat. Loquamur igitur tantummodo de

[1] Noval, *Comment. C. I. C.*, l. IV, p. I, p. 116-117.

tribunali Ordinarii in prima instantia et Metropolitani in prima aut secunda.

1246. Iam vero iure Decretalium nihil speciale statutum est pro tribunalis matrimonialis constitutione, et iudex cum auxilio cancellarii omnia expedire poterat. At ex cit. Const. *Dei miseratione* Benedicti XIV, tribunal matrimoniale componebant *iudex* seu *moderator actorum, cancellarius, et defensor matrimonii.*[1]

1247. Iure Codicis causae matrimoniales in quibus de vinculo disputatur, a tribunali trium iudicum cognoscendae et definiendae sunt, ab officiali nempe, qui tribunali praeest et processum moderatur, et a duobus iudicibus synodalibus. Hoc ad validitatem sententiae, ut constat ex can. 1892, n. 1°, Tribunal vero collegialiter procedere debet et ad maiorem suffragiorum partem sententiam ferre (cc. 1576 § 1, n. 1°; 1577 § 1).

In aliis causis, in quibus non de vinculo disputatur, sed aut de coniugum separatione agitur aut de probanda status libertate ob coniugis mortem, unus iudex sufficit. Unus pariter iudex instructor sufficit ad inquisitionem vel processum conficiendum sive de dispensatione matrimonii rati et non consummati agatur (can. 1966), sive de solutione legitimi matrimonii.

1248. Notarius insuper in quolibet processu requiritur, qui actuarii munere fungatur et quidquid ad causam pertinet accurate et statim in acta referat, nam acta nisi sint actuarii manu exarata, aut sin minus ab eo subsignata non sunt valida (can. 1585). Quod vero notarius esse debeat ex caetu ecclesiastico, Codex non statuit; ex laicis quoque assumi proinde potest, etsi per se magis deceat quod sit clericus.

1249. Demum, et hac ratione, processus in causis matrimonialibus instituendus a ceteris differt; ad tribunal etenim pro iisdem causis legitime constituendum requiritur peculiaris

[1] Episcopus aut Archiepiscopus iis aliquando addidit *iudicem assessorem, cancellarium adiunctum, defensorem vinculi adiunctum.* De consiliariis (non infra quatuor, non ultra sex), quos requirebat cit. Instructio Austriaca § 97, Codex silet.

administer, *vinculi defensor*, ex munere eidem commisso, appellatus. Revera huius praesentia adeo in matrimonialibus causis necessaria est, ut, eo non citato, acta irrita sint, nisi, etsi non citatus, de facto adstiterit (cc. 1586-1587).

1250. Haud tamen in omnibus causis matrimonialibus vinculi defensor citari debet, sed prouti iam in Benedictina Const. *Dei miseratione* decretum expresse fuerat, solummodo quoties vinculum in discrimen vocatur, vel quoties aut de matrimonii nullitate disseratur aut de eius dissolutione per Pontificis dispensationem iustis de causis concedenda (can. 1967). Praeterea interventus defensoris vinculi impositus est a cit. Instr. S. C. de Sacramentis in examinandis rationibus quibus invocatur officium iudicis competentis ratione quasi-domicilii.

1251. In ceteris causis, in quibus vinculum matrimoniale in discrimen non venit, ut si, v. g., quaestio fiat de separatione a toro et cohabitatione, de status libertate, ex iure communi vinculi defensoris praesentia vel interventus non requiritur; quod ceterum non prohibet quominus particulari iure intervenire queat. Excipe tamen si agatur de validitate sponsalium, ex iis, quae supra diximus.

1252. Iudicis munera qui tribunali praeest in causis matrimonialibus, eadem sunt ac in ceteris causis, nisi de conficiendo processu pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, aut dispensatione a vinculo ex Pontificis concessione agatur. Tunc enim iudex, cum sit simplex iudex instructor, prouti iam dictum est, a sententia ferenda se abstinere debet et processus acta, ubi primum fuerint absoluta, ad S. Congregationem competentem, cuius est causam definire, transmittere tenetur una cum Ordinarii voto et animadversionibus defensoris vinculi. Idem dicendum si quaestio sit de solutione legitimi matrimonii.

1253. Defensoris vinculi iura et officia in novo Codice proposita eadem sunt ac ea quae ipsi in sua Const. *Dei miseratione* Benedictus XIV tribuerat. Scilicet vinculi defensoris est in causis de nullitate matrimonii eius valorem tueri, in causis vero de vinculi solutione seu de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, pro matrimonii valore vel consummatione decertare. Proinde ipsius officium est: 1° Exa-

mini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata in actu examinis a iudice aperienda et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere; 2º Articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere; 3º Animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit (can. 1968); 4º Provocare ad superius tribunal, iuxta can. 1986.

1254. Haec quidem sunt defensoris vinculi obligationes. Iura vero sunt ea quae sequuntur: 1º Semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos; 2º De omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit; 3º Petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere; 4º Exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissentiat (can. 1969). Quodsi unus sit iudex et hic vinculi defensori alia acta exposcenti obstet, ad Ordinarium recursum facere Sacramenti vindex potest.[1]

1255. Dum pluries memorata Const. *Dei miseratione* praecipitur ut vinculi defensor « eligatur, ... *si fieri potest*, ex ecclesiastico coetu », Codex decernit ipsum sacerdotem integrae famae esse debere, in iure canonico doctorem aut saltem peritum ac prudentiae et iustitiae zelo probatum (can. 1589).

§ 3. - *De actore et testibus.*

1256. Prouti quodlibet aliud iudicium contentiosum, ita et causae matrimoniales in prima instantia per regularem accusationem vel iure factam petitionem cognoscendae vel defi-

[1] Cf. *Regulae servandae* in processu super matrimonio rato S. C. de Sacramentis, n. 29 in Alleg. XII.

nendae sunt (can. 1970). In citata Instructione S. C. S. Officii § 1 legitur: « Ut in Tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit, quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur; etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt eisdem sanguine propinqui vel etiam quilibet de populo. Ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis praeseferens, de alicuius impedimenti exsistentia divulgata sit ».

1257. Proinde operae pretium est statuere quinam, iure Codicis, actoris partes agere in causis matrimonialibus valeant. Post Codicis promulgationem matrimoniales causae inchoari possunt aut per accusationem eorum, qui iure habiles habentur, aut per accusationem a promotore iustitiae propositam, qui semper agit ex officio etiam post denuntiationem legitima forma Ordinario vel ipsi promotori factam. Ceteris igitur personis non amplius ius est directe actionem iudicialem in causis matrimonialibus instituere seu accusatoris partem agere, sed tantum eo prorsus modo quo proceditur in causis criminalibus, matrimonii nullitatem vel promotori iustitiae vel Ordinario denuntiare (can. 1971).

1258. Cum igitur quatuor recenseantur causarum matrimonialium species, videamus quomodo sit procedendum in singulis. Et ideo: 1° In causis de sponsalibus, attento quod in his amplius « non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem », sed tantummodo « ad reparationem damnorum, si qua debeatur » (can. 1017 § 3), exsulat quaevis boni publici ratio, proindeque actio institui tantum potest ab uno vel altero ex sponsis, ab eo nempe qui ex sponsalium abruptione se gravatum reputat. Quare neque promotor iustitiae agere potest, neque iudex ex officio, neque ceteri, licet sponsorum parentes vel consanguinei, nisi hi postremi speciali ab altero ex sponsis, cui ius sit, mandatum acceperint.

1259. 2° In causis de matrimonii nullitate ius ad agendum, vi memorati can. 1971, aut ad coniuges spectat aut ad promotorem iustitiae; ad illos quidem « in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi fuerint impedimenti causa », ad hunc vero « in impedimentis natura sua publicis ». De hac impedimenti matrimonialis distinctione in publicum vel occultum, vide n. 209.

1260. In impedimentis igitur, quae fundantur in facto de se publico, ius accusandi matrimonium cumulative competit coniugibus et promotori iustitiae. In aliis vero, quae fundantur in facto de se occulto, ius accusandi solis coniugibus reservatur vel uni eorum, si alter fuerit impedimenti causa. Vox « impedimentum » late hic sumitur, ut definivit Commissio pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos, die 12 martii 1929, ita ut impedimenta omnia complectatur tum proprie (cc. 1067-1080) tum improprie dicta, qualia sunt error, vis, metus, conditio apposita contra substantiam, et etiam defectus legitimae formae, dummodo non agatur de matrimonio nullo ob omissam ex integro formam substantialem. Ius coniugum unam tantum patitur limitationem: « nisi fuerint impedimenti causa ». Ius accusandi matrimonium competit coniugibus ex iure naturae, ideoque huius privatio sapit poenam, quae non concipitur sine culpa. Dedecet enim coniuges, qui mala fide causam fuerunt impedimenti et consequenter nullitatis matrimonii, ex culpabili actione commodum reportare. Casus huiusmodi evenire solent in impedimento *criminis*, in defectu formae substantialis, in conditione apposita contra substantiam, in metu gravi incusso ab una parte ut altera pars in matrimonium consentiat.

Quid si coniuges scienter neglexerint dispensationem impetrare ab impedimento ipsis cognito et ideo causam fuerunt nullitatis matrimonii? Etsi casus videatur analogus casui praecedenti, cum agatur de privatione iuris, quae res odiosa est, non videtur posse coniuges privari hoc in casu, iure accusandi matrimonium.

Coniugibus vero, qui causa fuerint impedimenti, ne in matrimonio nullo manere cogantur, ius est nullitatem Ordi-

nario loci vel promotori iustitiae denuntiare; et in utroque casu promotor iustitiae sive impedimentum sit natura sua publicum sive occultum, debebit matrimonium accusare.

Acatholici omnes excluduntur ab agendo in causis matrimonialibus, nisi ad hoc facultatem obtinuerint a S. C. S. Officii. Quae facultas est ad validitatem sententiae. Ex can. 1892 n. 2°, sententia vitio insanabili nullitatis laborat, si lata est inter partes, quarum una saltem non habet personam standi in iudicio.

Hanc prohibitionem videtur tantum se extendere ad causas matrimoniales proprie dictas, ideoque acatholici valent accusare matrimonium in casibus exceptis de quibus in can. 1990 seq.

1261. Ceterum persona habilis ius accusandi matrimonium conservat etiam post plures elapsos annos (nisi aliunde coniugium interim fuerit revalidatum) aut post relatam adversam sententiam; nam matrimonium nullum non redditur validum tractu temporis, idest per praescriptionem, et sententia in causis matrimonialibus numquam transit in rem iudicatam, de qua re infra. Proinde quoad actionem contra matrimonium non valet dispositio civilis de praescriptione triginta vel quadraginta annorum, l. 3 et 4, Cod., *De praescriptione*, VII, 39. Schmalz., l. c., excipit: «Si mortui iam sint coniuges et post triginta vel quadraginta annos moveatur lis filiis super legitimitate, quod matrimonium nullum fuerit; nam hoc casu, cum cesset periculum peccati, ob quod perpetua est actio contra matrimonium, nihil obstat quominus dispositio iuris communis locum habeat, iuxta quod actiones civiles post triginta vel quadraginta annos, accusationes criminum autem viginti annorum spatio exstinguuntur». Quae opinio videtur vim amisisse ex can. 1701.

1262. Matrimonium quod utroque coniuge vivente non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio (de legitimitate nempe filiorum ad hereditatem consequendam) seu hoc in casu praesumitur validum matrimonium praesumptione iuris et de iure (can. 1972).

3° Si de divortio semipleno, seu de separatione quoad torum et habitationem, disputetur, ius agendi uni parti innocenti

competit. Siquidem coniugis innocentis est iniuriam sibi illatam aut condonare aut actionem coram iudice persequi. Alii proinde hoc in negotio nonnisi de speciali partis laesae mandato se immiscere possunt.

4° Demum, prouti expresse decernitur in can. 1973, soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato. Pariter in causis connexis cum usu privilegi Paulini vel cum solutione matrimonii legitimi, uni parti conversae ius est adire S. C. S. Officii.

1263. Tandem quod attinet ad testes in causis matrimonialibus, omnes admittuntur qui rei notitiam habent et suspecti non sunt. Ad rem Clemens III in c. 3, X, *Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificandi*, IV, 18... « Quod parentes, fratres et cognati utriusque sexus in testificatione suorum ad matrimonium coniungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbatur. Ideo enim maxime parentes, et si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus et chartis tum etiam ex recitatione maiorum scire laborat; qui enim melius recipi debent, quam illi qui melius sciunt et quorum est interesse, ita ut si non interfuerint et consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium? Quod vero legitur: *pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris*,[1] in criminalibus causis et contractibus verum est: in matrimonio vero coniungendo et disiungendo, ex ipsius coniugii praerogativa, et quia favorabilis res est, congrue admittuntur ». Idipsum sanxit Codex can. 1974. Testis autem de auditu non admittitur, si ille a quo audivit et in cuius auctoritate se fundat, a testimonio ferendo uti inhabilis repelleretur, « cum satis videretur absurdum illos admitti, quorum repellerentur auctores »; c. 47, X, *De testibus et attestationibus*, II, 20.

1264. Sive vetus sive novum ius (can. 1975) requirunt in causis matrimonialibus, maxime si agatur de impotentia aut matrimonii inconsummatione, *testimonium septimae manus*,

[1] C. 3, C. IV, q. 4.

ut aiunt, idest attestationem iuratam septem testium ex unoquoque latere, scilicet quatuordecim testium propinquorum, vel saltem, si propinqui desunt, vicinorum, ex c. 7, X, *De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi*, IV, 15. Videtur dici *manus*, quia est veluti auxilium ad confirmandum illud quod coniuges sub iuramento deposuerunt, et ad arcendam collusionem, quae inter ipsos coniuges fieri posset. At vero de hoc septimae manus testimonio rite animadvertit Avanzini, *Acta S. Sedis*, vol. VI, pag. 515: « Interpretes sacrorum canonum valde accurate scripserunt de numero testium, qui appellantur *septima manus*, idest auxilium septem testium ex utraque parte propinquorum vel vicinorum, quorum testimonium, in veteri methodo tractandi huiusmodi causas, erat auxilium praecipuum ad iudicandum. Sed in praesenti disciplina animadverti eiusmodi testimonium septimae manus universim quidem requiri a S. C., sed numquam animadverti S. C. exigere adamussim septem ex una parte et septem ex alia, neque distinguere, ut interpretes faciunt, quando sit satis habere eos testes ex una tantum parte. Requirit universim testimonium septimae manus, idest aliquem numerum sive propinquorum sive vicinorum sive amicorum aliorumve, qui praesumantur rem melius de qua agitur, cognoscere ». Proposito ab Archiepiscopo Varsaviensi dubio: 1° Sitne in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo, coram iudice spirituali agitatis, necesse exigere ut testes septimae manus producantur, an vero id in solis causis ex capite impotentiae devolutis observandum, in ceteris autem omnibus praetermitti posse »; S. C. S. Officii, die 16 febr. 1894. reposuit: « Ad 1um: Negative ad primam partem et testimonium septimae manus, stricto sensu sumptum, exigi ad corroborandam confessionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii ». Opportune monet Codex can. 1975 § 2, testimonium septimae manus plenam probationem non obtinere, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur.

§ 4. - *De modo procedendi in causis matrimonialibus.*

1265. Principii loco monet cit. Instructio S. C. C., § *cum itaque*: « Ea... (acta) non vernaculo, sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta et sententia, quae, iuxta priscos mores, erit conficienda, latina lingua exarabuntur ». Idem decernit novum ius (can. 1642 § 2), nisi tamen iusta causa aliud suadeat.

1266. Hac autem praemissa generali animadversione, actor in primis petitionem suam exhibeat iudici competenti. Hinc si agatur de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, vel de solutione legitimi matrimonii vel de causa matrimoniali inter partes, quarum utraque vel alterutra principali fulget dignitate, ad normam can. 1557, petitio dirigenda est ad S. Sedem, nempe ad S. C. de Sacramentis vel S. Officii vel pro Ecclesia Orientali pro dispensatione super rato, ad S. C. S. Officii pro solutione legitimi matrimonii, pro ceteris ad ipsum Summum Pontificem (n. 1239). Si vero agatur de alia causa matrimoniali in prima instantia, petitio de more exhibenda est Ordinario competenti, non autem S. Sedi, quae huiusmodi instantias recipiens, aliquando respondet: *Utatur* (orator) *iure suo coram Ordinario*; aliquando instantiam remittit ad Ordinarium, ut procedat.

1267. Hac de re prae oculis habendae sunt sequentes declarationes S. C. S. Officii. Nam Archiepiscopus Varsaviensis quaesivit: « 2° Liceatne sine speciali pro unaquaque vice permissione S. C. recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Ssmi? Et quatenus negative:

« 3° Liceatne, absoluta instructione causae ex titulo impotentiae physicae, cum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen evicit impotentiam mariti, transmittere acta causae ad S. C. pro impetranda Ssmi dispensatione?

« 4° Si uxor virginem se esse contendens, virginitatemque suam per inspectionem evincere sustinens, maritum impotentiae insimulat, is vero contumax est, vel, comparendo, negat, sed inspectioni succumbere renuit, liceatne unilateraliter,

idest ad solam uxoris instantiam, processum ulterius tractare, ac deinceps acta ad S. C. transmittere petendae a Ssmo dispensationis causa; an vero processus sit inhibendus veniaque S. C. in ulteriorem eius instructionem impetranda?»

S. C. reposuit, die 16 febr. 1894: «Ad 2um: Negative. Ad 3um et 4um: Affirmative».

Uti patet ex can. 1963 hac super re nihil novum ius innovavit. Acta tamen inquisitionis peractae in processibus super rato evidenter non ad S. C. S. Officii transmittenda erunt, nisi alterutra pars sit acatholica, sed ad S. C. de Sacramentis vel ad S. C. pro Ecclesia Orientali.

Si autem quaeratur quomodonam petitio ad causam introducendam redigenda erit, facilis est responsio; servandae nempe erunt eaedem normae, quas de libello litis introductorio tradit Codex cc. 1706-1708: quod vero attinet ad causam super rato serventur Regulae traditae a S. C. de Sacramentis.

1268. Ad rem consulatur praeterea cit. Instructio S. C. S. Officii:

«§ 4. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto; si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.[1]

«§ 5. In ea praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae».

Plerumque actor, petitionem porrigens, coram Episcopo eiusve delegato personaliter sistere debet; alias accusatio ab eo facta qua mera denuntiatio consideranda et tractanda erit.[2]

[1] Formula non est determinata. Actor penes Ordinarium uti potest etiam lingua vernacula, petitionem inscribens Episcopo; penes SS. RR CC. utatur plerumque lingua latina, italica, gallica (ad normam can. 1642 § 2), petitionem inscribens Romano Pontifici, si agitur de dispensatione super matrimonio rato et non consummato vel de solutione legitimi matrimonii.

[2] Instructio Austriaca, § 127.

At si nullum fraudis et calumniae periculum sit, Ordinarius potest petitionem recipere ab extraneo exhibitam, scriptam vel subscriptam ab actore, qui deinde in processu personaliter interrogabitur.

1269. Recepto accusationis aut petitionis libello, iudex ubi primum, servatis ad normam iuris (can. 1709) servandis, libellum eundem non esse reiiciendum iudicaverit itemque esse solido fundamento innixum, totis viribus, opportunisque monitionibus adhibitis matrimonium revalidari curabit, si agatur de matrimonio nulliter inito, sed revalidabili; vel partes inter se reconciliare, si agatur de divortio semipleno, vel partes inter se amice componere, si agatur de sponsalibus (can. 1965). Omnibus in irritum cedentibus, iudex iudicio inchoando manus apponet.

1270. Quando accusatio dirigitur ad S. Sedem, e. g., ad S. C. competentem pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, S. C. illam mittit ad Ordinarium dioecesis in qua matrimonium celebratum fuit, vel penes quem processus introducitur, *pro informatione*. Si Ordinarius, praemissa summaria inquisitione, de qua supra, respondet accusationem omni fundamento esse destitutam, ulterius non proceditur. Si, e contrario, respondet accusationem seriam esse, S. C. rursus ipsam ad eumdem mittit, ut processum in forma iuris instruat. Hinc, ad parcendum tempori, expedit, ut accusatio, quae primo ad S. C. dirigitur, secumferat hanc Ordinarii commendatitiam.

1271. Quandonam denuntiatio alicuius impedimenti satis sit, ut Ordinarius aut promotor iustitiae hanc praeviam inquisitionem instituat, exponit Instructio Austriaca:

« § 128. Denuntiationes, oretenus factae, in acta redigantur; si scripto proponantur, curandum est ut auctor personaliter examinetur. Omnes ad eum dirigantur interrogationes, quae ad quaestionem facti in claram lucem vindicandam contribuere possunt.

« § 129. Denuntiationes scripto exhibitae, quarum auctores personaliter examinari nequeant, sub peculiaribus tantum rerum adiunctis pro sufficienti processus instituendi causa haberi possunt. Depositionibus tamen in iis contentis pro re nata utendum est ad ulteriores investigationes instituendas.

« § 130. Denuntiationes scripto factae quarum auctor nomen abscondit, per se sumptae, numquam sufficiunt, quae ansam praebeant ad inquirendum de matrimonii valore.

« § 131. Quod si de obtinente quodam matrimonii impedimento fama divulgetur, quae omnibus perpensis circumstantiis, attentionem meretur, tribunal matrimoniale circa fundamentum harum narrationum vel assertionum investiget, et iudicet an quae eruantur, inquisitionem decerni postulent.

« § 132. Denuntiationum super impedimentis propter quae coniugibus tantum ius accusandi competit, de regula nullatenus ratio habenda est; ubi autem ex allatis liquido constet matrimonium aliquod propter eiusmodi impedimentum irritum esse, ex officio agendum est; ut vel convalidatio peragatur, vel pars, accusandi iure pollens, adversus matrimonium reclamet ».

1272. Ex praescripto Codicis (can. 1573) in qualibet dioecesi constitutus sit oportet tum officialis cum potestate ordinaria iudicandi, tum vinculi defensor (can. 1586), tum iudices synodales aut pro-synodales (can. 1574). Cum igitur causae de nullitate matrimonii collegio trium iudicum reservatae sint (n. 1247), quoties necesse fuerit, Ordinarius, decreto ad hoc emisso, duos e synodalibus aut pro-synodalibus iudices designabit, qui ad causae definitionem una cum officiali procedant, iuramento de munere rite et fideliter implendo, ad tramitem can. 1621 § 1, antea emisso.

1273. Defensor quoque vinculi et notarius designabuntur ab Ordinario, quatenus non adsint qui ad haec munera obeunda cum stabili ratione sint deputati, qui pariter iuramentum, ut supra, emittent (can. 1585 § 1).

1274. Tribunali rite constituto, acta processus incipiunt. Quanam vero ratione in hisce conficiendis se gerere iudex debeat, quaenam sit vis testium depositionum et documentorum in lib. IV Codicis, sect. I, expositum habes. Hic quae sequuntur causarum matrimonialium propria, recolenda sunt:

I. Confessio legitime facta, si de causis divortii semipleni agatur, plenam probandi vim habet sicuti in ceteris causis, nisi suspecta habenda sit, ob partium seu coniugum collusionem. Confessio, quam in causis nullitatis matrimonii aut

dispensationis coniuges post matrimonium fecerunt, aut antequam causam moverent, aut postea coram iudice, etsi iuramento firmata contra matrimonii valorem, per se omni vi probandi caret. Contra, confessio a coniugibus facta antequam matrimonium contraherent de cuius valore disputatur, iisdem prodest seu in nullitate probanda non excluditur. Denique eorundem coniugum confessio, quae matrimonii validitati faveat eamque confirmet, utiliter obiici iisdem potest iis omnibus in causis, in quibus ius matrimonii valorem impugnandi privative ipsis competit, secus praesumptionem gignit.

II. Sicuti coniugum confessio in causis de nullitate matrimonii aut dispensationis contra matrimonii valorem non probat, ita et eorum iuramentum per se probationem constituere aut probationis defectum supplere non potest.

1275. Si agatur de probanda impotentia antecedente et perpetua (n. 540 seq.), nonnulla in specie notanda sunt.

Quamquam Ecclesia semper recognovit hanc impotentiam irritare matrimonium, tamen non semper eamdem disciplinam in causis impotentiae retinuit. Antiquitus huiusmodi causas non iudicabat, respondens partes debere simul manere uti fratrem et sororem, si non poterant tamquam vir et uxor, ex c. 4, X, *De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi*, IV, 15. Ratio erat, quia tales causae sunt maximae difficultatis, ita ut facile error facti intervenire possit; proinde causis impotentiae indiscriminatim applicabatur in praxi principium cap. 47, X, *De testibus et attestationibus*, II, 20: «tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare».

At cum experientia docuisset coniuges nec servare continentiam, nec pacifice vivere, eo quod si unus coniux erat potens, damnabatur ad coactum coelibatum, haec disciplina immutata fuit, et etiam ex capite impotentiae processus matrimoniales fuerunt recepti.[1]

1276. Modum autem procedendi tradit Caelestinus III in c. 5, X, *De frigidis...*: «Requisivisti quantum tempus indul-

[1] Santi, lib. IV, tit. XV, n. 11 seq.; De Angelis, n. 4.

gendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae nuptialis. Nos vero in praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati coniugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium; quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, et, iuxta decretum Gregorii, mulier per iustum iudicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium; si autem ille aliam acceperit, separentur. Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem. Si autem quod numquam se invicem cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae (si propinqui defuerint), tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent; et tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare. Verum si ille aliam duxerit, tunc hi qui iuraverunt, rei periurii teneantur, et, peracta poenitentia, cogantur ad connubia priora redire ».

Nimirum si impotentia antecedens et perpetua signis certis constitisset, facta etiam per idoneas personas inspectione, matrimonium statim a iudice nullum declarabatur, et partibus dabatur optio ut, vel simul viverent ut frater et soror, vel ad invicem separarentur. Si autem impotentiae signa dubia fuissent, imponebatur *experimentum triennale*, quo si matrimonium consummari non potuit, sententia ferebatur, ut supra. Matrimonium autem non potuisse consummari probabatur tum inspectione corporis mulieris, tum iurata confessione partium, et iurato testimonio *septimae manus*. Hanc ipsam methodum servavisse S. C. C. vide, e. g., in *Romana* seu *Reatina, Nullitatis matrimonii*, 1 febr. 1766; *Senensi, Matrimonii*, 28 febr. 1807; *Panormitana, Matrimonii*, 25 ian. 1817; *Foroliviensi, Nullitatis matrimonii*, 20 sept. 1817, etc.

1277. At vero experimentum triennale deinde in desuetudinem abiit eiusque nullum vestigium in Codice. Illud ultima vice S. C. C. adhibuit in citata *Foroliviensi, Nullitatis matrimonii*, 20 sept. 1817; nec illius mentio est in citatis instructionibus. Hodie iure Codicis istiusmodi processus absolvuntur depositione iurata partium, iurato testimonio septimae manus.

et inspectione corporum, in qua servari debet, quoad substantialia, norma tradita a S. C. C. in citata Instructione, et a Regulis pluries memoratis S. C. de Sacramentis, secus acta processus nullitate laborarent. Dicimus quoad substantialia, nam canone 1979 § 2 statuitur mulierem posse quoque, adstante semper honesta matrona a iudice deputanda, inspici a duobus medicis ex officio designandis, si id ipsa maluerit, vel Ordinarius necessarium habuerit ob casus peculiarem difficultatem aut etiam in defectu obstetricum, quae satis expertae sint. Peritorum autem electio fieri debet (can. 1977) iuxta normas in canonibus 1792-1805 traditas, ea tamen sub lege ut in peritos ii non deputentur, qui coniuges privatim inspexerint circa factum, cui innititur petitio declarationis nullitatis matrimonii vel inconsummationis; licet tamen hos peritos tamquam testes inducere. In canone 1980 § 3 iudici facultas tribuitur relationes ab obstetricibus confectas subiiciendi alicui perito medico, si id opportunum existimaverit.

1278. Eodem modo ac in causis impotentiae proceditur in causis inconsummationis matrimonii prae oculis habitis, prouti iam adnotatum est, Regulis hisce in processibus servandis a S. C. de disciplina Sacramentorum, die 7 maii 1923 datis, simul cum normis editis ab eadem S. C., die 27 martii 1929, ad praecavendam dolosam personarum substitutionem, quas normas habes in Alleg. XII.

Animadvertere autem hic praestat hisce in Regulis n. 92, S. C. iterum decernere ut mulier, priusquam peritorum examen subeat, « balneo subiiciatur servatis suetis conditionibus aquae tepentis et temporis, quod non brevius dimidia hora esse debet ». De hoc sane balneo nulla in canone 1979 mentio reperitur. Contra, haec cautela ad fraudes devitandas praecipiebatur in instructione S. C. C., a. 1840. Verum tamen est a S. C. de Sacramentis balneum non absolute praecipi, sed cum hac limitatione, nisi « designati periti, medici vel obstetrices, censeant in casu balneum vel omnino esse inutile vel potius nocivum ». Qua super re iudex definitive iudicare debet, perpensis adiunctis et audito vinculi defensore.

Cum impotentiae probatio non facilis sit, persaepe hodie

contingit, praesertim in Tribunali S. R. Rotae, ut subordinate, quatenus scilicet de nullitate ex impotentia non constet, alterum proponatur dubium super facto inconsummationis matrimonii, obtenta prius a Ssmo venia hac quoque de re iudicandi.

1279. Praeterquam in causis nullitatis matrimonii ob impotentiam et in causis dispensationis, peritorum suffragium requirendum est, prouti decernit can. 1982, etiam in causis defectus consensus ob amentiam; qui quidem periti infirmum, si casus ferat, eiusve acta, quae amentiae suspicionem ingerunt, examinent secundum artis praecepta. Pariter in hisce causis tamquam testes audiri debent periti, qui infirmum antea visitaverint.

1280. Quatenus actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponitur probationum collectioni, et processus publicatur, edito hac super re decreto. Post hanc publicationem, acta processus partibus eorumque procuratoribus et advocatis communicantur. Dum vero post attestationum publicationem regulariter in aliis causis novae probationes non admittuntur, in causis matrimonialibus de nullitate aut non consummatione matrimonii actorum moderator, etiam post publicationem imo etiam post conclusionem in causa, novos testes novaque documenta producta recipere potest imo et debet, praeclusa tamen fraudibus via, seu servatis servandis ad normam can. 1983, cum sententia in eiusmodi causis numquam transeat in rem iudicatam. Verum, expletis omnibus quae ad probationes colligendas pertinent, ad conclusionem in causa deveniendum tandem est decreto hac de re a iudice edito. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae se nihil aliud deducendum habere declarent, aut utile proponendis probationibus praestitum a iudice tempus elapsum sit, aut iudex, ne in infinitum causa protrahatur, declaret se iam satis instructam causam existimare. Ubi illud silentio praetereundum non est, attenta muneris defensoris vinculi praestantia, postremum hunc in allegando, petendo et respondendo tam in scriptis quam in orali defensione audiendum esse (can. 1968). Quare tribunal

ad definitivam sententiam devenire nequit, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil ulterius deducendum aut inquirendum superesse; quod tamen praesumitur, si ante praefinitum a iudice sententiae diem nihil vinculi defensor deduxerat.

Processus publicationi et conclusioni in causa locus non est in causis inconsummationis, in quibus sententia non a tribunali processum conficiente proferenda est, sed, ut iam diximus, a S. Congr. competente, ad quam proinde acta processus instituti sunt transmittenda, ut decisionem ipsa emittat (can. 1985).

1281. « Publicato processu (et edito decreto de conclusione in causa can. 1860) locus fiet defensionibus, quas partes, ad sua iura tuenda, voluerint allegare, facta iisdem facultate, adhibendi eos defensores, quos maluerint: imo praemonendae erunt de hoc iure, ut, lata sententia, iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem, si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat »; cit. instructio S. C. S. Officii, § 21. Nec aliter iure Codicis (can. 1863). Advocatus autem partis, quae matrimonii nullitatem sustinet, potest defensori vinculi respondere; defensor vinculi advocato et hic satis; partibus namque semel tantum respondere ius est (can. 1865 § 2); sed iudex potest ius ulterius respondendi utrique concedere, dummodo defensori vinculi ius ultimo loco respondendi sartum tectumque sit.

1282. Omnibus ut supra peractis, ad sententiam pronuntiandam veniendum erit, quae iis cum sollemnitatibus redigenda ac proferenda erit, de quibus in Codicis l. IV, tit. XIII, cc. 1868-1875 mentio est, eaque dein quam primum publicanda (can. 1076) ad normam canonis 1877.

1283. Prolata sententia locus est appellationi, de qua vide can. 1879 seq.; et interponi debet intra decem dies a notitia publicationis sententiae (can. 1881). Si causa matrimonialis non respicit coniugii valorem, pars succumbens, quaecumque ea sit, potest appellare vel iuri suo renuntiare, sicut in omnibus aliis

causis. At si in causa agitur de matrimonii nullitate, distinguendum est utrum sententia fuerit pro validitate, an e contrario pro nullitate. Si primum, pars succumbens potest appellare, at pars succumbens potest etiam non appellare, quo in casu neque defensor matrimonii appellabit et causa finita censetur. Si alterum, licet coniuges sententiae acquieverint, defensor matri monii appellationem facere debebit et novam sententiam a tribunali secundae instantiae postulare, aut, si causa agitata sit apud S. Rotae Tribunal in prima instantia ex Pontificis commissione, ad novum turnum provocare.

At haec regula absoluta et generalis pro omnibus causis matrimonialibus, etiamsi nullitas foret certissima et evidens, non levia secum ferebat incommoda. Hinc S. C. S. Officii, feria IV, die 3 iunii 1889, probante Pontifice, sequens tulit decretum: « Quando agitur de impedimento *disparitatis cultus*, et evidenter constat unam partem esse baptizatam et alteram non fuisse baptizatam; quando agitur de impedimento *ligaminis*, et certo constat primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere, quando denique agitur de consanguinitate aut de affinitate ex copula licita, aut etiam de cognatione spirituali, vel de impedimento *clandestinitatis* in locis ubi Decretum Tridentinum *Tametsi* publicatum est, vel uti tale diu observatum, dummodo ex certo et authentico documento, vel in huius defectu ex certis argumentis evidenter constet de exsistentia huiusmodi impedimentorum, Ecclesiae auctoritati non dispensatorum, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia ». Eadem S. C., die 16 febr. 1894, declaravit hoc decretum esse generale pro universa Ecclesia; et die 27 martii 1901: « esse intelligendum tantum de causis in quibus certo et evidenter constet de impedimentis, de quibus agitur, quae certitudo si desit, a defensore vinculi matrimonialis ad secundam instantiam procedendum est ».

Haec S. C. S. Officii decreta novus Codex servavit, imo et ampliavit. Casus decreto S. Officii excepti ab ordinaria regula

servanda erant: cultus disparitas, ligamen, consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis, et clandestinitas. Casus in Codice can. 1990 numerati, qui a communi lege eximuntur sunt: cultus disparitas, ordo, votum sollemne castitatis, ligamen, consanguinitas, affinitas, cognatio spiritualis. Insuper suum decretum S. C. in sensu stricto intellexerat, ideoque interpretatum fuerat ita, ut eius vi praetermitti tantum posset secunda instantia seu appellatio, non vero processus in prima instantia conficiendus.[1] Siquidem in supra relato decreto S. Officii statuitur Ordinarium in casibus numeratis procedi ulterius posse ad declarationem nullitatis matrimonii « praetermissis sollemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis ». At haec Constitutio unice de instituto appellationis rite constituendo vel ordinando agit. Codex igitur can. 1990-1992 decernit in casibus supra recensitis, quoties ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, aut alio modo aeque certo (Commissio pontificia ad Codicis Canones authentice interpretandos, die 16 iunii 1931) constiterit de exsistentia impedimenti simulque de non obtenta dispensatione, Ordinarium, praetermissis cuiusque generis sollemnitatibus, seu quovis processu iudiciali, matrimonii nullitatem declarare posse, citatis tamen antea partibus (Commissio pontificia ut supra iisdem die et anno) cum interventu defensoris vinculi: qua edita declaratione, fas est partibus iisdem ad novas nuptias convolare, nisi vinculi defensor refragetur. Etenim si vinculi defensor prudenter existimaverit revera in casu non suppetere duas illas conditiones, quarum mentio facta est et quibus casus fit exceptus, tenetur ipse ad iudicem secundae instantiae provocare (can. 1991), ad quem consequenter acta omnia sunt transmittenda, addita monitione scripto exarata agi de casu excepto.

Iudex secundae instantiae cum solo interventu defensoris vinculi eodem modo, de quo in can. 1990, decernet utrum sententia sit confirmanda, an potius sit procedendum in causa

[1] Cf. responsa 16 febr. 1894; 27 martii 1901; 16 iunii 1894, in *Acta Sanctae Sedis*, vol. XXVII, pag. 141-142 seq., vol. XXXIII, pag. 759.

ad ordinarium tramitem iuris, quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae. Quaeri potest curnam inter casus exceptos impedimentum *aetatis* non fuerit recensitum; etsi de eius exsistentia facili et certo modo constare possit. Verum patet ex ipso contextu can. 1990 impedimenta ibi memorata haud esse in exemplum recensita, sed taxative, ideoque ad summum *aetatis* impedimento aptari posse videntur dispositiones can. 1747 n. 1° de factis notoriis.[1] Pariter can. 1990 silet de vitio substantiali formae canonicae (olim impedimentum *clandestinitatis*), illud imo omisit, etsi mentio de eo reperiatur in decreto S. O., quod demonstrat consulto fuisse illud e casibus exceptis expunctum. Nihilominus, prouti resolvit Commissio pont. ad Codicis canones authentice interpretandos, die 16 oct. 1919, quoties indubitanter constet matrimonium fuisse celebratum neglecta omnino forma substantiali matrimonii, prouti in casibus pontificiae Commissioni propositis de matrimonio nempe ritu civili tantum inito, non solum verus processus etiam iure Codicis non requiritur, sed sufficit ut investigetur eodem modo quo inquiritur ad evincendam status libertatem futurorum coniugum et exinde eruatur matrimonium, neglecta prorsus substantiali eius forma, fuisse initum, quo constito, casus resolvi ab Ordinario potest vel a parocho consulto Ordinario.

Sed ut eo redeamus unde discessimus, animadvertimus, posita appellatione, partibus non licere novas nuptias inire sub gravi culpa ac poenis statutis contra illos, qui matrimonium contrahunt contra interdictum Ecclesiae et contra polygamos,[2] licet matrimonium forte initum validum per se foret, si processus nullitatis declaratione terminaretur.[3]

1284. Ceterum, si causa matrimonialis talis est, ut sententia, forte falsa, foret nutritiva peccati, non obstante partis consensus, sententia numquam transit in rem iudicatam, et causa semper proponi potest. Hoc verum est sive sententia sit pro

[1] Wernz-Vidal, l. c., n. 704, nota 58.
[2] Benedictus XIV, l. c., § 9.
[3] Instructio Austriaca, § 199.

nullitate matrimonii ex cc. 7, 10, X, *De sententia et re iudicata*, II, 27, et cap. 6, X, *De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi*, IV, 15; sive pro eiusdem valore.[1] Rationem his verbis tradit cum communi Sanchez, lib. VII, disp. C, n. 1: « Quod in reliquis sententiis consensus omittentis debito tempore appellare, possit aliquid operari, ac eo ipso quod non appellat, videatur consentire. Ex quo consensu sententia vires rei iudicatae assumit, cap. *Quoad conditionem, De sent. et re iud.*, ibi: *Cum per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse.* At in causa coniugali nequit consensus omittentis appellationem efficere, ut matrimonium cum impedimento dirimenti initum sit validum, vel ut legitime contractum dissolvatur. Quare sententia per errorem decidens illud esse validum, vel hoc dissolvendum, nulla ratione assumere potest vires rei iudicatae, sive quod bis confirmata sit, sive quod ab ea non appellans censeatur consentire. Quia sententia illa, transiens in rem iudicatam, foveret peccatum, separando veros coniuges, vel uniendo eos qui tales esse nequeunt. At nullum vinculum, quantumcumque multiplicatum, potest firmare actum, ex quo peccatum consurgit ».

Quamquam vero praedictae sententiae non transeunt in rem iudicatam, ac proinde quocumque tempore potest novum iudicium provocari, tamen expedit, ut appellatio quantocius fiat; et si vinculi defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit auctoritate iudicis (can. 1986).[2]

E contrario, sententia quae, etsi falsa, non foret nutritiva peccati, si non fuerit ab ea appellatum, transit semper in rem iudicatam. Talis est in causa matrimoniali cuiuscumque generis sententia quoad expensas.[3]

1285. Appellatio autem a prima instantia fit ad tribunal superius, iuxta ea quae diximus n. 1241 seq. Nimirum si sententia in prima instantia lata fuit in Curia episcopali, appellatio fit

[1] Reiff., lib. II, tit. XXVII, n. 119.

[2] Cit. Instructio S. C. de Prop. Fide, § 25. Haec appellatio in Curiis fieri solet statim post perlectam a iudice sententiam, et cancellarius appellationis factae mentionem refert in actis.

[3] Sanchez, l. c., n. 11; Mansella, p. I, cap. VI, art. V, n. 3.

ad Curiam metropolitanam, licet possit etiam ad S. Sedem, praetermisso Archiepiscopo, appellari (can. 1599 § 1 n. 1°);[1] si in Curia metropolitana, appellatio fieri debet, salvo iure S. Sedis, ad tribunal semel pro semper electum, de quo supra diximus; si in Tribunali S. Rom. Rotae ad novum turnum; tandem si in ipsa S. C. S. Officii vel de Sacramentis vel pro Ecclesia Orientali, appellatio proprie dicta esse nequit, sed est novum examen in eadem S. C., quod locum tenet appellationis.

1286. Iudex *a quo* fit appellatio, transmittere debet ad iudicem *ad quem* sententiam una cum integro processu, ceterisque omnibus ad causam iterum iudicandam pertinentibus. Potest, sed non tenetur, transmittere scripturam defensoris vinculi, consultorum et advocatorum; quod confirmatur ex responsione S. C. S. Officii diei 16 febr. 1894, ad 5um. Iudex vero *ad quem* « omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget, quae necessaria videbuntur ut defectus suppleantur, dubia elucidentur et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in Curia constituto vel specialiter delegato, coniuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes a quibus novae informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur »; cit. Instructio S. C. S. Officii, § 26. Si hoc iudex praescribit, omnia in hoc novo conficiendo processu servari debent, quae supra exposuimus. At nisi speciales gravesque rationes aliud suadeant, satius est ut delato utatur processu, iis additis quae pro animi sui securitate addenda putaverit.[2] Tandem sententiam profert.

1287. A sententia alterius instantiae datur, etsi non semper, provocatio ad tertiam et deinde quandoque etiam ad quartam sed non ultra. Nihilominus post binas sententias, quae fuerint pro matrimonii validitate, pars accusans matrimonii nullitatem non potest ulterius appellare « nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis » (can. 1903).

[1] S. C. S. Officii in cit. Instructione, 20 iunii 1883, § 24.

[2] Mansella, l. c., n. 13; Instructio Austriaca, § 185, 186; cit. Instructio S. C. S. Officii, l. c.

Exinde intelliges can. 1987 et 1989. Prior ita se habet: « Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmavit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi ». Alter vero sic sonat: « Cum sententiae in causis matrimonialibus numquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae, si nova argumenta praesto sint, retractari semper poterunt, firmo praescripto can. 1903 ».

Ideoque, ut quae dicta sunt resumamus, si prima sententia fuerit pro nullitate, vinculi defensor appellare absolute tenetur, adeo ut, si negligat officium suum, compelli ad hoc a iudice a quo debeat, cum coram ipso interponenda appellatio sit (can. 1881). In contraria hypothesi, seu si prima sententia fuerit pro validitate, ab ea evidenter non vinculi defensor, sed pars, quae matrimonium nullitatis accusavit, appellare potest.

Post alteram sententiam in gradu appellationis latam, aut haec sententia confirmavit priorem aut non. Si primum, rursus distinguendum est: aut ambae sententiae fuerunt pro matrimonii nullitate aut pro eius validitate. In primo casu, cum vinculi defensor possit, sed non teneatur, appellare, elapsis a sententiae publicatione decem diebus, quin vinculi defensor suo iure usus sit, fas est coniugibus ad novas transire nuptias. In altero, pars succumbens instare potest pro nova causae propositione, novis tamen prolatis argumentis vel productis documentis et quidem gravibus (can. 1903).

Quod si prima et altera sententia fuerint difformes, ius ab altera appellandi aut ad vinculi defensorem aut ad partem actricem spectabit, prouti uni vel alteri fuerit contraria. Imo si altera sententia fuit pro nullitate, ligaminis adsertor tenetur ex officio ab ea appellare. Demum in casu trium sententiarum, si binae fuerint pro nullitate et una pro valore matrimonii, vinculi defensor, etsi possit, non tenetur absolute appellare ad aliam obtinendam sententiam pro matrimonii validitate.

APPENDIX.

DE MATRIMONIO, UT AIUNT, CIVILI

1288. Matrimonium civile illud dicitur, quod initur ad praescriptum legis civilis, nempe a personis habilibus iuxta civilem legem, et in forma a lege civili praescripta. Status illud recognoscit, illique civiles effectus tribuit. Ignotum toti antiquitati christianae ortum habuit ex errore, quod matrimonium etiam inter Christianos sit contractus civilis, qui regitur auctoritate Status, et cui deinde ritu religioso accedit ratio Sacramenti (n. 29). Primum invaluit tempore Gallicae rebellionis, et hodie apud omnes fere nationes, etiam catholicas, receptum est.

Non tamen eadem ratione. Siquidem apud plures Nationes exsistit sub forma *obligatoria*, v. g., in Gallia, in Germania, in Belgio, etc., ita ut matrimonium sit ineundum coram Officiali civili et iuxta civiles leges sub poena denegationis effectuum civilium et cuiuscumque protectionis civilium legum. Apud alias Nationes, e contra, exsistit in forma *facultativa*, v. g., in Anglia necnon in pluribus Statibus Americae Septentrionalis, ita ut civibus liberum sit matrimonium contrahere vel coram parocho secundum leges ecclesiasticas simul et civiles, vel coram Officiali civili iuxta civiles leges tantum.

In Italia, matrimonium civile sub forma obligatoria exsistebat. At post Concordatum die 11 februarii 1929 feliciter initum inter Sanctam Sedem et Italiae Regnum (vide ad rem art. 34 in Alleg. XV), matrimonio, coram Ecclesia valido, peculiaribus servatis praescriptionibus civilibus, effectus civiles tribuuntur, atque coniugium civile utique servatum est, at est mere facultativum.

In primis videamus de legitimitate vel potius illegitimitate matrimonii civilis; deinde de civili divortio.

I.

Doctrina Ecclesiae de matrimonio civili.

1289. Legislatio civilis circa matrimonii vinculum *pro non baptizatis* est legitima, dummodo in se rationabilis sit et ad bonum commune conducat, quia auctoritas civilis est competens. Etiam *pro baptizatis* matrimonium civile esset legitimum, si in eo tantum consisteret, ut civilis magistratus de matrimonio coram Ecclesia inito doceretur pro illius relatione in acta status civilis pro effectibus civilibus (n. 239); sed in hoc casu matrimonium civile improprie tantum appellaretur. At cum, e contrario, matrimonium civile, prout nostris temporibus receptum est, sit distinctum prorsus et separatum a matrimonio religioso, et vel ipsum tantum a lege recognoscatur, non autem religiosum, vel saltem utrumque recognoscatur, scilicet tum civile sine religioso, tum religiosum sine civili; hinc patet matrimonium civile in primo casu inniti duplici errori dogmatico, nempe quod auctoritas civilis competens sit in vinculum matrimoniale baptizatorum, et quod ecclesiastica non sit competens; in altero casu inniti uni tantum errori dogmatico, nempe quod auctoritas civilis (una cum ecclesiastica) competens sit. His adde innumera incommoda ex oppositione inter utramque legislationem. Hinc Ecclesia, reclamans contra huius matrimonii civilis legem in aliqua natione latam, semper insistit in exclusiva competentia Ecclesiae in vinculum matrimoniale baptizatorum, et illa incommoda indigitat.

1290. Ex dictis sequitur graviter delinquere legislatorem, qui hoc civile matrimonium in nationem primo introducit, aut illud introductum non removet, si potest. Si ad subditos descendamus, certum pariter est peccare omnes, qui de errore dogmatico legislatoris participant, habentes matrimonium civile, quatenus tale, uti verum matrimonium, nisi bona fide excusentur. Seposito autem illo errore dogmatico, matrimonium civile considerari potest tamquam mera civilis caeremonia, a lege praecepta, qua declaratio veri matrimonii (initi

vel mox ineundi in facie Ecclesiae) a fidelibus fit magistratui civili; et tunc licet sive fidelibus contrahentibus, sive officiali civili in obsequium legis, et ad civiles effectus vero coniugio obtinendos. Sed ad haec melius declaranda in primis loquamur de fidelibus civilem actum ponentibus, deinde de officiali civili.

1291. Quisque videt civile coniugium nullum prorsus esse, vitamque communem, quae inde sequitur, esse *verum concubinatum* lege civili probatum. Exinde sequitur filios esse illegitimos;[1] qui proinde, si alicubi adest consuetudo baptizandi legitimos ritu sollemniori, e. g., sonitu organi vel aeris campani, non debent eo ritu baptizari, ut reposuit S. C. C., die 31 iulii 1867; nec legitimis in libro baptizatorum accenseri debent, si legitimi et illegitimi separatim scribuntur; nec mater ius habet ad benedictionem post partum, ut eadem S. C. edixit, die 18 iulii 1859. Quin imo haec benedictio in hoc casu dari non potest, quippe concubinatus quasi ratihabitio videretur.[2]

1292. Proinde parochus nullum non debet movere lapidem ut fideles qui, solo civili actu iuncti, maritalem vitam ducunt cum tanto animae suae detrimento et aliorum scandalo, quantocius nuptias ineant coram Ecclesia, aut, si id nequeant aut nolint, separentur; et interim utrumque habere debet absolutione indignum, donec resipiscat, ac, praescriptionibus Ecclesiae se subiiciens, ad poenitentiam convertatur.

1293. At nihilominus fidelibus civile matrimonium per se licitum est, etsi officialis civilis sit haereticus vel infidelis. Id declaravit Benedictus XIV in cit. Epist. *Redditae sunt Nobis*. In Statibus Foederatis Belgii et Hollandiae iam introductum erat civile coniugium: omnes nimirum debebant coram magistratu civili, qui haereticus erat, contractus matrimoniales inire, neque lex matrimonium aliter celebratum recognoscebat. Catholici autem, post initum matrimonium civile, aliquando negligebant consensum renovare in forma Tridentina, et interim maritalem consuetudinem inter se habebant. Simon a S. Ioseph Carmelita, missionarius in Statibus Foederatis, petiit a Bene-

[1] Benedictus XIV in Epist. *Redditae sunt Nobis*, 17 sept. 1746, § 3.
[2] D'Annibale, p. III, § 467, not. 1.

dicto XIV num hoc matrimonium coram magistratu civili initum valeret saltem ratione contractus. Doctissimus Pontifex, l. c., respondet tale matrimonium inter duas partes catholicas nullum esse sive ratione Sacramenti sive ratione contractus, licet inter duas partes haereticas, aut inter partem haereticam et partem catholicam tunc temporis validum foret. Deinde, § 3, subiungit: « Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti, cum civili magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendant ». Proinde fideles licite accedunt ad civile coniugium, intendentes ponere caeremoniam mere civilem, qua, in obsequium legislatoris, matrimonium religiosum (celebratum vel mox celebrandum) magistratui civili declarant ad civiles effectus obtinendos.

1294. Haec quae diximus unam patiuntur exceptionem, nempe matrimonium civile est fidelibus prorsus illicitum, quoties ritu haeretico vel idolatrico perficiatur, ut monet idem Benedictus XIV in Const. *Inter omnigenas*, 2 febr. 1747, et in genere quoties fideles hac occasione aliquid dicere aut facere teneantur, quod iniquum in se est. Huc spectat responsio S. C. S. Officii, 27 aug. 1658. Expositum fuerat: « Cum in praedictarum provinciarum aliquibus politica iubeant statuta, ut catholici omnes, qui matrimonium inire volunt, in templis haereticis coram praedicante et populo Calvinistis contrahant sub hac formula sponsorum reciproca: *Accipio N. N. coniugem meam coram hac sancta communitate*, quaeritur: 1° an id possit permitti; 2° an possint a parocho catholico coniungi in matrimonium immediate postquam contraxerint coram praedicante et populo Calvinistis cum illa verborum formula: *Coram hac sancta communitate*, antequam de tali synagoga haeretica pro sancta agnita poeniteant ».

S. C. reposuit: « Ad 1um negative. Ad 2um: qui contraxerunt coram tali communitate pro sancta agnita, ac denuo petunt coniungi coram parocho catholico, posse et debere coniungi, antequam poeniteant. Ex caritate tamen esse monendos, ut interim poeniteant, et, si fieri potest, prius confiteantur, et

imponatur illis aliqua suavis poenitentia salutaris. Qui vero prius contraxerunt coram parocho catholico monendos esse, ne compareant ad contrahendum coram praedicante et populo haeretico cum illa formula: *Coram hac sancta communitate* ».

Ita etiam in instructione iussu Pii VI exarata et ad Episcopos Galliarum missa, die 26 sept. 1791.

1295. Imo civile matrimonium non solum fidelibus licitum est, sed etiam obligatorium *indirecte* et *per accidens*. Nam S. Poenitentiaria in instructione diei 15 ian. 1866 docet, prout sequitur:

« ... Ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant actum lege decretum exsecuturi, ea tamen intentione (uti Benedictus XIV docet in Brevi diei 17 sept. an. 1746, *Redditae sunt Nobis*) ut sistendo Gubernii Officiali nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exsequantur.

« Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legi exsecutioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum, sed in gravioribus hoc Sacrum Tribunal consulat ».

D'Annibale, p. III, § 467, non immerito putat a gravi peccato non excusari illos, qui civiles sollemnitates praetermittunt; nam ex una parte licitae sunt ex dictis, et ex alia earum omissio gravissima pericula et damna ingerit.

Exinde etiam sequitur parochum curare debere ut caeremoniam civilem quamprimum expleant coniuges, qui matrimonium religiosum iniverunt, quamquam hoc interim uti profecto valeant.

Hinc in Italia, iuxta praxim a S. C. de Sacramentis inductam, iam ad matrimonium religiosum non admittebantur qui civile inire non potuissent. Quoad ipsas viduas post bellum

eadem S. Congregatio, ab Ordinariis rogata, respondit: « Non esse recedendum a praxi S. Congregationis, ideoque amissionem pensionis non esse causam sufficientem permittendi celebrationem matrimonii absque ritu civili ».

1296. Consultius est ut fideles prius contrahant matrimonium coram Ecclesia et deinde actum civilem expleant, nisi lex civilis, uti fere ubique, vel alia vera necessitas aut gravis ratio eos cogat ut ordinem invertant. Ad rem Benedictus XIV, l. c., postquam docuisset fideles, post matrimonium civile ante religiosum, debere maritalem consuetudinem ac nimirum inter se familiaritatem et cohabitationem sub eodem tecto evitare, subiungit: « Ad huiusmodi porro evitanda pericula cognoscimus consultius utique fore, ut catholici nonnisi matrimonio iam antea in faciem Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam, saecularem magistratum seu haereticum ministellum adirent. Sed quoniam ex vestris litteris deprehendimus id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere et coniugale foedus, iuxta praescriptam a Tridentino normam, rite et sancte inire ». Haec confirmat S. Poenitentiaria in cit. instructione, n. 7: « Quod si opportunum est ac expedit ut fideles, sistentes se ad actum civilem peragendum, se probent legitimos coniuges coram lege, hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, huiusmodi ordinis invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti consistant... ».

1297. Sicuti fidelibus licitum est matrimonium civile inire, ita et civilis magistratus potest in illius celebratione assistentiam et operam praestare, dummodo et ipse intendat ponere meram civilem caeremoniam, qua declarationem recipit matrimonii initi aut mox ineundi, et nil dicat contra sanctitatem matrimonii et contra necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia. Benedictus XIV, l. c., de officiali civili non agit, sed

non semel Sedes Apostolica id declaravit; e. g., S. Poenitentiaria, die 15 dec. 1865, respondens Episcopis Provinciarum Taurinensis, Vercellensis et Ianuensis. Ceterum si Ecclesia passa est matrimonium civile a fidelibus celebrari, eo ipso debuit permittere ut officialis civilis eidem assistentiam praestaret.[1] Imo etiam sacerdos, obtenta licentia ab auctoritate ecclesiastica, officialis civilis munere fungi potest in hoc civili matrimonio, et de facto in nonnullis locis parochus est officialis civilis.

1298. Huc spectant sequentia dubia proposita S. C. S. Officii a Vicario Apost. Sandwich:

« 1° D'après les lois du pays nous pouvons marier, et nous marions en effet des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques, des catholiques avec des infidèles, des hérétiques avec des hérétiques, des hérétiques avec des infidèles, des infidèles avec des infidèles.

« 2° Pour les catholiques avec des catholiques nous suivons exactement le Rituel, et nous avons toujours soin de les confesser auparavant.

« 3° Pour les catholiques avec des hérétiques, ou des infidèles, nous confessons auparavant, pour plus grande sûreté, la partie catholique, et nous nous contentons de demander ensuite le consentement des deux parties.

« 4° Pour les autres nous ne demandons que le consentement.

« 5° Nul doute que nous puissions, en vertu de nos pouvoirs, marier des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques, ou des infidèles. Mais pouvons-nous, en sûreté de conscience, comme simples officiers civils, recevoir le consentement d'un hérétique avec un hérétique, d'un hérétique avec un infidèle, d'un infidèle avec un infidèle, qui ne prétendent se marier que d'après le sens et les termes de la loi civile, qui admet le divorce?

« 6° Lorsque les deux parties, que nous avons mariées, ne sont pas toutes deux catholiques, pouvons-nous remarier celle qui obtient un billet de divorce?

---

[1] Santi, lib. IV, tit. III, n. 54.

« 7° Si (ce qu'à Dieu ne plaise) deux catholiques allaient se faire marier par les ministres calvinistes avec l'intention de ne se marier que d'après le sens et les termes de la loi civile, qui admet le divorce, pourrions-nous remarier la partie, qui obtiendrait du gouvernement la permission de se marier à un autre?

« 8° Notre conduite dans ce cas est de marier indistinctement, et même de remarier tous ceux qui obtiennent du gouvernement la permission de se marier. Nous ne sommes inexorables qu'envers les catholiques, que nous aurions validement mariés, et qui voudraient, en vertu de la loi de divorce, se marier de nouveau ».

S. C. reposuit dec. 1850:

« Ad 1um: providebitur in sequentibus.

« Ad 2um: bene et rite se gerere.

« Ad 3um: rationem, sive modum ibi descriptum coniungendi contrahentes, de quibus agitur, minime vetari, dummodo detur consensus extra Ecclesiam, sine ulla omnino benedictione, quemadmodum recte, de more, iubet Benedictus XIV, *De Syn. dioec.*, lib. VI, cap. V, n. 5. Et serventur conditiones, de quibus infra.

« Ad 4um: providebitur in sequentibus.

« Ad 5um: quoad quaesiti partem primam, viderit S. C. de Prop. utrum orator cum suis missionariis fruatur revera facultate dispensandi super mixtae religionis impedimento et disparitate cultus. In mentem tamen eiusmodi Vicarii Apost. hic opportune revocetur, matrimonia huius generis semper esse detestanda, numquam a sacerdote catholico benedicenda, et contrahenda extra fores ecclesiae, praemissis prius tribus solitis conditionibus, quae sunt nimirum educatio totius prolis in catholica veritate, et liberum exercitium religionis catholicae, et studium catholicae partis pertrahendi alteram ad verae fidei professionem.[1] Quoad secundam quaesiti partem, missionariis, de quibus agitur, sub quocumque respectu conside-

[1] Cautiones iure novo praestandas in huiusmodi mixtis nuptiis habes in can. 1061, quas exposuimus fusius n. 447 et seq.

ratis, vetitum esse recipere consensum tam haereticorum cum haereticis, quam infidelium cum infidelibus inter se contrahentium. Quod si Vicarius Apost. praevideat superventura damna gravissima catholicae religioni ex recusata hac missionariorum assistentia, sciat ipse, missionarios, in tali hypothesi, non esse pro interim ob id inquietandos. Sed ipse quam citissime deferat omnia ad hanc S. Sedem, enuntiando eidem diligenter et accurate, quae et quanta forent damna quae in casu imminerent, referendo insuper exactissime omnes locorum, temporum, personarumve circumstantias, referendo tamen utrum nostri catholici, sive alii quicumque scandalum patiantur ob memoratam sacerdotum catholicorum assistentiam, ut S. Sedes matura deliberatione definire valeat, utrum illius regionis missionarius possit licite permitti, ut intersint praefatis connubiis tamquam officiales, ut aiunt, civiles, sive tamquam testes qualificati et auctorizabiles, sola nimirum exhibita praesentia materiali et passiva, sine ullo approbationis signo et sine ulla benedictione.

« Ad 6um et 7um: non licere nisi constet matrimonium fuisse nullum, sive ob legem divortii in pactum deductam, sive ob aliquod aliud dirimens canonicum impedimentum.

« Ad 8um: praxim, de qua agitur, omnino esse vetandam, praesertim si agatur de mixtis matrimoniis fidelium cum haereticis et infidelibus. Quoad assistentiam vero, quam missionarii nostri praestant haereticis inter se contrahentibus et infidelibus, missionarios praedictos non posse licite eisdem assistere, prout responsum fuit supra ad partem 2, quaest. 5 ».

1299. Etiam Episcopus Bardensis (hodie Ludovicopolitanus) in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis petiit ab eadem S. C. num ipse aliusve sacerdos posset matrimoniis haereticorum assistere tamquam officialis civilis, quod legibus Reipublicae licitum est. S. C. respondit, die 20 dec. 1837: « Si agatur de matrimonio inter duas partes haereticas, licet huiusmodi interventus non ita reprobetur, ut numquam licitus esse possit, communiter tamen esse dissuadendum. Si vero altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, licere ».

1300. Quaeritur num officialis civilis assistere possit, etiamsi sciat fideles matrimonium christianum vel non esse contracturos ob malam ipsorum voluntatem, vel etiam non posse contrahere, obstante canonico impedimento a lege civili non recognito. Nonnulli putant assistentiam in casu esse intrinsece malam; alii id negant; quaestio valde implexa.

1301. Patroni alterius sententiae hanc afferunt rationem: officialis civilis assistit tamquam testis auctorizabilis pro Statu: atqui assistere actui malo aut etiam invalido tamquam testem non est ita intrinsece malum ut numquam valeat esse licitum; et inde fit quod vel ipse parochus, testis auctorizabilis pro Ecclesia, aliquando matrimonio indignorum assistere possit (n. 474 seq.). Admittunt tamen hanc assistentiam prohiberi ex caritate ratione scandali et ratione mali proximi, quod officialis civilis debet impedire, sed caritas non obligat cum gravi incommodo, quod in casu verificatur tum privatum, dimittendi scilicet officium, tum publicum, quia interest societatis ut boni civiles officiales habeantur.

Santi, lib. IV, tit. III, n. 55 seq., ad positam quaestionem ita respondet:

« Omittimus hypothesim publici scandali, quod ex assistentia officialis posset in populo derivare, quo in casu solutio quaestionis penderet a qualitate scandali, quod vitandum esset.

« Restringimus hypothesim ad cooperationem, quam, secluso etiam scandalo, habere potest officialis in illicita celebratione contractus civilis, et in effectibus malis, qui inde sequuntur. Haec cooperatio per se mala est et reprehensibilis: ex lege enim caritatis nemo potest facto suo concurrere in malum proximi sui.

« Verum ex natura legis caritatis, quae in genere non obligat cum gravi praeiudicio proprio, malitia cooperationis potest attenuari, imo etiam tolli, si officiali praesto sint validae rationes ad assistentiam et operam suam exhibendam, simulque pro parte sua studeat evitare malum proximi sui. Gravis autem ratio ad praestandam assistentiam esset debitum officii sui, et periculum amittendi officium ipsum, quoties renueret caeremoniae matrimoniali adesse.

« Satis autem officialis studebit vitare peccatum contrahentium, si eosdem prudenter et caute admoneat eorum matrimonium esse solum caeremoniam civilem, et nihil prorsus valere coram Ecclesia, immo ab eadem interdici ob impedimentum, quo ipsi contrahentes ligantur.

« Porro circa onus admonendi contrahentes, animadvertunt distinguendum esse inter impedimentum notorium, quod facile cognosci et demonstrari possit, et occultum vel dubium impedimentum, quod illico non cognoscitur. Officialis enim civilis non tenetur inquirere, utrum contrahentes ligentur impedimento ecclesiastico, sed solum pro ratione sui officii debet videre, utrum verificetur habilitas civilis. Hinc non tenetur inquirere, e. g., utrum contrahentes sint in tertio vel quarto gradu affinitatis.[1]

« Quare merito tradunt DD. onus admonendi contrahentes urgere officiales solummodo in casu impedimenti notorii, quod facile dignosci et facile ipsis contrahentibus posset declarari, non autem in casu impedimenti occulti, quod specialem exposcit inquisitionem, ut cognoscatur, nec facile contrahentibus demonstrari potest ».

Quamquam Santi non citet S. Poenitentiariam, tamen non est dubitandum hanc doctrinam ex iurisprudentia ipsius S. Poenitentiariae desumpsisse, cuius fuit per plures annos canonista, et tandem Regens per paucos menses ante mortem: secus enim homo eximiae humilitatis et timiditatis hanc doctrinam in re adeo salebrosa ita incunctanter non dedisset.

Ex quibus omnibus videtur haec doctrina tamquam probabilis in praxi ~~sequi~~ tenere posse, ideoque officialem civilem posse, iuxta dicta, huic matrimonio assistere. At si inter partes est impedimentum in quo Ecclesia non possit aut non soleat dispensare, vide et applica quae in specie de casu impedimenti ligaminis dicimus n. seq.

1302. Haec quaestio acrius exarsit progressu temporis post nefastam divortii civilis legem; scilicet quaesitum est num syndicus posset assistere matrimonio eorum qui, ligati vinculo

[1] Haec valebant iure antiquo; post Codicem vide quae diximus n. 209.

matrimoniali coram Ecclesia, divortium civile obtinuerunt. Hac in re habentur plures responsiones, et omnes usque ad annum 1900 in sensu negativo. Prima est responsio S. C. S. Officii ad 6um et 7um, relata n. 1298. Altera est responsio eiusdem S. C. ad 3um, relata n. 1314. Tertia est responsio Cardinalis Poenitentiarii Maioris diei 28 nov. 1883.[1] Episcopus Italiae quaesiverat num syndicus posset assistere matrimonio civili illius, qui iam ligatus est vinculo coniugali coram Ecclesia cum tertia persona;[2] et S. Poenitentiaria respondet: « Ho riferito all'Emo Penitenziere Maggiore il caso del sindaco di cotesta diocesi, che, in forza del suo officio, dovrebbe assistere al matrimonio civile di un tale, che è già legato in faccia alla Chiesa; e per comando del lodato Emo devo significarle, che non può il nominato sindaco in verun modo prestarsi ad un atto così contrario alla santità del matrimonio. Quindi *qualunque siano le circostanze del caso*, deve assolutamente astenersi da tale assistenza, *ancorchè poi ne seguisse che dovesse dimettersi* ».[3] Tandem quarta est responsio Sacrae Poenitentiariae diei 15 octobris 1896 ad Ordinarium N. videlicet: « Nullo pacto licere syndico assistentiam... exhibere matrimonio illius, qui adhuc vinculo matrimonii religiosi ligatus est, etiamsi propterea officium dimittere oporteat ».

1303. Attamen S. Poenitentiaria et S. C. S. Officii, proprie non affirmant hanc assistentiam esse intrinsece malam. Qui praeferunt theoriam, quam verbis Santi, n. praec., exposuimus, eamdem etiam huic casui applicant. Neque, aiunt, etiam assistentiam huic matrimonio esse officiali civili prohi-

---

[1] Bucceroni, *Enchiridion morale*, pag. 149.

[2] In Italia numquam viguit divortium civile, et civile matrimonium auctoritas civilis non praecipiebat ante religiosum. Absque dubio in casu proposito agebatur de viro qui post matrimonium initum coram Ecclesia, volebat matrimonium civile contrahere cum tertia persona.

[3] *Latine:* « Retuli Emo Card. Poenitentiario Maiori casum syndici istius dioecesis, qui vi sui officii assistere deberet matrimonio civili illius qui iam coram Ecclesia ligatus est; et ab eodem Emo Cardinali iussus sum tibi respondere hunc syndicum nullo modo posse concurrere ad actum adeo sanctitati matrimonii contrarium. Consequenter, *quaecumque tandem sint casus circumstantiae*, ipse non potest assistere, *etiamsi exinde deberet suum officium dimittere* ».

bitam ex caritate, quia matrimonium nullum ob impedimentum *ligaminis* est aeque nullum ac matrimonium nullum ob aliud impedimentum, cum *non esse non admittat magis et minus*; at vero in casu nostro malum proximi gravius est, cum usus matrimonii civilis sit adulterium; item scandalum gravius; et tandem interest societatis, ne funesta divortii civilis lex radices in populi moribus figat; proinde incommodum sufficiens ad obligationem caritatis declinandam debet esse gravissimum non privatum tantum, sed et publicum; et de facto tale esse non solet. Quidquid de hoc sit, licet extraordinariae circumstantiae verificentur, quae maximam incommodi privati et publici gravitatem inducant, syndicus consulat Episcopum, et Episcopus S. Poenitentiariam, aut S. C. S. Officii.

Ita v. g., se gessit quidam parochus dioec. N***, qui, occurrente gravissimo damno publico si, denegata assistentia huiusmodi matrimoniis civilibus, syndicus catholicus officium dimittere cogeretur et areligiosus eligeretur, Sacram Poenitentiariam consuluit. Et Sacra Poenitentiaria, die 13 februarii 1900, respondit: « Attentis singularibus circumstantiis, S. P. censet non esse inquietandum officialem civilem, qui suam operam in casu proposito praestat, dummodo publice declaret se 1° catholicum dogma circa unitatem et indissolubilitatem matrimonii profiteri; 2° actum illum civilem habere uti civilem caeremoniam, eique interesse coactum et ad maiora mala vitanda. Graviter insuper moneat, saltem privatim, contrahere hoc modo attentantes de enormitate sceleris, quod committunt et de omnimoda actus nullitate ».

II.

De civili divortio.

1304. Modo de liceitate vel illiceitate divortii civilis agendum est; et licet quae dicturi sumus, facile applicentur etiam divortio civili quoad infideles, tamen, maioris claritatis gratia, nos sermonem restringimus ad divortium civile quoad christianos.

1305. In primis omnes admittere debent hanc legem malam esse, quatenus funestissimos parit effectus individuis, familiis, Statui, de quibus Leo XIII in Encycl. *Arcanum*, § *At vero*; et innititur tum errori dogmatico contra exclusivam competentiam Ecclesiae in vinculum matrimoniale causasque matrimoniales baptizatorum, tum errori dogmatico formali contra indissolubilitatem veri matrimonii; nam legislator, habens civile matrimonium ut verum matrimonium, putat illud esse sua lege solubile. Verum ii errores legislatoris, et illa legis incommoda satis per se non videntur, ut dicamus civile divortium *numquam* licitum esse posse, nisi ipsum quoque divortium in se, idest legis obiectum, esset intrinsece malum, non obstantibus quibusvis circumstantiis aut restrictionibus vel Ecclesiae tolerantia; e. g., lex matrimonii civilis tristissimos producit effectus, et innititur errori dogmatico (n. 1289), et tamen matrimonium civile, servatis servandis, licitum est. Videamus igitur num divortium civile ita in se malum sit, ut numquam possit sine peccato iudex illud pronuntiare, pars petere, procurator et advocatus patrocinari.

1306. Consulto quaestionem restringimus ad iudicem, partes, procuratorem ac advocatum, seposito syndico et actuario. Nam ex. g., in Gallica legislatione procedura in causis divortii civilis usque ad mensem aprilis 1886 erat prorsus singularis. Iudex scilicet proprie loquendo non ferebat sententiam divortii, sed pronuntiabat: *Il y a lieu à prononcer le divorce*, vel quid simile et deinde syndicus divortii sententiam ferebat. Nam legislator voluit, ut in causis divortii praecederet iudicis sententia de exsistentia causae legalis divortii, et deinde syndicus, huic sententiae innixus, divortium pronuntiaret, scilicet ille partes dissolveret, qui easdem ligaverat. Tunc igitur quaestio moralis etiam syndicum comprehendebat, imo magis syndicum, quam iudicem, quippe qui revera hoc unum declarabat, in casu adesse causam legalem divortii, quod deinde syndicus sua sententia inducebat. Sed lege diei 18 aprilis 1886 haec procedura immutata est; et modo in legislatione Gallica, sicuti in aliis legislationibus, iudex fert sententiam divortii, quae deinde transcribitur in actis status

civilis.[1] Eam transcribit actuarius, qui peccare non videtur, licet sententiam divortii dicamus intrinsece malam; nam sententia ex se vim habet, et actuarius nil aliud facit quam notare factum iam consummatum iniquum. Syndicus autem nil facit, aut ad summum iubet sententiam transcribi in actis status civilis: quo in casu eadem repetenda esse videntur, quae diximus de actuario.

1307. Iam vero *si matrimonium religiosum non exsistit*, omnes admittunt civile divortium esse per se licitum, quia importat libertatem civilem partibus, quae reipsa liberae sunt: remanet incompetentia iudicis laici in causis matrimonialibus, de qua tamen vide n. 1237 seq. Imo quamquam partibus, civili tantum matrimonio iunctis, in genere enixe suadendum sit, ut potius matrimonium religiosum ineant aut revalident, tamen dari optime potest casus, quo pars *teneatur* in conscientia civile divortium petere, si scilicet religiosi matrimonii celebratio aut revalidatio obtineri nequeat. Porro matrimonium religiosum non exsistit vel 1° si numquam initum fuit; vel 2° si initum fuit cum aliquo impedimento dirimente aut sine debito consensu, et nullum declaratum a competente auctoritate ecclesiastica; vel 3° si initum fuit sine ullo impedimento dirimente et cum debito consensu, sed deinde ratum et non consummatum, fuit diremptum dispensatione Romani Pontificis, aut sollemni alterius partis religiosa professione.

1308. Quid vero *si matrimonium religiosum exsistit*? Sequentia certa sunt apud omnes: 1° Iudicem posse causam acceptare et ad examen revocare, deinde autem *contra divortium* sententiam ferre; 2° Reum semper posse sese defendere per procuratorem et advocatum contra partem petentem divortium, aut posse passive se habere; 3° Peccare partem, quae

[1] Decreta et responsa Sedis Apostolicae, hac de re lata, eodem modo de iudice et syndico loquuntur: sed valde dubitamus illam procedurae Gallicae singularitatem, et mutationem subinde factam lege diei 18 aprilis 1886. S. C. S. Officii et S. Poenitentiariae expositam fuisse; nam plures in Galliis, etiam inter Ordinarios, et Romae plures docti viri qui hisce quaestionibus studuerunt, illam ignorabant prorsus.

petit divortium cum intentione transeundi ad novas nuptias (quae intentio de facto saepius adest); nam habet intentionem adulterium perpetrandi.

Sed videamus utrum iudex in conscientia queat sententiam *pro divortio* ferre, pars eam petere eiusque petitionem procurator et advocatus sustinere, praescindendo ab eius intentione novum contrahendi coniugium.

1309. Est duplex opinio etiam post declarationes S. C. Inquis. et S. Poenitentiariae, quas infra referimus, inter DD. catholicos Sedi Apostolicae aeque devotos.

Plures censent divortium civile in hypothesi ita illicitum esse, ut numquam sine piaculo possit iudex illud pronuntiare, pars petere, procurator ed advocatus defendere. Argumentum intrinsecum ita exponimus: Divortium civile inducit civilem libertatem inter partes, idest importat partes deinceps coram lege civili nullum ius ac officium matrimoniale habere ad invicem, hinc relationes inter ipsas esse illegitimas, filios post divortium habitos esse illegitimos matrimonium ab ipsis cum tertia persona initum esse validum licitumque, relationes legitimas, filios legitimos, etc. Atqui haec omnia, si matrimonium religiosum exsistit inter partes, ita mala sunt, ut nunquam pronuntiari a iudice, peti a parte, defendi a procuratore et advocato valeant. Ergo.

Neque dicas iudicem, partem, advocatum praescindere, sicuti civilem legislatorem, a vinculo religioso quod subest, et unice spectare vinculum civile, quod reipsa nihil est. Nam haec verissima erunt; sed, non obstante hac abstractione, vinculum religiosum exsistit; et vinculum religiosum exsistens reddit intrinsece malam civilem partium libertatem, de qua supra.

Nec ulla paritas est inter iudicem ferentem sententiam divortii civilis, et officialem civilem assistentem civili matrimonio eorum, qui matrimonium religiosum nec contraxerunt, nec contracturi sunt, nec contrahere possunt, obstante impedimento dirimente canonico. Siquidem hoc matrimonium civile est profecto iniquum; sed officialis civilis, si eidem assistere potest (n. 1300 seq.), id inde est, quia eidem *assistit* ut testis

auctorizabilis pro Statu, sicuti parochus assistit matrimonio religioso ut testis auctorizabilis pro Ecclesia. Atqui assistere, uti testem, actui iniquo potest esse licitum ex gravibus rationibus (cit. n. 1300 seq.): sed sententia iudicialis, cuius obiectum est intrinsece malum, numquam licita esse potest.

1310. Alii putant (ut laxiores opiniones omittamus) divortium civile, ex iusta causa, posse iudicem pronuntiare, partem petere, procuratorem et advocatum defendere, dummodo intendant, et se intendere declarent, unum civile matrimonium. Inter huius opinionis patronos facile princeps est Lehmkuhl, vol. II, n. 701, in nota, qui tamen de solo iudice agit: et eam sive in theoria sive in praxi retinent, saltem ut probabilem, non pauci Antistites, docti, pii, prudentes et Sedi Apostolicae addictissimi in Germania, Anglia, America, Gallia. Non omnes rem explicant eodem modo, sed verosimilior explicatio sequens videtur: Divortium civile est solutio unius vinculi civilis, a religioso prorsus distincti et separati, seu est solutio vinculi reipsa non exsistentis; atqui solutio vinculi reipsa non exsistentis est per se moraliter indifferens; ergo divortium civile est per se moraliter indifferens. Equidem ex hoc divortio sequitur effectus contrarius iuri divino, nempe quod matrimonium religiosum privetur suis effectibus civilibus, sed hic effectus sequitur indirecte, etsi necessario; atqui ex iusta causa licitus est actus ex se indifferens, ex quo certe, sed indirecte tantum, sequitur effectus contrarius iuri divino. Equidem ex divortii sententia utrique parti praebetur occasio peccandi, lex adeo perniciosa magis firmatur, etc.; sed haec omnia iudex, pars, procurator et advocatus ex iusta causa permittere potest. Ergo.

1311. Porro haec causa, ut iusta sit, debet esse aliquo modo proportionata malo, quod sententia producit, ideoque causa boni publici. Talis verificatur pro iudice, quia si omnes iudices timoratae conscientiae officio cederent, id in grave damnum utriusque societatis vergeret. Sed non verificatur pro actore et pro procuratore et advocato saltem voluntario, qui commodum privatum prosequuntur; nisi forte agatur de actione reconventionali praesertim ex gravi causa, e. g., ad filios sal-

vandos a comparte haeretica, impia, etc., tum quia hoc bonum, licet privatum, est tamen ordinis supernaturalis, tum quia reconventionaliter agens videtur petere minus malum in eadem linea: quod et nonnulli inter patronos rigidae opinionis admittunt.

1312. Breviter exposita utraque sententia cum suis argumentis, modo videamus quid S. C. S. Officii et S. Poenitentiaria circa hanc quaestionem responderint.

In primis est responsio S. C. S. Officii diei 3 apr. 1877 ad Episcopum S. Galli in Helvetia. Expositum fuerat: « Lex Confoederationis Helveticae de statu et matrimonio civili lata sancivit: causas matrimoniales omnes et singulas, suppressa ex nunc et deinceps ecclesiastica iurisdictione, in tribunalibus laicorum ad normam tractandas esse, quae in causis civilibus statuitur, sententias in iis proferendas esse secundum praescriptiones iuris communis et novissimae latae legis, qua matrimonia, etiam catholicorum, sub certis rationibus valde levibus, perpetuo dirimi atque quoad vinculum dissolvi possunt, ita ut eiusmodi coniuges litigantes, post latam iudicum saecularium sententiam divortii, ad alia matrimonia contrahenda, si voluerint, possint transire. Quaeritur igitur:

« *Dubium quintum*: Utrum iudices catholici et advocati in eiusmodi tribunalibus laicis causas matrimoniales tuta conscientia suscipere ac defendere sive cognoscere et iudicare possint?

« *Dubium sextum*: Utrum iidem iudices catholici et advocati secundum recentem Helvetiae legem matrimonii vinculum ut dissolvendum proponere, seu ut dissolutum declarare tuta conscientia possint, necnon declarare eiusmodi coniuges ad aliud matrimonium contrahendum posse transire, sicut lex civilis hoc in casu iudicare et declarare iudices expresse iubet et urget?

« In disserenda hac quaestione obliviscendum non est quod tribunalia saecularia, quorum est iudicare de causis civilibus eadem sunt quibus nova lege incumbit causas matrimoniales cognoscere et iudicare. Quod si ergo iudicibus catholicis vetitum fuerit eiusmodi tribunalibus interesse, in magnum damnum civium ea tribunalia iis iudicibus privari experiemur, qui, timore Dei repleti, pie et iuste iudicant ».

S. C. reposuit: *Ad quintum et sextum*: Quoad iudices, recurrat in casibus particularibus. Quoad advocatos, dentur responsa iam data Episcopo Southwarcensi, nempe: feria III, loco IV, die 22 maii 1860 ad dubium: *Utrum advocatus catholicus possit defendere causas partis conventae contra actorem vinculi solutionem exquirentem?* Responsum fuit: *Dummodo Episcopo constet de probitate advocati, et dummodo advocatus nihil agat, quod a principiis iuris naturalis et ecclesiastici deflectat, posse tolerari.* Et ad aliud dubium: *Utrum liceat advocati...* (vide n. 1237).

1313. In Galliis, post latam divortii civilis legem, plures Episcopi dubia proposuerunt eidem S. C.: quae eisdem reposuit per decretum diei 25 iunii 1885, quod retulimus cit. n. 1237. Dubitandum non est sensum huius decreti esse illum quem, l. c., indicavimus, scilicet tolerari posse ut causae matrimoniales, ad forum ecclesiasticum per se pertinentes, pertractentur in Gallia a tribunalibus laicalibus, quin iudices et advocati officio cedere teneantur; nam sine hac Ecclesiae tolerantia partes non possent tribunal laicale in causa matrimoniali adire, et iudex, procurator et advocatus deberent officium dimittere, potiusquam causam acceptare, etiamsi sententia futura esset contraria petitioni divortii, prouti explicavimus cit. n. 1237. Notandae autem sunt conditiones vel restrictiones, quibus haec tolerantia conceditur: *Dummodo catholicam doctrinam de matrimonio, deque causis matrimonialibus ad solos iudices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur, ut numquam proferant sententiam, neque ad proferendam defendant, vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico iuri repugnantem...*

1314. Relatum decretum S. C. S. Officii plures in Gallia male intellexerunt de tolerantia ipsius sententiae divortii. Hinc, cum nonnulli Episcopi aliqua dubia eidem S. C. proposuissent, sequens prodiit decretum:

« A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et U. Inquis. proposita sunt:

« In epistola S. R. et U. Inquis., 25 iunii 1885, ad omnes in Gallica ditione Ordinarios circa civilis divortii legem ita decernitur: *Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adiunctis, tolerari posse, ut qui magistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur.* Conditiones adiecit, quarum secunda haec est: *Dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur, ut numquam proferant sententiam, neque ad proferendam defendant, vel ad eam provocent, vel excitent divino aut ecclesiastico iuri repugnantem.*

« Quaeritur:

« 1º An recta sit interpretatio, per Gallias diffusa ac etiam typis data, iuxta quam satisfacit conditioni praecitatae iudex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti omnino abstrahit, et, applicans legem civilem, pronunciat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico iuri non repugnans?

« 2º Postquam iudex pronuntiavit locum esse divortio, an possit syndicus (gallice *le maire*), et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia?[1]

« 3º Pronuntiato divortio, an possit idem syndicus coniugem, ad alias nuptias transire attentantem, civiliter cum alio iungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars?

« Feria V, loco IV, die 27 maii 1886.

« In Congr. Gen. S. R. et U. Inquis., habita coram EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus,

[1] Tempore propositi dubii non iudex, sed syndicus pronuntiabat divortium in Gallia, licet tempore responsionis procedura immutata fuisset (n. 1306).

propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito voto DD. Consultorum, iidem EE. ac RR. DD. rescribi mandarunt: *Ad primum, secundum, et tertium dubium negative.*

« Eadem feria ac die, facta de his Ssmo D. N. Leoni Papae XIII relatione, S. S. resolutiones EE. PP. approbavit et confirmavit ».

1315. Haec responsio rigidae opinioni aperte favere videtur. Patroni opinionis benignae variis explicationibus sese extricare conantur, inter quas sequens est, conformis argumento intrinseco supra exposito. S. C. hoc decreto declarat sententiam iudicis, etiam abstrahentis a matrimonio religioso, in Galliis esse contrariam iuri divino aut ecclesiastico; quod verum est, cum, non obstante hac sua abstractione, privet matrimonium religiosum effectibus civilibus iure divino ipsi competentibus. At hic effectus contrarius iuri divino sequitur indirecte tantum, licet necessario, cum sententia divortii civilis directe sit solutio matrimonii civilis, a religioso distincti et separati; atqui, ut supra explicatum est, actio per se indifferens poni ex iusta causa potest, etsi indirecte sequatur effectus malus contrarius iuri divino. DD. videant quanti facienda sit haec explicatio.

1316. Citatum decretum S. C. S. Officii etiam ephemerides liberales in Belgio publicaverunt; et, illud intelligentes in sensu intrinsecae illiceitatis, ita ratiocinabantur: Eadem est legislatio in Belgio et in Galliis quoad divortium: proinde, sicuti in Galliis, ita et in Belgio iudices catholici nequeunt hanc sententiam pronuntiare; et ideo catholici nequeunt iudicis officium assumere, et qui illo potiti sunt, debent eidem cedere. His ad praxim deductis, actum fuisset de gubernio catholico in Belgio non solum in praesentiarum, sed et in futurum; proinde rursus abruptae relationes diplomaticae inter S. Sedem et Belgium, etc. Ephemerides catholicae in difficili hac quaestione doctrinali haerebant, et argumentationem ephemeridum liberalium non solvebant. Gubernium petiit a Nuntio Apostolico quid respondendum deputatis liberalibus hac de re interpellaturis. Nuntius consuluit Romanum Pontificem, qui, re ad examen revocata, respondendum iussit,

prouti constat ex epistola Nuntii Apostolici ad Ministrum Negotiorum Exterorum in Belgio, data die 14 sept. 1886 « ...que le décret du 27 mai ne concerne pas la Belgique et que, par conséquent, rien n'est modifié en ce pays en ce qui touche la matière du divorce ». Hoc modo tempestas pacata fuit.

1317. Ex hac responsione patet iudices catholicos in Belgio non obligari officio cedere ob generale periculum causarum divortii; et iuvenes posse officium iudicis suscipere, non obstante iuramento ferendi sententias ad normam legum, quod intelligitur de legibus non contrariis iuri divino vel ecclesiastico. Huc etiam spectat responsio S. C. S. Officii diei 26 iulii 1887 pro Galliis. Episcopus N. exponebat catholicum magistratum nominatum fuisse praesidem tribunalis civilis, sed paratum esse officio cedere, si sententiam divortii civilis in conscientia ferre non posset, quia in praxi haud semper possibile est vel partem actricem a sua petitione deterrere, vel eius petitionem reiicere contra apertam legis dispositionem; et, praemissis duabus quaestionibus doctrinalibus circa divortium, Episcopus quaerebat: « 3º An onus dignitatemque praesidis tribunalis civilis possit acceptare, cum perspectum habeat quod inde erit constitutus *in strictiori necessitate ferendi saepius sententiam divortii* ». S. C., silentio premens duas quaestiones doctrinales, ad casum practicum reposuit: « Excitandum summopere ab Amplitudine Tua iudicem, de quo agitur, ut in officio perseveret, stando restrictionibus iam datis a S. Sede, et adhibitis cautelis, quae a virtute prudentiae suadentur ».

1318. Sed relata responsio significatne decretum die 27 maii Belgium *nullo pacto* afficere, ita ut exinde deduci nequeat sententiam iudicis in Belgio, similem sententiae in Galliis, malam esse? Si ita esset, sequeretur decretum diei 27 maii non tradere intrinsecam malitiam sententiae iudicis in Galliis, quia responsio, ius divinum declarans, uni data, omnes afficit; et ita rigida sententia praecipuo argumento destitueretur, et grave vulnus accepisset. Patroni huius sententiae rem ita explicant. S. C. S. Officii, ad gravissimas consequentias, de quibus supra, evitandas, hoc responsum dedit, respiciens factum tantum et non ius; idest *le décret du 27 mai ne concerne*

pas la Belgique, quatenus de facto datum fuit Episcopis Galliarum: *et par conséquent rien n'est modifié, en ce pays, en ce qui touche la matière du divorce*, quod non significat sententiam iudicis in Belgio licitam esse.

1319. Ulterius S. Poenitentiariae propositum fuit sequens dubium: « Mulier, vi sententiae separata a marito quoad torum, vellet ad vitam sustentandam quoddam publicum munus suscipere (*un bureau de tabac*); sed gubernium id non sinit, nisi petat divortium.[1] Ipsa petere vellet, sed, in sua intentione, semper salvo ligamine. Parochus, qui est et illius confessarius, petit num admitti possit ad Sacramenta, et lumen seu consilium circa reliqua, et infra ».

S. Poenitentiaria reposuit, die 5 ian. 1887: « Mulieri poenitenti in casu nihil aliud esse consulendum, nisi ut a petendo divortio sub gravi se abstineat ».

1320. Eidem S. Poenitentiariae expositum fuit:

« Iudex quidam Gallus, olim theologiae cultor, confessarium adiit, variisque peccatis mortalibus declaratis, subiungit: « De sententiis a me latis in materia divortii civilis nihil est quod dicam, Pater. Soleo enim divortium civile declarare, quotiescumque adsunt motiva gravissima sive ex parte mea, sive ex parte eorum qui ad me causam deduxerunt ». « Prave actum, reponit sacerdos, neque declarationem legisti qua nuper (27 maii 1886) Cong. Gen. S. R. et U. Inquis. iudices ita agere vetuit? » — « Imo hanc plane novi, Pater, neque tamen peccasse existimo propter sequentes rationes: 1° Novisti et tu, Pater, responsum nomine Summi Pontificis Gubernio Belgii recentius datum a Nuntio Apostolico. Porro actus in Belgio toleratus, et in Gallia tolerari potest, recurrentibus eisdem circumstantiis, nisi certo afferatur prohibitio positiva Summi Pontificis, quae per simplicem approbationem decreti S. Officii minime constituitur. 2° Non concordant theologi circa huiusmodi decisionum valorem. 3° Denique, et hoc est rei praecipuus cardo, in propositione ex vario capite iustissime damnata

[1] Forte quia mulier, corporis tantum separatione a viro seiuncta, indiget auctorizatione mariti ad contractus ineundos.

COLLEGE LIBRARY

(27 maii 1886) ne unum quidem verbum legitur *de gravissimis rationibus*, quae sive ex parte iudicis sive ex parte postulantium occurrere poterunt. Cum igitur opinionibus vere probabilibus liceat uti, et rite dispositus, ut confido, peccata mortalia tibi declaraverim, humilis te rogo, Pater, absolutionem mihi impertiri velis, ad quam ex omnium doctrina ius habeo.

« Confessarius adlaborat ut poenitentem inducat ad deponendam talem sententiam, sed frustra. Aliunde, rationibus quas protulit iudex, motus, non audet sententiam suam illi imponere, et poenitentem absolutum in pace dimittit.

« Quaeritur utrum confessarius recte egerit? An absolutionem denegare debuisset? »

S. Poenitentiaria reposuit, die 4 apr. 1887: « Confessarius teneri, circa quaestionem propositam, iudices dirigere iuxta recentes declarationes a S. Sede editas ».

Porro eae recentes declarationes a S. Sede editae videntur esse et responsio S. Poenitentiariae diei 5 ian. 1887, et responsio S. C. Inquis. diei 25 iun. 1885 et 27 maii 1888.

1321. Ulterius eidem S. Poenitentiariae Episcopus Lucionensis exposuit:

« N... Lucionensis, *cuius matrimonium validum fuit coram Ecclesia*, divortium postulavit, iuxta nefandam legem quae nunc viget in Gallia, iamque iudices civiles pronuntiarunt locum esse divortio. Coniux N..., ut fert art. 264 legis praedictae, mox se sistet cum alio coniuge coram syndico, ut ille pronuntiet divortium. Si autem syndicus pronuntiare recusaverit, absque dubio magistratu spoliabitur; quod valde periculosum erit rei catholicae, cuius strenuum defensorem syndicus ille se semper probat.

« Quaeritur an propter gravissimas circumstantias rerum, temporum ac locorum ille syndicus possit pronuntiare divortium civile, modo:

« 1° Catholicam doctrinam de matrimonio, deque causis matrimonialibus ad solos iudices ecclesiasticos pertinentibus, palam profiteatur;

« 2° In ipsa sententia, at tamquam magistratus loquens, publice declaret se solos effectus civiles, solumque civilem

contractum abrumpere velle, aliunde vinculum matrimonii omnino firmum remanere coram Deo et conscientia ».

S. Poenitentiaria, die 23 sept. 1887, reposuit: « ... eumdem (Episcopum Lucionensem) in hoc casu particulari, si inspectis omnibus eius adiunctis ita in Domino expedire iudicaverit, tolerare posse ut syndicus orator ad actum, de quo in precibus, procedat cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut loco verborum: *solumque civilem contractum abrumpere velle*, ponat: *solumque civilem contractum spectare posse* ».[1]

1322. Publicato hoc Sacrae Poenitentiariae rescripto, Episcopus Massiliensis statim eidem Sacrae Poenitentiariae exposuit, ut infra:

« Repetitis licet vicibus S. Sedis oraculum quid sentiendum sit declaraverit de actu civilis iudicis, divortii sententiam inter coniuges ferentis legitimo matrimonio coram Ecclesia inito coniunctos, theologorum in Galliis imo et Episcoporum unus in interpretandis S. C. decretis non est sensus. Maior etiam animorum confusio facta est, ex quo publicae ephemerides S. Poenitentiariae responsum evulgarunt, die 24 sept. 1887, Episcopo Ordinario Lucionensi datum, nimirum: syndicum in casu, praemissis utique debitis declarationibus, divortium pronuntiare, tolerari posse; quod responsum in periodico, *Le canoniste contemporain*, scriptor aliquis ita interpretatus est ac si decreto aequivaleret permittendi generatim syndico, ut, praemissis debitis declarationibus, divortium in casu simili pronuntiet. Et aliunde ex quo idem responsum publici iuris factum est, magis magisque invaluit opinio actum iudicis, divortii sententiam ferentis, atque syndici illud pronuntiantis, dummodo praemittantur praescriptae declarationes, non esse iuri divino contrarium, nec proinde malum intrinsecum.

[1] Nimirum *N.* sententiam divortii civilis a iudice obtinuerat. Syndicus, optimus fervensque catholicus, timens ne *N.*, post iudicis sententiam, sisteret coram se divortium petiturus, consuluit parochum; parochus Episcopum; Episcopus S. Poenitentiariam, quae reposuit, ut supra. Syndicus, hoc non obstante responso, si *N.* divortium a se petiisset, officio cedere malebat. Sed *N.* divortium a Syndico, qui a lege diei 18 apr. 1886 illud non amplius pronuntiat, minime expostulavit, sed per cursorem requisivit relationem latae sententiae in acta status civilis.

« Quapropter praedictus orator, utpote quia huc usque oppositam sententiam, ex decretis S. R. et U. Inquis, hac de re latis, tamquam unice veram tenebat et docebat, supplex, ut propriae in obeundo episcopali suo munere conscientiae consulat, responsum super duplici sequenti dubio expostulat:

« 1° Utrum ex memorato S. Poenitentiariae ad Episcopum Ordinarium Lucionensem rescripto deducere liceat, universim syndicos in Gallia, qui secus officio suo cedere cogerentur, praemissis debitis declarationibus, divortium inter coniuges in facie Ecclesiae ligatos tuta conscientia pronuntiare posse?[1]

« 2° Utrum idem dici valeat de iudice civili inter similes coniuges et sub iisdem declarationibus divortii sententiam ferente? ».

S. Poenitentiaria, die 4 iunii 1890, reposuit:

« Ad 1um: S. Poenitentiariam in rescripto, de quo agitur, edendo id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro eius circumstantiis et exigentiis provideret.

« Ad 2um negative ».

1323. Iam vero ex rescriptis S. Poenitentiariae, pro casu particulari datis, in genere nulla regula practica pro aliis casibus particularibus deduci potest, quia nos ignoramus circumstantias particulares, fortasse in instantia non expressas, propter quas rescriptum datum fuit. At in casu nostro, cum certum omnino sit inter circumstantias propter quas rescriptum Lucionense datum fuit, non esse circumstantiam absentiae matrimonii religiosi, fatendum est hoc rescriptum non modicam facessere difficultatem contra rigidam opinionem, et difficile conciliari cum responso ad 2um S. C. S. Officii diei 27 maii 1886 (n. 1314). Nam exinde sequitur vinculum religiosum exsistens non impedire, quominus *in aliquibus circumstantiis* (illis scilicet rescripti Lucionensis, quas nos forte ignoramus) tolerari possit ut syndicus, cum illis restrictionibus, sententiam divortii ferat iuxta antiquam proceduram, qua potiores partes syndico erant (n. 1306). Explicationes, a rigidae sententiae patronis usque modo datae, solidae minime videntur.

[1] Hoc dubium amplius practicum non est (n. 1306).

1324. At, quidquid sit de anteactis temporibus, quando nos ipsi in rigidam opinionem inclinabamur, cui S. C. S. Officii, quae in his quaestionibus suprema est, favere videbatur, hodie S. Officium mitiorem sententiam sequi videtur. Proposito enim dubio in casu particulari: « Num permitti possit ut mulier ob gravissimas causas petat divortium a tribunali civili », eadem S. Congregatio, die 6 aug. 1906, respondendum censuit: « Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, permitti posse, dummodo mulier oratrix coram Ordinario vel eius delegato ac duobus testibus etiam iureiurando declaret se matrimoniale vinculum nullatenus abrumpere, sed tantummodo a civilis ritus oneribus exsolvi velle; remoto scandalo quo meliori modo iudicio Episcopi fieri poterit ». Quam normam S. Poenitentiaria in sua posteriori praxi recepit.

1325. Sequitur inde quoties licite huiusmodi divortium peti potest, toties licitum esse et iudici ferre sententiam et procuratori ac advocato divortii causam sustinere etiam voluntarie et ob lucrum.

1326. In praxi autem, Episcopus, prae oculis habens decreta et responsa huc usque data, in difficilioribus casibus particularibus consulat aut S. Officium aut S. Poenitentiariam.

ALLEGATA

ALLEGATUM I

EPISTOLA ENCYCLICA SSM̃I D. N. LEONIS PP. XIII

DE MATRIMONIO CHRISTIANO.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Arcanum divinae sapientiae consilium, quod Salvator hominum Iesus Christus in terris erat perfecturus, eo spectavit, ut mundum, quasi vetustate senescentem, Ipse per se et in se divinitus instauraret. Quod splendida et grandi sententia complexus est et Paulus Apostolus, cum ad Ephesios ita scriberet: *Sacramentum voluntatis suae... instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt.*[1] — Revera cum Christus Dominus mandatum facere instituit quod dederat illi Pater, continuo novam quamdam formam ac speciem rebus omnibus impertiit, vetustate depulsa. Quae enim vulnera piaculum primi parentis humanae naturae imposuerat, Ipse sanavit: homines universos, natura filios irae, in gratiam cum Deo restituit; diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen traduxit; omni impuritate confectos ad omnem virtutem innovavit; redonatisque hereditati beatitudinis sempiternae spem certam fecit, ipsum eorum corpus, mortale et caducum, immortalitatis et gloriae caelestis particeps aliquando futurum. Quo vero tam singularia beneficia, quamdiu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicarium muneris sui, eamque iussit, in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare; si quid collapsum, restituere.

Quamquam vero divina haec instauratio, quam diximus, praecipue et directo homines attigit in ordine gratiae supernaturali

[1] *Ad Eph.*, I, 9-10.

constitutos, tamen praetiosi ac salutares eiusdem fructus in ordinem quoque naturalem largiter permanarunt; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, Christiano rerum ordine semel condito, hominibus singulis feliciter contigit, uti ediscerent atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quae non confundit, caelestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, aequabilitas pacati animi, plures denique praeclarae virtutes et egregia facta consequuntur. — Societati vero domesticae et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Aequior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium coniunctio; tutiora iura dominii. Omnino rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles, religio Christiana consuluit et providit; ita quidem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata.

Verum de hoc genere toto non est Nobis propositum modo singula enumerare; volumus autem de convictu domestico eloqui, cuius est in ***matrimonio*** principium et fundamentum.

Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quae vera sit matrimonii origo. — Quamvis enim fidei Christianae vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et memoriam omnium gentium, omnium saeculorum delere iamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec extinguere nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus: posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, sociam illi voluit adiungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par coniugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus, et, numquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas praesetulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. — Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Iesu Christi auctoritate; qui Iudaeis et Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. *Adhaerebit* (homo) ***uxori***

suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. [1]

Verum haec coniugii forma, tam excellens atque praestans, sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos coepit; et penes ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari atque obscurari visa. — Nam apud hos de uxoribus susceperat consuetudo communis, ut singulis viris habere plus una liceret; post autem, cum *ad duritiam cordis* [2] eorum indulgenter permisisset Moyses repudiorum potestatem, ad divortium factus est aditus. — In societate vero ethnicorum vix credibile videatur, quantam corruptelam et demutationem nuptiae contraxerint, quippe quae obiectae fluctibus essent errorum uniuscuiusque populi et cupiditatum turpissimarum. Cunctae plus minus gentes dediscere notionem germanamque originem matrimonii visae sunt; eamque ob caussam de coniugiis passim ferebantur leges, quae esse e republica viderentur, non quas natura postularet. Sollemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicae caveretur, quibus esset permissum inire nuptias, et quibus non esset, multum legibus contra aequitatem contendentibus, multum pro iniuria. Praeterea polygamia, polyandria, divortium caussae fuerunt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere relaxaretur. Summa quoque in mutuis coniugum iuribus et officiis perturbatio exstitit, cum vir dominium uxoris acquireret, eamque suas sibi res habere, nulla saepe iusta caussa, iuberet; sibi vero ad effrenatam et indomitam libidinem praecipiti impune liceret *excurrere per lupanaria et ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas.* [3] Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem deiecta ut instrumentum pene haberetur ad explendam libidinem, vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium emi vendi, in rerum corporearum similitudinem, [4] data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam ortam connubiis necesse erat aut in bonis reipublicae esse, aut in mancipio patrifamilias, [5] cui leges hoc quoque posse dederant, non modo liberorum conficere et dirimere arbitratu suo nuptias, verum etiam in eosdem exercere vitae necisque immanem potestatem.

---

[1] Matth., XIX, 5 6.
[2] Matth., XIX, 8.
[3] Hieronym., *Oper.*, tom. I, col. 455.
[4] Arnob., *Adv. Gent.*, 4.
[5] Dionys. Halicar., lib. II, c. 26, 27.

Sed tot vitiis, tantisque ignominiis, quibus erant inquinata coniugia, sublevatio tamdem et medicina divinitus quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanae legumque mosaicarum perfector Iesus Christus non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galilaeae Ipse praesentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles;[1] quibus caussis vel ex eo die in hominum coniugia novae cuiusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo coniunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, haec de coniugibus sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.*[2]

Verum quae auctoritate Dei de coniugiis decreta et constituta sunt, ea nuncii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriae litterisque prodiderunt. Iamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae *sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt*,[3] nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium; simulque effecisse ut coniuges, caelesti gratia, quam merita eius pepererunt, septi ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur; atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse,[4] et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vinculo validius coniunxisse. *Viri*, Paulus inquit ad Ephesios, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua... nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*[5] — Similiter Apostolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuamque firmitatem, quae ab ipsa requirebatur nuptiarum

---

[1] Ioan., II.
[2] Matth., XIX, 9.
[3] Conc. Trid., sess. XXIV, in pr.
[4] Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 1, *de reform. matr.*
[5] *Ad Ephes.*, V, 25 et seqq.

origine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum iussisse. *Iis qui matrimonio iuncti sunt*, idem Paulus ait, *praecipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* [1] Et rursus: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est* [2] — Hisce igitur caussis matrimonium exstitit *sacramentum magnum*, [3] *honorabile in omnibus*, [4] pium, castum, rerum altissimum imagine et significatione verendum.

Neque iis dumtaxat, quae commemorata sunt, Christiana eius perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset: ea enim spectare iussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives Sanctorum et domesticos Dei*; [5] *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur.* [6] — Secundo loco sua utrique coniugum sunt officia definita, sua iura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, sollers assiduumque praesidium alteri alterum debere intelligant. — Vir est familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae... Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* [7] — Ab liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est: *Patres... educate illos* (filios) *in disciplina et correptione Domini.* [8] Ex quo intelligitur, nec pauca esse coniugum officia, neque levia; ea tamen coniugibus bonis, ob virtutem quae Sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam iucunda.

---

[1] *I Cor.*, VII, 10-11.
[2] Ibid., V, 39.
[3] *Ad Ephes.*, V, 32.
[4] *Ad Hebr.*, XIII, 4.
[5] *Ad Ephes.*, II, 19.
[6] *Catech. Rom.*, cap. VII.
[7] *Ad Eph.*, V, 23-24.
[8] Ibid., VI, 4.

Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in coniugia Christianorum omni cum tempore. tum loco exercuit, atque ita exercuit. ut illam propriam eius esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. — Quot vero et quam vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum collocarit ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut demonstrari debeat. — Et sane improbatos novimus, Concilii Hierosolymitani sententia, amores solutos et liberos;[1] civem Corinthium incesti damnatum beati Pauli auctoritate;[2] propulsatos ac reiectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium Christianum hostiliter petentium, videlicet Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum sub ipsa rei Christianae primordia; nostra autem memoria Mormonum, Sansimonianorum, Phalansterianorum, Communistarum. — Simili modo ius matrimonii aequabile inter omnes atque unum est constitutum, vetere inter servos et ingenuos sublato discrimine;[3] exaequata viri ut uxoris iura; etenim, ut aiebat Hieronymus,[4] *apud nos quod non licet foeminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur*: atque illa eadem iura ob remunerationem benevolentiae et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata; adserta et vindicata mulierum dignitas; vetitum viro poenam capitis de adultera sumere,[5] iuratamque fidem libidinose atque impudice violare. — Atque illud etiam magnum est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus coniugii cupidis quidquam de iusta libertate minueretur;[6] quod nuptias inter cognatos et affines certis gradibus nullas esse posse decreverit,[7] ut nimirum supernaturalis coniugum amor latiore se campo diffunderet; quod errorem et vim et fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit;[8] quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum,[9] quod coniugiorum decus,[10] quod religionis incolumitatem[11] sarta tecta esse voluerit.

---

[1] *Act.*, XV, 29.

[2] *I Cor.*, V, 6.

[3] Cap. 1, *de coniug. serv.*

[4] *Oper.*, tom. I, col. 455.

[5] Can. *Interfectores*, et can. *Admonere*, quaest. 2.

[6] Cap. 30, quaest. 3, cap. 3, *de cognat. spirit.*

[7] Cap. 8, *de consang. et affin.*, cap. 1, *de cognat. legali.*

[8] Cap. 26, *de sponsal.*; capp. 13, 15, 29, *de sponsal. et matrim.*, et alibi.

[9] Cap. 1, *de conversione infid.*; capp. 5 et 6, *de eo qui duxit in matr.*

[10] Capp. 3, 5 et 8, *de sponsal. et matr.*; Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 3, *de reform. matr.*

[11] Cap. 7, *de divort.*

Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum aequus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite, quod ad coniugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam; cuius sapientia et fugam temporum, et iniurias hominum, et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit.

Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt qui, sicut cetera redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt. — Flagitium nonnullorum veterum est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum parte; sed multo aetate nostra peccant perniciosius qui earum naturam, perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus, malunt funditus pervertere. Atque huius rei caussa in eo praecipue sita est, quod imbuti falsae philosophiae opinionibus corruptaque consuetudine animi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam subesse et parere; acerrimeque laborant, ut non modo singuli homines, sed etiam familiae atque omnis humana societas imperium Dei superbe contemnant. — Cum vero et familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum iurisdictioni Ecclesiae subesse nullo modo patiuntur; imo deiicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quae auctoribus hominibus institutae sunt, et iure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicae ius in connubia omne tribuerunt, nullum Ecclesiae esse decernerent; quae si quando potestatem eius generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut iniuria factum. Sed iam tempus esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem sua iura fortiter vindicent, atque omnem coniugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata, quae *matrimonia civilia* vulgo appellantur; hinc scitae leges de caussis, quae coniugiis impedimento sint; hinc iudiciales sententiae de contractibus coniugalibus, iure ne initi fuerint, an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere iuris constituendi et dicundi videmus Ecclesiae catholicae praereptam tanto studio, ut nulla iam ratio habeatur nec divinae potestatis eius, nec providarum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum Christiana sapientia pervenisset.

Attamen *Naturalistae* iique omnes, qui reipublicae numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quo-

circa Innocentius III[1] et Honorius III[2] decessores Nostri, non iniuria nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles exsistere Sacramentum coniugii*. Testantur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae. Hanc ob caussam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. — Ita magnam in animis caelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. — Deinde considerandа Sacramenti dignitas est, cuius accessione matrimonia Christianorum evasere longe nobilissima. De Sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. — Postremo magnum pondus est, magna vis historiae, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et iudicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Iudaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligola, Nerone! Neque illud unquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine coniugii,[3] de nuptiis servos inter et ingenuas,[4] tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini Christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et caede religionem Christi opprimere adolescentem: praesertim cum ius illud ab Ecclesia profectum a civili iure interdum adeo dissideret, ut Ignatius Martyr,[5] Iustinus,[6] Athena-

[1] Cap. 8, *de divort.*
[2] Cap. 11, *de transact.*
[3] Can. Apost., 16, 17, 18.
[4] Philosophum. Oxon., 1851.
[5] *Epist. ad Polycarp.*, cap. 5.
[6] *Apolog. mai.*, n. 15.

goras[1] et Tertullianus,[2] tamquam iniustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant. Postea vero quam ad Christianos Imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et Episcopi in Concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque iuris sui, de matrimoniis iubere vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in Conciliis Illiberitano,[3] Arelatensi,[4] Chalcedonensi,[5] Milevitano II[6] aliisque, fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis iure imperatorio sancitis longe saepe distarent. — Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia Christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus[7] fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis, si quid per edicta sanxerunt, caussam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate;[8] cuius ipsius iudicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium,[9] de divortiis,[10] denique de rebus cum coniugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus.[11] — Igitur iure optimo in Concilio Tridentino definitum est in Ecclesiae potestate esse *impedimenta matrimonium dirimentia constituere,*[12] *et caussas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare.*[13]

Ne quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a Sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis Sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio,

---

[1] Legat. pro Christian., nn. 32, 33.
[2] *De coron. milit.*, cap. 13.
[3] De Aguirre, *Conc. Hispan.*, tom. I, cann. 13, 15, 16, 17.
[4] Harduin, *Act. Concil.*, tom. I, can. 11.
[5] Ibid., can. 16.
[6] Ibid., can. 17.
[7] Novel., 137.
[8] Feier, *Matrim. ex instit. Christ.*, Pest. 1835,
[9] Cap. 3, *de ordin. cognit.*
[10] Cap. 4, *de divort.*
[11] Cap. 13, *qui filii sint legit.*
[12] Conc. Trid., sess. XXIV, can. 4.
[13] Ibid., can. 12.

probari; cum exploratum sit in matrimonio Christiano contractum a Sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso Sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. — Huc accedit, quod ob hanc caussam matrimonium est Sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter Christianos iustum coniugium in se et per se esse Sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse Sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia Christianorum ad Principes reipublicae esse iure traductam. Quod si hac in re alienum violatum ius est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum.

Utinam vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et iniustitiae, ita non etiam essent fecunda detrimentorum et calamitatum. Sed facile est pervidere quantam profanata coniugia perniciem attulerint; quantam allatura sint universae hominum communitati. — Principio quidem lex est provisa divinitus, ut quae Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo manent integra atque incommutabilia; quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim iuvandi mutatione amiserint, vel quod tales Deus ipse poenas malit de mortalium superbia atque audacia sumere. Iamvero qui sacrum esse matrimonium negant, atque omni despoliatum sanctitate in rerum profanarum coniiciunt genus, ii pervertunt fundamenta naturae, et divinae providentiae tum consiliis repugnant, tum instituta, quantum potest, demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet, ex huiusmodi conatibus insanis atque impiis eam generari malorum segetem, qua nihil est saluti animorum, incolumitatique reipublicae perniciosius.

Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utili-

tatis et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane, praeter quam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam coniugum beatioremque efficiant; idque pluribus caussis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adiumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia caelesti quae a Sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem: nam matrimonia quamdiu sint congruentia naturae, Deique consiliis apte conveniant, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem, proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab eiusmodi autem coniugiis expectare civitates iure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse ducant iuste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, laedere neminem.

Hos fructus tantos ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiae, quae illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex. — Sed quia modo passim libuit humanum ius in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum coepit matrimonii species ac notio praestantissima, quam in animis hominum impresserat et quasi consignaverat natura; sed in ipsis etiam Christianorum coniugiis, hominum vitio, multum vis illa debilitata est magnorum bonorum procreatrix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere Christiana religio iubetur, quae parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omne generosi animi atque excelsi? Illa igitur semota ac reiecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosae hominum naturae et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, quae nusquam alibi est quam in religione Christiana maior, persaepe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur; et liberari nimis multi vinculum velint, quod iure humano et sponte nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliaeve caussae liberari suadeant oportere. Et si forte satis fieri procacitati voluntatem lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum iure civium liberorum pugnan-

tes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem iuris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum concedenda facultas. — Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, exeunte saeculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse coniugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate coniunctionis humanae; stulte putantes extremum grassanti morum corruptelae remedium ab eiusmodi legibus esse quaerendum.

At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim caussa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. — Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans.

Haec certe sunt omnia per se clara; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. - Simul ac iter divortiis tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere; et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti poenituerit; qui nisi contraria lege remedium mature quaesissent, timendum erat, ne praeceps in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. - Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, moderator cupiditatis

pudor interire, fidesque nuptialis tanta cum licentia violari coepit, ut magnam veri similitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum enumerare annos consuevisse. - Pari modo apud Protestantes principio quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret certis de caussis, iisque non sane multis: istas tamen, propter rerum similium affinitatem, compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem, atque intolerandam legum temeritatem. — Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis: in quibus si quando datus est coniugiorum discidiis locus, incommodorum, quae consecuta sunt, multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per saevitiam adhibitam, per iniurias, per adulteria fingere caussas ad illud impune dissolvendum, cuius pertaesum esset, coniunctionis maritalis vinculum: idque cum tanto publicae honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes iudicaverint oportere. — Et quisquam dubitabit, quin exitus aeque miseros et calamitosos habiturae sint leges divortiorum fautrices, sicubi forte in usum aetate nostra revocentur? Non est profecto in hominum commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint: quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem impune perverti posse putant; et, qualibet sanctitate cum religionis tum Sacramenti posthabita, diffingere ac deformare coniugia turpius velle videntur, quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideoque nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae et societas humana debebunt, ne miserrime coniiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est Socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus iamdiu propositum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis expectare, quae potius in certam societatis perniciem sunt evasura.

Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati coniugiorum tuendae semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum iam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit;[1] quod haeresim deterrimam Pro-

[1] Pius VI, Epist. ad Episc. Lucion., 28 maii 1793; Pius VII, Litt. enc.: die 17 febr. 1809, et Const. dat. die 19 iulii 1817; Pius VIII, Litt. enc.: die 29 maii 1829; Gregorius XVI, Const. dat. die 15 aug. 1832; Pius IX, alloc. habit. die 22 sept. 1852.

testantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit;[1] quod usitatam Graecis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit;[2] quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur;[3] quod demum vel a prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae divortiis et repudiis perniciose favissent.[4] — Pontifices vero maximi quoties restiterunt Principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitate gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Caelestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII: denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.

Quae cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiae adiumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in falsam atque iniquam violati iuris civilis insimulationem.

Eoque magis, quod Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione iuris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus, quae cum incolumitate iurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimoniis statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum; nec semel suarum ipsa legum praescripta, quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret, caussae iustae et graves impulerunt. — Item non ipsa ignorat neque diffitetur, Sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur; de quibus rebus iure decernunt et cognoscunt qui rei publicae praesunt.

---

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, cann. 5 et 7.

[2] Conc. Florent., et Instr. Eug. IV ad Armenos; Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*. 6 maii 1742.

[3] Cap. 7, *de condit. appos.*

[4] Hieron., *Epist. 79 ad Ocean.*; Ambros., lib. VIII, in cap. 16 Lucae, n. 5; August., *De nuptiis*, cap. 10.

Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt coelestia concredita. Huiusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. Etenim sicut hominum intelligentia, quemadmodum in superioribus encyclicis litteris ostendimus, si cum fide Christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, numquam erit non iustum imperium; alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

Nos igitur, harum rerum consideratione permoti, cum studiose alias, tum vehementer in praesenti viros Principes in concordiam atque amicitiam iungendam iterum hortamur; iisdemque paterna cum benevolentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato supremae potestatis Nostrae auxilio, quod tanto magis est hoc tempore necessarium, quanto ius imperandi plus est in opinione hominum, quasi accepto vulnere, debilitatum. Incensis iam procaci libertate animis, et omne imperii, vel maxime legitimi, iugum nefario ausu detrectantibus, salus publica postulat, ut vires utriusque potestatis consocientur ad prohibenda damna, quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam civili societati impendent.

Sed cum amicam voluntatum coniunctionem valde suademus, precamurque Deum, principem pacis, ut amorem concordiae in animos cunctorum hominum iniiciat, tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin Vestram industriam, Venerabiles Fratres, Vestrum studium ac vigilantiam, quae in Vobis summa esse intelligimus, magis ac magis hortando incitemus. Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei Vestrae commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur, quam Christus Dominus et caelestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus servari per omnes aetates iussit.

Praecipuas curas in id insumite, et populi abundent praeceptis sapientiae Christianae, semperque memoria teneant matrimonium

non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus ut sit unius ad unam; Christum vero novi foederis auctorem illud ipsum ex officio naturae in Sacramento transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et iudicialem Ecclesiae suae adtribuisse potestatem. Quo in genere cavendum magnopere est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui eiusmodi potestatem ademptam Ecclesiae vellent. — Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, iuri civili introductum; iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum caussa, scilicet nuptiale vinculum, exsistat. — Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur. — In tanta autem confusione sententiarum, quae serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum coniugii inter Christianos rati et consummati nullius in potestate esse; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte coniuges, quaecumque demum caussa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint, quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad coniugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda: nec umquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet. — Verum haec extrema sunt; quo facile esset non descendere, si sponsi non cupiditate acti, sed praesumptis cogitatione tum officiis coniugum, tum caussis coniugiorum nobilissimis, ea qua aequum est mente ad matrimonium accederent; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo. Et ut omnia paucis complectamur, tunc matrimonia placidam quietamque constantiam habitura sunt, si coniuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quae forti invictoque animo esse tribuit; qua efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.

Illud etiam cavendum est, ne scilicet coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine; animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera concordes. Quin imo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. — Postremo loco, cum probe intelligamus, alienum esse a caritate Nostra neminem oportere, auctoritati, fidei et pietati Vestrae, Venerabiles Fratres, illos commendamus, valde quidem miseros, qui aestu cupiditatum abrepti, et salutis suae plane immemores contra fas vivunt, haud legitimi matrimonii vinculo coniuncti. In his ad officium revocandis hominibus Vestra sollers industria versetur: et cum per Vos ipsi, tum interposita virorum bonorum opera, modis omnibus contendite, ut sentiant se flagitiose fecisse, agant nequitiae poenitentiam, et ad iustas nuptias ritu catholico ineundas animum inducant.

Haec de matrimonio Christiano documenta ac praecepta, quae per has litteras Nostras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis, non minus ad conservationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere. — Faxit igitur Deus ut quanto plus habent illa momenti et ponderis, tanto dociles promptosque magis ad parendum animos ubique nanciscantur. Huius rei gratia, supplici atque humili prece omnes pariter opem imploremus beatae Mariae Virginis Immaculatae, quae, excitatis mentibus ad obediendum fidei, matrem se et adiutricem hominibus impertiat. Neque minore studio Petrum et Paulum obsecremus, Principes Apostolorum, domitores superstitionis, satores veritatis, ut ab eluvione renascentium errorum humanum genus firmissimo patrocinio tueantur.

Interea caelestium munerum auspicem et singularis benevolentiae Nostrae testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae Vestrae commissis, Apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 10 februarii an. 1880, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII

ALLEGATUM II

LITTERAE ENCYCLICAE SSMI D. N. PII PP. XI

DE CHRISTIANA IUVENTUTIS EDUCATIONE.

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES ITEMQUE AD CHRISTIFIDELES CATHOLICI ORBIS UNIVERSOS.

PIUS PP. XI.

Venerabiles Fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Divini illius Magistri vices in terris gerentes, qui, etsi universam hominum familiam, vel ob commissa immerentium, infinita caritate sua complectebatur, teneriore tamen animo pueros prosecutus est atque in verba illa erupit amoris plena: « Sinite parvulos venire ad me »,[1] Nos quoque ullam, quae Nobis obversaretur, opportunitatem non praetermisimus, ut paternam voluntatem, qua in eos ferimur, data occasione, ostenderemus eo potissimum intendentes animum, ut sedulae iisdem tribuantur curae opportunaque tradantur praecepta, quae ad christianam pertineant iuventutis educationem. Itaque, Divini ipsius Magistri veluti vocem referentes, pluries, admonendo, cohortando, dirigendo, salutaria verba habuimus cum coram iuvenibus eorumque praeceptoribus, tum coram matribus patribusque familias, de iis rebus quae christianam attingunt educationem, ea quidem sollerti cura, quae communem omnium Patrem decet, eaque opportuna vel importuna, quae pastoralis est muneris, sedulitate, secundum illud Apostoli: « Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina »;[2] quod profecto haec nostra postulant tempora quibus nimium saepe dolendum est perspicua ratione rectoque iudicio de rebus etiam maximi ponderis carere multos.

At ipsa nostrae huius aetatis conditio, ipsa quae variis in regionibus scholastica agitatur ac paedagogica controversia, ipsa, quae

[1] Marc., X, 14.
[2] *II Tim.*, IV, 2.

bene multi e vobis, venerabiles fratres, atque e vestratibus, hac de re optata non semel Nobis fidenti animo aperuerunt, itemque Nostra, ut diximus, erga iuventutem actuosa voluntas, Nos impellunt ad causam iterum ac consultius pertractandam, non quasi eius doctrinae eiusque usus amplitudinem paene infinitam velimus funditus perscrutari, at quia praecipua saltem, quibus nititur principia ac rationes, breviter explanare cupimus, et ea omnia, quae inde consequuntur atque ad usum pertinent, in sua luce ponere. Idque habeat iuventus, habeantque omnes qui, pro suo officio, eius praesunt educationi, veluti donum a Nobis singulari prorsus studio monumenti caussa datum, quinquagesimo exeunte anno ex quo sacerdotale munus suscepimus.

Iamvero, nunquam, ut nostris hisce temporibus, de educatione tantopere disceptatum est; quam ob rem plurimi novarum de paedagogia doctrinarum magistri ubique exstant, qui novas de hac re effingunt ac disserendo proponunt rationes ac vias, quibus eam iactant se posse educationem assequi, faciliorem scilicet atque efficaciorem, qua futurae aetatis homines ad optatam in terris felicitatem adipiscendam satius conformentur.

Cuius rei haec caussa est, quod videlicet homines, qui, a Deo creati, eius referunt similitudinem eodemque, perfectissimo bono, aliquando fruituri sunt, ut ex hodierna ipsa terrenarum rerum copia ac progressione facilius animadvertunt non posse bona externa neque privatam afferre neque publicam veri nominis felicitatem, ita, naturae suae ab ipso Creatore insitum, acriorem experiuntur stimulum ad nobiliorem cotidie capiendam perfectioris vitae formam, quam quidem educationis ope potissimum suscipere contendunt. At nonnulli, quasi in nativa verbi significatione nimium insistentes, eiusmodi vitae perfectionem ex ipsa hominum natura expromere enituntur eiusque viribus tantum ad effectum adducere. In quo facile ii quidem errant, quandoquidem non ad Deum, universitatis rerum principium atque finem, oculos animosque intendunt, sed in se ipsos inflectunt, terrenis fluxisque rebus haerentes toti: unde profecto fiet, ut iidem perpetua animorum fluctuatione ac perturbatione fatigentur, usque dum ad Deum, virtutum omnium unam veluti metam, mentem operamque suam convertant, secundum grandem illam Augustini sententiam: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ».[1]

Res igitur maximi momenti est, in iis quae ad educationem attinent non falli, haud aliter quam ab ipso supremo fine non aberrare, ad quem quidem quaelibet educationis opera necessario dirigitur. Etenim, quoniam omnis educandi ratio ad eam spectat

[1] *Confess.*, I, 1.

hominis conformationem, quam is in hac mortali vita adipiscatur oportet, ut destinatum sibi a Creatore finem supremum contingat, liquido patet, ut nulla veri nominis educatio esse potest, quae ad finem ultimum non ordinetur tota, ita, praesenti hoc rerum ordine Dei providentia constituto, postquam scilicet se ipse in Unigenito suo revelavit qui unus « via, veritas et vita » est, plenam perfectamque educationem dari non posse, nisi eam, quae christiana vocatur. Quapropter manifesto apparet, christianam educationem caussam esse sane gravissimam, quod attinet non modo ad singulos homines, sed ad domesticam etiam civilemque consortionem, cuius quidem summa vis atque virtus ex ipsa vi atque virtute eorum profecto oritur ex quibus eadem tamquam elementis constat. Itemque ex hisce principiis, quae adhuc attigimus, dilucidum est quam praestabilis sit, prae ceteris omnibus, christianae educationis opera, quippe quae eo potissimum spectet, ut summi boni, nempe Dei, possessionem adolescentibus educandis comparet, et humanae societati maxima, quoad in terris fieri potest, emolumenta ac commoda pariat. Idque efficaciore prorsus modo ea assequi nititur, quandoquidem homines, eiusmodi inceptum provehentes, ipsi Deo navant operam, ut auctiori civium profectui privatim publice prospiciant; educatores enim iuvenum animos ita effingunt ac movent, ut eorum vitae cursum vel in posterum quodammodo dirigant, divina testante Sapientia: « Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea ».[1] Merito igitur hac de re scripsit S. Ioannes Chrysostomus: « Quid maius quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? »[2]

At nihil profecto christianae educationis amplitudinem dignitatemque, nihil supernaturalem eius praestantiam magis ostendit, quam amantissima illa verba, quibus Christus Dominus, quasi suam pueri gererent personam, asseveravit: « Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit ».[3]

Iamvero ut in hac maximae gravitatis opera non modo errores praecaveantur, sed etiam ut, divina suffragante gratia, ad prosperiorem successum muniatur via, omnino necesse est ut hoc plane exploratum sit, scilicet quid sibi velit christiana educatio quibusque nitatur principiis: id est, ad quem educandi munus pertineat et quisnam educatione indigeat, quae praeterea opus est intercedere rerum adiuncta, ac denique quae sit, ex rerum ordine a providentissimo Deo constituto, propria christianae educationis ratio eiusdemque propositum.

---

[1] *Prov.*, XXII, 6.

[2] *Hom. 60*, in c. 18 Matth.

[3] Marc., IX, 36.

Educandi munus non singulorum hominum, sed necessario societatis est. Tres vero numerantur societates necessariae, inter se distinctae at, Deo volente, congruenter copulatae, quibus quidem homo ab ortu suo adscribitur: harum duae, domestica nempe ac civilis consortio, naturalis ordinis; ac tertia, Ecclesia nimirum, supernaturalis. Primum obtinet locum domesticus convictus, qui, cum ab ipso Deo ad eiusmodi propositum constitutus ac comparatus sit, ut sobolis procreandae educandaeque curam habeat, idcirco natura sua, adeoque iuribus sibi propriis, civili societati antecedit. Nihilo setius familia ideo imperfecta est societas, quia non omnibus iis rebus est praedita, quibus nobilissimum propositum suum perfecte assequatur; civilis autem congregatio, cum omnia in sua facultate sint ad destinatum sibi finem, videlicet ad commune terrestris huius vitae bonum, necessaria, societas est numeris omnibus absoluta ac perfecta; hac igitur de caussa domestico convictui eadem praestat, qui quidem in civili solummodo consortione institutum suum tuto riteque absolvere potest. Tertia denique societas, in qua homines, per baptismatis lavacrum, divinae gratiae vitam ingrediuntur, Ecclesia est, supernaturalis quidem societas universum humanum genus complectens, atque in se perfecta, cum sibi omnia suppetant ad finem suum, sempiternam nempe hominum salutem, consequendum, ideoque in suo ordine suprema.

Consequens est, educationem, quae ad totum respicit hominem, qua hominem singillatim quaque societatis humanae participem, sive in naturae sive in divinae gratiae ordine constitutum, ad necessarias has societates tres, fini cuiusque proprio congruenter, pro praesenti ordine divinitus constituto aequabiliter pertinere.

Ac primo loco, praestantiore quodam modo ea ad Ecclesiam pertinet, duplici scilicet titulo ordinis supernaturalis, quem Deus ipsi tantummodo contulit, adeoque potiore omnino ac validiore quam quilibet alius naturalis ordinis titulus.

Prima iuris huiuscemodi ratio in suprema magisterii auctoritate ac munere nititur, quod divinus Ecclesiae Conditor eidem tradidit hisce verbis: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».[1] Huic magisterio Christus Dominus erroris immunitatem impertivit, una cum mandatis docendi omnes doctrinam suam; quapropter Ecclesia « columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines

[1] Matth., XXVIII, 18-20.

divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem, iuxta revelatae doctrinae normam, dirigant et fingant ».[1]

Altera iuris ratio e supernaturali illo oritur matris munere, quo Ecclesia, purissima Christi sponsa, divinae gratiae vitam hominibus largitur, eamque Sacramentis praeceptisque suis alit ac provehit. Merito igitur S. Augustinus ait: « Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem ».[2]

Iamvero in iis omnibus rebus, in quibus eius educandi munus versatur, hoc est « in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino eius beneficio falli nesciam: quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile ius ad magisterii libertatem ».[3] Unde necessario consequitur Ecclesiam, ut in sui educandi muneris causa, ita in eiusdem exercitatione, nulli terrenae potestati subiici, cum in iis rebus ad quas suum proprium munus spectat, tum in iis quae sunt eidem exsequendo necessaria vel consentanea. Quam ob rem quod ad ceteras attinet disciplinas humanasque institutiones, quae per se communis omnium iuris sunt, singulorum civium nimirum ipsiusque societatis, facultatem habet Ecclesia, nulli sane potestati obnoxiam, hisce quoque disciplinis utendi de iisdemque praecipue iudicandi, quatenus eaedem ipsae christianae educationi aut conducere aut obstare videantur. Idque potest Ecclesia, sive quod, ut societas est perfecta, sui iuris est in praesidiis adiumentisque deligendis sibique comparandis, quae ad finem conferant suum; sive quod quaelibet doctrina atque institutio, perinde ut omnis hominum actio, ex ultimo fine necessario pendet, adeoque divinae legis praeceptis non subiici nequit, cuius quidem Ecclesia est erroribus omnino immunis custos, interpres ac magistra.

Quod idem decessor Noster f. r. Pius X dilucida hac sententia declaravit: « Quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licet bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportet ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis omnia dirigat: omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subsunt ».[4]

Atque notatu dignum est quam perspicue gravissimum hoc

[1] Pius IX, Ep. enc. *Quum non sine*, 14 iulii 1864.
[2] *De Symbolo ad catech.*, XIII.
[3] Ep. enc. *Libertas*, 20 iunii 1888.
[4] Ep. enc. *Singulari quadam*, 24 sept. 1912.

catholicae doctrinae caput intellexerit ac declaraverit e laicorum ordine vir, tam in scribendo mirabilis quam in speculanda veritate subtilis ac rectus: « De moribus doctrinam non ad se tantummodo, sed ad se totam pertinere asseverat Ecclesia. Ac nunquam eadem profiteri ausa est, qui a materno gremio suo descivissent homines, nullam posse eos de recta vivendi ratione veritatem agnoscere; quin immo eiusmodi sententiam, quam non una fucatam veri specie quidam in medium protulissent, iterum atque iterum reprobavit. At profitetur utique, quemadmodum et ante actis temporibus professa est et in posterum est professura, sese unam, utpote quae a Christo Iesu condita sit et Spiritum Sanctum eius nomine missum a Patre acceperit, directo perpetuoque *omnem* in morum genere *veritatem* possidere, qua quidem singula hac de re peculiaria vera continentur, sive ea quae homines, naturali solummodo ratione ducti, assequi possunt, sive ea, quae vel doctrinam divinitus revelatam constituunt, vel ex eadem colligi queunt ».[1]

Litteras igitur, scientias et artes, quatenus ad christianam educationem ad omnemque suam de animarum salute operam sunt necessariae vel utiles, Ecclesia promovet, suas etiam scholas, instituta sua condendo sustentandoque, ubi quaevis disciplina tradatur et ad quemlibet eruditionis gradum fiat aditus.[2] Nec putanda est ab materno eius magisterio aliena ipsa, quam vocant, physica educatio, cum ea quoque id habeat ut christianae educationi aut prodesse aut nocere possit.

Atque haec in quovis animorum culturae genere Ecclesiae actio, quemadmodum summa est familiis nationibusque adiumento, quae, Christo sublato, in interitum ruunt, — ut recte Hilarius: « Quid mundo tam periculosum quam non recepisse Christum? »[3] — ita civili harum rerum temperationi nullum affert incommodum; Ecclesia enim, mater ut est prudentissima, cum minime obsistat quominus scholae et instituta laicis educandis sua, in unaquaque natione, se ad legitima gubernatorum praescripta conforment, tum parata quoquo modo est cum ipsis gubernatoribus concordiam inire, et, si quae forte difficultates oriantur, eas communi consilio dirimere.

Est praeterea Ecclesiae et ius, quod abdicare, et officium, quod deserere nequit, pro tota vigilandi educatione, qualiscumque filiis suis, scilicet fidelibus, in institutis vel publicis vel privatis impertitur, non modo quod attinet ad religiosam, quae ibidem tradatur, doctrinam, sed etiam quod ad quamlibet aliam disciplinam re-

---

[1] A. Manzoni, *Osservazioni sulla Morale cattolica*, c. III.

[2] Codex iur. can., c. 1375.

[3] *Commentar. in Matth.*, cap. 18.

rumve ordinationem, quatenus cum religione morumque praeceptis aliquid habeant necessitudinis. [1]

Atque Ecclesia, ius eiusmodi exercendo, non se in aliena perperam immiscere videatur, immo potius materna quadam, eademque insigni, providentia consulere, ut filios suos ab gravi tueatur incolumes periculo omne virus imbibendi, quod doctrinae integritatem morumque sanctitudinem inficiat. Quae quidem Ecclesiae vigilantia, ut nullum potest verum parere incommodum, sic nequit ad familiarum et Civitatis ordinem prosperitatemque non efficaciter conducere, cum ab adolescentibus illam arceat pestem, quae in ipsum vivendi morem permanare solet. Quotiescumque enim recta deest religiosa ac moralis institutio » ut Leo XIII sapienter monet — « male sana omnis futura est animorum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur ». [2]

Munus autem educandi, quod in Ecclesia insidet, ad omnes populos, nullis locorum temporumque finibus, pertinet, ex Christi mandato: « docete omnes gentes », [3] nullaque in terris potestate legitime oppugnari ac praepediri potest. Atque primum omnes christifideles attingit, quorum ipsa magnam, uti amantissima mater, curam habet ac sollicitudinem. Proptereaque in eorum utilitatem, saeculorum decursu, ingentem scholarum institutorumque numerum quibusvis disciplinis tradendis excitavit ac provexit; etenim — quemadmodum, data haud ita pridem occasione, loculi sumus — « per remotiorem illam mediam aetatem, cum tam frequentia erant (fuit qui ea vel nimium multa diceret) monasteria, coenobia, templa, conlegiatae ecclesiae, capitula aut cathedralia aut cathedralibus inferiora, apud haec singula domicilium scholasticum, domicilium alumnis instituendis educandisque non deerat. Ad haec omnes studiorum Universitates adiicito, ubique, Apostolica Sede atque Ecclesia auspice, conditas in eiusdemque praesidio collocatas. Pulcherrimo enim eiusmodi spectaculo - quod hodie multo adspicimus melius, cum ante oculos sit et sit idem, ut tempora ferunt, magnificentius - nullae aetates caruerunt; quotquot autem eventa recolunt et inter se comparant, ii mirari non desinunt quantum Ecclesia hoc in genere egerit et quomodo commissum sibi divinitus munus expleverit conformandae ad christianam vitam societatis humanae, tot tamque laetos adipiscendo fructus atque exitus. At vero si facere nemo potest quin demiretur, Ecclesiam nullo non tempore

[1] Codex iur. can., cc. 1381, 1382.

[2] Ep. enc. *Nobilissima Gallorum gens*, 8 febr. 1884.

[3] Matth., XXVIII, 19.

alumnos, quos pro officio educaret, ad centena, ad milia, ad decies centena milia, circum se collegisse, haud minorem profecto admirationem habet quidquid ipsa egit non modo in adolescentium educatione, sed etiam in eorumdem, quae vere ac proprie dicitur, institutione ac doctrina. Si tot enim civilis cultus, humanitatis litterarumque thesauros servari licuit, habitui ac proposito Ecclesiae tribuendum est, quae, vel per remotissimas barbarasque aetates, effecit, ut litteris, philosophiae, arti, architecturae potissimum, tantum lucis affulgeret ».[1]

Atque id omne agere idcirco potuit egitque Ecclesia, quia creditum sibi educandi munus infideles quoque complectitur, cum is sit hominibus universis constitutus finis, ut, Regnum Dei ingressi, aeternam salutem assequantur. Quemadmodum enim, temporibus hisce nostris, ludorum milia catholici missionales per omnes regiones disseminant Fidei adhuc exsortes, ab utraque Gangis ripa ad Flumen Flavum amplissimasque Oceani insulas, ab continenti Africo ad Patagoniam inferiorem ad gelidamque Alaskam, sic, superioribus saeculis, Ecclesia per suos evangelii praecones ad christianam vitam atque humanitatem varias illas gentes informavit, ex quibus christianae civilis orbis nationes in praesenti constant.

Itaque pro explorato est, tam iure quam re ipsa educationis munus praecipua quadam ratione esse Ecclesiae proprium, et neminem posse, qui animum habeat ab praeiudicatis opinionibus vacuum, iustam aliquam cogitare causam cur ea ipsa Ecclesiae oppugnetur impediaturque opera, cuius hodie beneficiis societas humana perfruitur.

Idque eo magis, quod cum praecipuo eiusmodi Ecclesiae iure non modo non discrepant, sed etiam iura omnino congruunt et familiae et Civitatis, immo vel ipsa quae in singulis civibus insunt ad iustam quod attinet cum scientiae, tum rationis ac disciplinae in ea pervestiganda, tum denique cuiusvis culturae animorum profanae libertatem. Etenim, ut talis concordiae causam atque originem, nulla mora, declaremus, supernaturalis ordo, in quo iura Ecclesiae nituntur, tantum abest ut naturalem ordinem, ad quem alia pertinent, quae memoravimus, iura, destruat atque extenuet, ut, contra, eundem extollat ac perficiat: quorum quidem ordinum alter auxilium et quasi complementum alteri praestat, suae cuiusque naturae ac dignitati consentaneum, cum ambo a Deo profluant, qui non constare sibi non potest: « Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius iudicia ».[2]

[1] Oratio habita ad alumnos Tusculani Collegii, vulgo *di Mondragone*, 14 maii 1929.

[2] *Deut.*, XXXII, 4.

Quae quidem res clarius apparebit, si educandi munus, quod ad familiam et Civitatem pertinet, seorsum propiusque consideremus.

Atque primum cum Ecclesiae munere familiae munus mirifice concordat, cum utraque a Deo simillime proficiscatur. Namque cum familia, in naturali ordine, Deus proxime foecunditatem communicat, principium vitae ideoque principium educationis ad vitam, una simul cum auctoritate, quae est ordinis principium.

Ad rem, qua solet, perspicuitate sententiae dicendique subtilitate, Angelicus Doctor: «Carnalis pater particulariter participat rationem principii, quae universaliter invenitur in Deo... Pater est principium et generationis et educationis et disciplinae, et omnium quae ad perfectionem humanae vitae pertinent».[1]

Habet igitur familia proxime a Creatore munus proptereaque ius prolis educandae; quod quidem ius cum abiici nequeat, quia cum gravissimo officio coniunctum, tum cuivis societatis civilis et reipublicae iuri antecedit, eaque de causa nulli in terris potestati illud infringere licet.

Eiusmodi autem sanctitudinem iuris sic declarat Angelicus: «Filius enim naturaliter est aliquid patris...: ita de iure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra iustitiam naturalem esset, si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus».[2] Cum vero ad hanc curam parentes teneantur, donec sibi ipsa consulere soboles valeat, patet, idem parentum inviolatum ius sobolis educandae eo usque proferri. «Non enim — docet Angelicus — intendit natura solum generationem prolis, sed etiam traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis in quantum homo est, qui est virtutis status».[3]

Qua de re Ecclesia, pro sua iuris sapientia, haec et subtiliter et perspicue et uno quodam complexu in Codice iuris canonici edicit: «Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi».[4]

In quo tam concors est communis humani generis sensus, ut cum eo aperte ii omnes pugnent, quotquot affirmare audent, prolem ante ad Civitatem quam ad familiam pertinere, et Civitati ius esse educandi absolutum. Pro nihilo autem est ratio, quam isti affe-

---

[1] S. Th., 2 - 2, q. CII, a. 1.
[2] S. Th., 2 - 2, q. X, a. 12.
[3] Suppl. S. Th. 3. p. q. 41, a. 1.
[4] Cod. iur. can., c. 1113.

runt, hominem nasci civem ideoque ab initio ad Civitatem pertinere, cum neutiquam reputent, hominem, ante quam civis sit, vivere oportere, eundemque vitam non ab Civitate sed a parentibus accipere; ut sapienter Leo XIII: «Filii sunt aliquid patris, et velut paternae amplificatio quaedam personae, proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem».[1] Itaque: «Patria potestas est eiusmodi, ut nec exstingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium»,[2] ut Leo XIII docet in iisdem Encyclicis Litteris. Unde tamen non sequitur, ius educandi, quo parentes fruuntur, absolutum esse atque imperiosum, utpote quod et fini supremo et legi naturali divinaeque coniunctissime subiiciatur, quemadmodum ipse Leo XIII in memorabilibus illis Encyclicis Litteris, ubi de praecipuis civium christianorum officiis, declarat, ita iurium et officiorum, quae parentes contingunt, summam complexus: «Natura parentes habent ius suum instituendi quos procrearint, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et disciplina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam, omninoque pervincant ut sua in potestate sit educere liberos, ut par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis».[3]

Animadvertendum autem est, officium educandi, quo familia obstringitur, non modo religiosam ac moralem educationem complecti, sed etiam physicam et civilem, pro ea potissimum ratione quam cum religione et morum doctrina habeant.[4]

Istud vero, quod nullam controversiam recipit, familiae ius haud semel est legitime agnitum apud quasdam nationes, ubi ius naturae in civili servare regimine sollemne est. Etenim, ut exemplum ex recentioribus proferamus, Summum Foederatarum Americae Civitatum Tribunal, cum gravissimam quaestionem dirimeret, edixit: «nullam generalem potestatem Civitati esse unius eiusdemque formae decernendae, ad quam iuventus educi debeat, huiusque cogendae ut in publicis tantummodo scholis instituatur», ob hanc scilicet rationem ex iure naturae depromptam: «Puer non est mera res a Civitate procreata; qui eum alunt ac dirigunt, ius habent,

[1] Ep. enc. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.
[2] Ibidem.
[3] Ep. enc. *Sapientiae christianae*, 10 ian. 1890.
[4] Cod. iur. can., c. 1113.

cum nobilissimo officio coniunctum, ipsius educandi et ad officiorum perfunctionem comparandi ».[1]

Testis historia est, rerum publicarum gubernatores, recentiore praesertim aetate, iura violasse ac violare, quae humani generis Conditor familiae contulit; testis eadem invicta, Ecclesiam eiusmodi iura continenter tutatam esse ac defendisse; atque historiae testimonium hoc ipso aptius confirmatur, quod familiae peculiarem in modum Ecclesiae scholis confidunt, ut haud multo ante in Epistola ad Cardinalem a publicis Ecclesiae negotiis Nostra scribebamus: « Familia statim intellexit rem ita se habere, atque, inde a prioribus christiani nominis temporibus ad haec usque nostra, parentes, etsi manca nullave religione, suos mittunt et comitantur liberos ad ea educationis instituta quae condiderit ac regat Ecclesia ».[2]

Paternus enim sensus, qui a Deo est, ad Ecclesiam sese fidenter convertit, in qua familiarum iurium tutelam inventurum se novit eamque demum concordiam, quam Deus in ordine rerum collocavit. Ecclesia enim, quamvis — ut est conscia, cum muneris sui divini ad universos pertinentis, tum obligationis, qua universi tenentur, unius verae religionis amplectendae — nunquam desinat et sibi ius vindicare et in parentum catholicorum memoriam redigere officium prolis suae baptismo eluendae christianeque educandae, iuris tamen naturalis educandi, quod familiae est, sanctitatem tam studiose veretur, ut nolit, nisi certae quaedam condiciones cautionesque adsint, infidelium filios baptizare aut aliquo pacto educendos curare, donec tales filii per se ipsimet deliberare et Fidem libere amplecti queant.[3]

Duae igitur, ut in memorata oratione Nostra animadvertimus, res sunt ante oculos propositae gravioris momenti, scilicet: « Ecclesiam praebere se in familiarum usum magistram atque educatricem, familias ad utendum Ecclesiae magisterio convolare eidemque liberos suos, ad centena, ad milia, concredere: quae quidem duae res verum quoddam revocant ac praedicant, quod in ordine morali ac sociali plurimum habet ponderis, idest munus educandi

[1] « The fundamental theory of liberty upon which all governments in this union repose excludes any general power of the State to standardize its children by forcing them to accept instruction from public teachers only. The child is not the mere creature of the State; those who nurture him and direct his destiny have the right coupled with the high duty, to recognize, and prepare him for additional duties ». U. S. Supreme Court Decision in the Oregon School Cases, June 1, 1925.

[2] Epist. ad Card. a publicis Ecclesiae negotiis, 30 maii 1929.

[3] Cod. iur. can., c. 750 § 2; S. Th., 2 - 2, q. X, a. 12.

imprimis ac potissimum Ecclesiae esse et familiae, iure quidem naturali ac divino, ideoque sic, ut nullam derogationem, nullam oppugnationem, subrogationem nullam patiatur».[1]

Ex hoc educandi munere, quod imprimis ad Ecclesiam familiamque pertinet, cum maximae utilitates, uti vidimus, in societatem universam dimanant, tum nullum damnum veris propriisque reipublicae iuribus quod ad civium educationem attinet, secundum ordinem a Deo statutum, obvenire potest. Haec iura ab ipso naturae auctore societati civili tribuuntur, non paternitatis titulo, uti Ecclesiae ac familiae, sed propter auctoritatem quae in eadem inest ad commune bonum in terris promovendum, qui quidem est finis eius proprius. Ex his sequitur educationem non eodem modo ad societatem civilem, quo ad Ecclesiam familiamve, pertinere, sed alio plane, qui scilicet fini eius proprio respondeat. Hic autem finis, idest commune bonum temporalis ordinis, in pace ac securitate consistit quibus familiae singulique cives in suis exercendis iuribus fruantur, simulque in maxima, quae in mortali hac vita esse potest, spiritualium fluxarumque rerum copia, omnium quidem opera atque consensione assequenda. Duplex igitur est civilis auctoritatis munus quae est in republica: tuendi nempe atque provehendi, minime vero familiam singulosque cives quasi absorbendi vel se in eorum locum substituendi.

Quamobrem, quod ad educationem spectat, ius est vel, ut rectius loquamur, officium est reipublicae tutandi suis legibus antecedens familiae ius — quod supra memoravimus — christiano nempe more prolem educandi, adeoque supernaturali Ecclesiae iuri in christianam eiusmodi educationem obsequendi.

Itemque Civitatis est, hoc ius in prole ipsa tueri, si quando parentum opera — ob eorum vel inertiam vel imperitiam vel indignitatem — aut physice aut moraliter fortasse desit; siquidem ipsorum ius educandi, ut supra diximus, non absolutum est atque imperiosum, sed a naturali et divina lege dependens, ob eamque rem non modo auctoritati et iudicio Ecclesiae subiectum, sed etiam vigilantiae ac tutelae, pro communi bono, Civitatis; neque enim familia perfecta est societas quae necessaria omnia in se habeat ad se cumulate planeque perficiendam. Quo in casu, ceteroquin perraro, Civitas non iam se in familiae locum substituit, sed, semper accommodate ad naturalia prolis et supernaturalia Ecclesiae iura, necessitati opportunis subsidiis consulit ac providet. Generatim, ius est munusque Civitatis, moralem ac religiosam iuventutis educatio-

[1] Oratio habita ad alumnos Tusculani Conlegii, vulgo *di Mondragone*, 14 maii 1929.

nem, ad rectae rationis fideique normas, tuendi, publicas eas causas removendo quae eidem adversantur. Praecipue vero Civitatis est, ut commune bonum postulat, educationem ipsam iuventutis atque eruditionem pluribus modis promovere. Primum ac per se, operae ab Ecclesia familiisque susceptae favendo atque opitulando, quae quam sit efficax historia usuque rerum comprobatur; deinde operam ipsam perficiendo ubi ea deest vel haud sufficit; scholas quoque et instituta propria condendo; Civitas enim magis quam ceteri opibus pollet, quas sibi pro communibus omnium necessitatibus traditas, aequum omnino est et consentaneum ut in eorum utilitatem, a quibus accepit, impendat.[1] Praeterea praecipere Civitas potèst ac proinde curare ut cives omnes cum civilia et nationalia iura perdiscant, tum a scientia, doctrina morum physicisque ludis instructi sint quantum decet atque hisce nostris temporibus commune bonum reapse postulat. Verumtamen plane liquet, eo civitatem officio teneri, ut, in publica privataque educatione atque eruditione omnibus his modis provehenda, non solum nativa Ecclesiae et familiae iura christiane educandi vereatur, sed etiam iustitiae quae suum cuique tribuit parere. Itaque nefas est, Civitatem educationis institutionisque causam ita ad se redigere totam, ut familiae, contra christianae conscientiae officia vel contra quam legitime malint, physice aut moraliter ad Civitatis ipsius scholas liberos suos mittere cogantur.

Attamen id non prohibet quominus, ob rectam rei publicae administrationem vel pacem domi forisque defendendi causa, quae quidem omnia, cum ad commune bonum tam sint necessaria, tum peculiarem postulant peritiam praecipuamque apparationem, scholas Civitas instituat quas dixeris praeparatorias ad quaedam sua officia, ad militiam praesertim, dummodo ab Ecclesiae et familiae iuribus laedendis, in iis quae ad eas pertinent, se abstineat. Nec immerito equidem id Nos iterum hic admonemus; hac enim aetate nostra – qua nationalismus quidam, cum immoderatus et fallax tum paci veri nominis prosperitatique infensus, gliscere coepit — modi omnes excedi solent in physica educatione, quam vocant, adolescentulorum (atque interdum puellarum, contra ipsam humanarum rerum naturam) militari more ordinanda; in qua saepe nimium eius temporis, ipso Domini die, teritur quod et religiosis officiis et domesticae vitae sanctitudini tribuendum esset. Quamquam non hoc loco rectum disciplinae habitum iustamque animi audaciam, sed quidquid immodicum est Nos reprehensum volumus, uti violentiae spiritum, qui quidem aliud omnino est atque animi fortitudo nobilissimusque

[1] Sermo habitus ad alumnos Tusculani Conlegii, vulgo *di Mondragone*, 14 maii 1929.

militaris virtutis sensus pro patriae ac publici ordinis defensione; itemque nimiam athleticae laudationem aestimationemque hic improbamus, unde, ethnicorum quoque tempore, germanae educationis physicae depravatio ac deiectio profluxit.

Iamvero non solum iuventutis sed etiam aetatum omnium et condicionum ad civilem societatem Statumque educatio pertinet quae civica appellari potest, quaeque, pro parte, ut aiunt, positiva, in eo consistit ut hominibus ad societatem eiusmodi pertinentibus res publice proponantur, quae, et mentes cognitionibus rerumque imaginibus imbuendo et sensus percellendo, voluntates ad honestum invitent et morali quadam necessitate perducant; pro negativa autem, ut ea praecaveat atque impediat quae sibi adversantur.[1] Quae quidem civica educatio, tam profecto ampla ac multiplex ut Status operam fere totam pro communi bono amplectatur, cum ad aequitatis leges confirmare se debeat, tum doctrinae Ecclesiae, quae earum legum Magistra est divinitus constituta, refragari nequit.

Quae omnia hucusque de opera diximus, quam Civitas in educationem conferre debet, doctrina catholica *de Civitatum constitutione christiana*, tamquam firmissimo et immutabili fundamento, innituntur, quae tam egregie a Decessore Nostro Leone XIII, praesertim in Encyclicis Litteris *Immortale Dei* et *Sapientiae christianae* exposita est: «Deus — is ait — humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res, ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. "Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt" (*Rom.*, XIII, 1)».[2] Iamvero iuventutis educatio est quidem ex iis rebus quae ad Ecclesiam Statumque pertinent, «quamquam aliter atque aliter», uti supra retulimus. «Itaque — prosequitur Leo XIII — inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata collegatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et

[1] P. L. Taparelli, *Saggio teoretico di Diritto naturale*, n. 922, opus quod numquam satis laudari potest vel iuvenibus commendari qui studiorum Universitates frequentant. (Cf. sermonem Nostrum die 18 dec. 1927 habitum).

[2] Ep. enc. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum: cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri caelestia et sempiterna bona comparare. Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumque Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo ».[1]

Quicumque haec principia recipere eademque proinde ad educationem applicare recusat, is necessario cum neget Christum ob sempiternam hominum salutem Ecclesiam suam condidisse, tum affirmat societatem civilem et Statum Deo eiusque naturali ac divinae legi non subiici. Quod quidem manifesto impium est, sanae rationi contrarium maximeque, quod ad educationem attinet, perniciosum omnino rectae iuvenum conformationi ac certe civili ipsi societati veraeque humani convictus prosperitati exitiosum. E contrario, haec principia in usum deducendo, esse non potest quin plurimum ad rectam civium conformationem conferatur. Id re factisque, omnibus aetatibus, luculenter comprobatum est; quare, ut Tertullianus, primis Christiani nominis temporibus, in *Apologetico*, ita, quo vixit tempore, S. Augustinus omnes Ecclesiae catholicae hostes provocare poterat — nosque ipsi in praesens eius verba usurpare possumus: — « Proinde qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrinam Christi esse milites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae; imo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae ».[2] Quoniam vero de educatione agitur, opportune hic est admonendum quam egregie catholicam hanc veritatem, re quidem comprobatam, expresserit recentiore aetate, cum scilicet litterae renatae sunt, ecclesiasticus scriptor qui optime de christiana educatione meritus est, piissimus nempe doctusque Silvius Antonianus Cardinalis, mirabilis illius educatoris, S. Philippi Nerii, discipulus idemque magister atque ab epistulis latinis S. Caroli Borromaei, quo instante

[1] Ep. enc. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.
[2] Ep. 138.

et suasore, aureum librum *De christiana liberorum educatione* confecit, in quo haec habet: «Quo magis temporalis gubernatio cum spirituali conspirat eandemque iuvat ac promovet, eo magis ad servandam rempublicam confert. Dum enim Ecclesiae rector, auctoritate subsidiisque spiritualibus, pro suo fine, bonum christianum conformare studet, una simul, quod necessario consequitur, eundem bonum etiam civem efficit, qualis scilicet sub potestate politica esse debet. Idque accidit propterea quod in Sancta Ecclesia Catholica Romana, Civitate Dei, bonus civis unum idemque est ac vir probus. Quamobrem graviter errant qui res tam inter se coniunctas seiungunt atque opinantur bonos cives haberi posse aliis quidem legibus aliisque viis atque illis quae ad bonum christianum conformandum conferunt. Atque dictitet quidem ac sermocinetur quantum sibi libet humana prudentia; fieri enim non potest ut pacem temporalemque tranquillitatem veri nominis afferat quidquid a pace aeternaque beatitudine seiungitur eisdemque repugnat».[1] Ut autem Civitati, ita scientiae eiusque viae et investigationi nihil est pertimescendum ex eo quod Ecclesia plenum habeat absolutumque educandi mandatum. Siquidem catholica instituta, quicumque gradus est eruditionis ac scientiae ad quem pertinent, nulla prorsus defensione indigent. Gratia qua ea ipsa apud omnes florent, laudes quas sibi comparant, ingenii monumenta quae magno numero gignunt iique maxime viri, quos, plena atque exquisita a doctrina instructos magistratui praebent, artibus, disciplinis tradendis, vitae demum qua late ea patet, satis superque ipsorum gloriam concelebrant.[2] Quae ceterum facta nihil aliud sunt quam praeclara doctrinae catholicae confirmatio a Concilio Vaticano definitae: «Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet ac promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum iuvante eius gratia perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae ea, quae sunt fidei, occupent

[1] *Dell'educazione cristiana dei figliuoli*, lib. I, c. 43.

[2] Epist. ad Card. a publicis Ecclesiae negotiis, 30 maii 1929.

et perturbent».[1] Quae quidem norma iustae libertatis docendi probe intellectae; eaque servari debet quotiens aliis doctrina traditur, at ex graviore sane iustitiae officio cum traditur iuventuti, tum quia in ipsam praeceptor, publicus privatus, non absolutum sed participatum ius habet; tum quia omnis puer seu adolescens christianus sanctissimum ius habet ut secundum Ecclesiae doctrinam, veritatis quidem columen ac fundamentum, edoceatur; eidemque gravem quidem inferret iniuriam qui eius fidem turbaret, fiducia abutendo iuvenum erga magistros eorumque naturali rerum imperitia atque immodica ad libertatem absolutam fallacemque inclinatione.

Neque enim oblivisci unquam licebit, christiane educandum totum esse hominem, quantus est, nimirum in unam naturam per spiritum et corpus coalescentem omnibusque animi et corporis partibus instructum, quae vel a natura proficiscuntur vel ipsam excedunt, qualem demum ex recte ratione et ex divinis oraculis cognoscimus; hominem scilicet, quem a pristina nobilitate delapsum, Christus redemit in eamque supernaturalem dignitatem restituit ut adoptivus filius Dei esset, minime tamen iis redditis praeter naturam privilegiis, ex quibus ante et corpus immortale ei animus aequus fuerat atque integer. Unde factum, ut quae foeda in hominum naturam ab Adami culpa profluxere, praesertim voluntatis infirmitas effrenataeque animi cupiditates, in homine supersint.

Et profecto « stultitia colligata est in corde pueri et virga disciplinae fugabit eam ».[2] A pueritia igitur voluntatis inclinationes, si pravae, cohibendae, sin autem bonae, promovendae sunt, ac praesertim puerorum mens imbuatur doctrinis a Deo profectis et animus divinae gratiae auxiliis roboretur oportet, quae si defuerint, nec suis quisque moderari cupiditatibus poterît neque ad absolutionem perfectionemque disciplina atque informatio ab Ecclesia adduci, quam ideo Christus caelestibus doctrinis ac divinis Sacramentis instruxit ut efficax omnium hominum esset magistra.

Quam ob rem omnis disciplina puerilis, quaecumque, meris naturae viribus contenta, ea respuit aut negligit quae ad vitam christianam rite informandam divinitus conferunt, falsa plenaque erroris est; omnisque via et ratio educandae iuventutis, quae labis a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae divinaeque gratiae rationem nullam aut vix ullam habet, proptereaque in solis naturae viribus tota nititur, a veritate prorsus aberrat. Huc fere pertinent quae nostris temporibus palam proferuntur, variis quidem nominibus, doctrinae, quarum est, totum ferme cuiuslibet eruditionis fundamentum in eo ponere, ut pueris integrum sit sese

[1] Conc. Vat., sess. 3, cap. 4.
[2] *Prov.*, XXII, 15.

informare ipsos ingenio atque arbitratu plane suo, vel repudiatis maiorum praeceptorumve consiliis omnique lege atque ope humana et divina prorsus posthabita. Quae tamen omnia si suis finibus ita circumscribantur, ut novi huiusmodi magistri velint, adolescentes in suam ipsorum eruditionem eo magis propriam quoque operam atque industriam conferre quo plus aetate et rerum cognitione progrediantur, itemque ut a puerorum educatione omnis vis atque asperitas removeatur, quam nihilominus iusta correctio non redolet. verum id quidem, at minime novum, cum id ipsum et Ecclesia docuerit et christiani praeceptores, more a maioribus tradito, retinuerint, Deum imitati, qui omnes creatas vult res praecipueque omnes homines navare sibi operam, secundum propriam ipsorum naturam, quia divina Sapientia « attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter ».[1]

Ast, si communem verborum significationem, si res ipsas consideremus, haud alio spectant complures eiusmodi doctores, nisi ut puerorum educationem e divinis legibus eximant, quam ob rem novum quiddam ac mirum hodie conspicimus, institutores scilicet ac philosophos in eo desudantes ut codicem quaerant ac digerant de iuventute in universum educanda, quasi nulla sint divina oracula decalogo descripta, nulla sacra Evangeliorum praecepta, nulla naturae lex, quam Deus in animis hominum defixit ac paene insculpsit, per rectam rationem promulgavit ac per se ipse decalogo sancivit atque constituit. Unde etiam fit, ut novi id genus institutores disciplinam puerilem ab Ecclesia adhibitam, eo quod tota in auctoritate divina atque in sacris legibus innititur, tamquam non sui iuris, inertem atque obsoletam habere atque appellare contemptim soleant.

In quo profecto misere ipsi falluntur, cum, aventes puerum, ut aiunt, in libertatem revocare, eum demum insanae superbiae ac pravis cupiditatibus mancipent, quae — ex eorum commentis consequitur — tamquam necessitates quaedam humanae naturae, quam exlegem perhibent, probandae essent.

Sed quod turpius est, huiuscemodi magistri, etsi incassum, per errorem tamen impie ac periculose id sibi vindicant ut profanis communibusque inquisitionibus atque experimentis ea periclitentur quae in puerorum educationem facta incidunt supernaturalis ordinis, ut, exempli causa, divinum ad sacerdotalia munia et ad religiosam vitam impulsum atque generatim arcana ea omnia quae Gratia Dei in animis hominum operatur, quae, licet naturae vires extollat, eas tamen infinite praetergreditur et nullo pacto legibus physicis parere potest, quia « spiritus ubi vult spirat ».[2]

---

[1] *Sap.*, VIII, 1.
[2] Io., III, 8.

Multo autem perniciosiores sunt illae de natura duce omnino sequenda opiniones doctrinaeve, quae in educationis humanae certam quandam ingrediuntur partem salebrarum plenam, in eam scilicet quae ad morum integritatem et ad castimoniam pertinet. Passim enim bene multi et stulte et periculose eam tenent provehuntque educandi rationem. quae sexualis putide dicitur, cum iidem perperam sentiant, posse se, per artes mere naturales et quovis amoto religionis pietatisque praesidio, adolescentibus a voluptate et luxuria praecavere, scilicet hos omnes, nullo sexus discrimine, vel publice, lubricis initiando instruendoque doctrinis, immo, quod peius est, mature occasionibus obiiciendo, ut eorum animus, eiusmodi rebus — quemadmodum ipsi aiunt — assuetus, quasi ad pubertatis pericula obdurescat.

In eo autem isti homines graviter errant quod nativam humanae naturae fragilitatem non agnoscunt neque legem illam membris nostris insitam, quae, ut verbis utamur Pauli Apostoli, mentis legi repugnat,[1] idque praeterea temere infitiantur quod usu quotidiano didicimus, iuvenes nempe prae aliis in turpia saepius incidere non tam ob mancam mentis cognitionem quam ob infirmitatem voluntatis illecebris obnoxiae atque divinis auxiliis destitutae.

Qua de re prorsus difficili, si quidem, omnibus perpensis, adolescentem aliquem tempestive ab iis moneri oporteat, quibus Deus educandi pueros officium commisit cum gratiis opportunis coniunctum, illae profecto cautiones et artes sunt adhibendae, christianis institutoribus non ignotae, quas apte Antonianus hisce verbis describit: « Eo usque imbecillitas nostra atque in malum proclivitas misere procedit, ut, quae ad remedium peccati consilia adhibentur, ea ipsa ad peccandum fere ansam atque incitamentum praebeant. Quapropter magnopere interest, ut prudens pater, si quando de lubricis istiusmodi rebus cum filio colloquatur, bene attendat, neque ad hoc deveniat ut fere sub aspectum subiiciat artes singulas quibus horrenda eiusmodi pestis tam magnam orbis partem veneno suo inficit, ne, dum libidinis ignes restinguere aggreditur, eos potius in tenerioribus puerorum animis aut sopitos suscitet aut plane incendat. Ut autem generatim loquamur, quamdiu pueri excolendi sunt, satis superque erit iis uti remediis quae castimoniam in animos inducant simulque ab iis vitia contraria prohibeant ».[2]

Aeque vero fallax atque christianae institutioni infensa illa adolescentes instruendi ratio habenda est, quam vulgo coëducationem appellant; eorum enim qui ipsam tuentur, bene multi idcirco tuentur quia aut non considerant aut negant, protoparentum labe

[1] *Rom.*, VII, 23.

[2] *Dell'educazione cristiana dei figliuoli*, lib. II, c. 88.

vitiatum nasci hominem, plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quendam virorum ac foeminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervum. Divinus sane rerum omnium moderator perfectum utriusque sexus convictum in legitimo tantum coniugio vigere voluit, dein in familia inque humana consortione, certo ordine dispertitum. Accedit quod nihil est in ipsa natura — ex qua duo sexus, compage corporis, inclinationibus, ingenioque dissimiles procedunt — unde colligi possit, mares et foeminas promiscua, nedum una eademque, educatione informandos esse. Alter autem et alter sexus a Dei sapientia ad hoc sunt constituti ut in familia et societate mutuo se compleant et in unum quid apte coalescant, ob illud ipsum corporis animique discrimen quo inter se differunt, quod idcirco in educatione atque institutione tenendum, imo fovendum est per aptam distinctionem ac separationem, aetatibus ac conditionibus congruentem. Eiusmodi vero praecepta, ad christianae prudentiae praescriptum, tempestive atque opportune servanda sunt non modo in scholis omnibus, praesertim per trepidos adolescentiae annos, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet, sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere summopere dedeceat.

Memores itaque gravissimorum verborum Magistri divini: « Vae mundo a scandalis »[1] sollicitudinem ac sollertiam vestram, Venerabiles Fratres, vehementer excitamus adversus perniciosissimos huiusmodi errores qui in christiana plebe, maximo cum iuventutis detrimento, nimis late pervagantur.

Ad perfectam autem educationem assequendam curare opus est, ut quae omnia pueros, dum instituuntur, circumsaepiunt, ea proposito apte respondeant.

Et profecto quod primum ex necessitate naturae puerum rite conformandum circumdat, ipsa eius familia habenda est, ad hoc demum munus a Deo constituta. Quapropter eam tandem institutionem constantem atque tutissimam iure existimabimus quae in recte composita ac bene morata familia recipitur, eoque efficaciorem et constantiorem quo magis parentes, potissimum, ac domestici pueris virtutis praeeant exemplo.

Verum non is Nobis est animus ut universam de institutione domestica materiam, ne per summa quidem capita, pertractemus, tam late ea patet; de qua, ceteroqui, non desunt, cum ex veteribus

[1] Matth., XVIII, 7.

tum ex recentioribus, qui, catholicae doctrinae congruenter, optime scripserint, inter quos praeclaram prorsus meretur laudem Antonianus ille, quem superius loquentem induximus, qui disputationem *De christiana liberorum institutione* ea quidem peritia adornavit ut sanctissimus vir Carolus Borromaeus eam parentibus christianis in templo congregatis publice legendam curaret.

Volumus tamen, Venerabiles Fratres, animum huc intendatis vestrum, quo res nostris temporibus misere deciderint quae ad domesticam institutionem spectant; cum enim ad artes liberales atque ad publica munera, quae sunt profecto minoris momenti, homines diutinis litterarum studiis, laboriosis exercitationibus ac producto tirocinio se comparent, contra, ad filiorum institutionem, quod profecto caput est officii patrisfamilias, plerique parentum temere accedunt nullaque fere adhibita praeparatione, quod rebus ac curis terrenis distineantur. Ad bonum praeterea minuendum, quod familiaris puerorum institutio pareret, accedit quod fere ubique gentium facilius in dies pueros a familia inde a teneris annis seiungendi consuetudo increbrescit, causis interpositis vel oeconomicis, ut industriae mercaturaeque serviendi, vel politicis; et natio quaedam est, ubi pueri e familiae gremio extorquentur, ut in coetus ludosque a Deo alienissimos, non tam recte conformandi quam, verius, deformandi ac depravandi, inducandur – scilicet eo proposito, ut, ad eorum placita qui communia omnia esse omnibus somniant, impietatem odiumque imbibant — veriorem ita horribilioremque Innocentium stragem renovando.

Itaque animarum Pastores per Iesu Christi divinam erga homines caritatem obsecramus atque obtestamur ut nihil reliqui faciant, sive per contiones sive per catecheses, sive verbis sive scriptis in populum late vulgatis, christiani ut parentes, non tam generatim quam singillatim, perdiscant, quae sibi incumbant officia ad religiosam quod attinet et moralem et civilem liberorum suorum educationem, et quae potissimum, praeter sanctioris vitae suae exempla, viae ac rationes ad eam efficacius consequendam conducant. Huiusmodi profecto monitiones hortationesque Paulus Apostolus haud fastidivit in suis epistulis frequentare, praesertim in ea, quam ad Ephesios scripsit, ubi, praeter alia, id monuit; « Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros »;[1] quae quidem provocatio seu incitatio non ex eo tantum oritur quod parentes severiores atque asperiores se liberis praebeant, sed ex eo praecipue quod filiorum ingenium ac nativam alacritatem moleste ferant et aptiores correctionis modos ignorent, ac praesertim ex molli illa atque veluti enervata, quae in familiis usu venit, disciplina, unde fit ut in

[1] *Eph.*, VI, 4.

puerorum animis cupiditates effrenatae dominentur. In hoc igitur parentes, itemque puerorum institutores, animum intendant ut dignitatem potestatemque quam habent a Deo, cuius revera vices gerunt, rite in bonum filiorum usurpent, non quidem ut sibi commodum pariant, sed ut filios informent atque instruant ad sanctum et suavem « Dei timorem, omnis sapientiae initium » in quo tantummodo superiorum reverentia solide innititur et quo dempto constans ordo, pax serena atque omne bonum neque in familia neque in universa humanae coniunctionis societate consistere potest.

Infirmis autem humanae naturae viribus, deterioris ob avitam culpam factae, Deus, qua est bonitate, uberibus suae Gratiae auxiliis consuluit eaque praeterea, quam animis expiandis atque ad sanctitatem evehendis multiplicem habet Ecclesia adminiculorum copiam: Ecclesia, inquimus, magna illa Christi familia, quae est idcirco educatrix cum singulis familiis ita congruens ac coniuncta quam quae maxime.

Qui profecto locus ad optimam institutionem aptissimus, quae est Ecclesia, non solum Sacramenta complectitur ac praebet quae divinam gratiam continent atque animis inserunt, neque sacros tantum ritus qui ad informandos ad virtutes adolescentes mirum in modum conferunt, neque tandem sola sacri templi saepta, in quo sollemnes caerimoniae, sculpta signa, pictae tabulae, organorum vocumque concentus ad animos pietate ac bonis moribus imbuendos tam praeclaro adiumento sunt; verum etiam magnum ea numerum atque varietatem scholarum, coetuum, institutorumque omne genus fovet ac sustentat, quae eo spectant, ut ad pietatem, ad litteras doctrinasque, adhibitis quoque iucunditatis oblectamentis et ipsa corporis exercitatione, adolescentes instituantur. Haec porro tam perennis in eiusmodi operibus fovendis atque alendis fecunditas non modo patefacit atque ostendit, maternam Ecclesiae providentiam et superari non posse et omni esse admiratione dignissimam, sed etiam illam comprobat, aeque mirabilem, concordiam, quam supra diximus Ecclesiae cum christiana familia intercedere, ut affirmari vere queat, Ecclesiam et familiam unum quoddam christianae educationis perfugium et quasi sacrarium habendas esse.

Quod autem novae progenies omnibus iis artibus ac disciplinis instruendae essent quibus civilis convictus proficit ac florescit, et sola ad id familia minime sufficeret, propterea publica gymnasia ortum habuerunt, primum tamen — diligenter attendite — Ecclesiae familiaeque in unum conspirantium opera, multo autem post, reipublicae. Quapropter litterarum sedes ac scholae, si, ad historiae fidem, earum originem inspiciamus, natura sua tamquam subsidium ac fere complementum Ecclesiae simul et familiae exstite-

runt; consequens igitur est, publicas scholas non solum familiae atque Ecclesiae repugnare non posse, sed etiam cum utraque, quantum res patitur, congruere oportere, ita nempe ut tria haec — schola, familia, Ecclesia — unum fere christianae institutionis sacrarium efficere videntur, nisi velimus scholam a suo plane proposito aberrare et in adolescentium pestem atque perniciem converti.

Quod utique aperte professus est vel laicus vir ille, ob sua de iuventutis institutione scripta tantis ornatus laudibus — quamquam ea ipsa haud omnino commendari queunt, cum corruptam de libertate doctrinam redoleant — qui illud protulit: « schola, nisi templum est, spelunca est »; idemque alio loco: « Quando in te puerorum educationem cum litterarum studia, tum doctrinae, quae ad religionem et ad domesticam civilemque societatem spectant, non una conspirant, homines miseri atque inepti exsistunt ». [1]

Inde necessario consequitur, per scholas, quas *neutras* vel *laicas* nuncupant, omne fundamentum christianae educationis disiici atque everti, utpote a quibus religio omnino removeatur; quae ceterum scholae nullo modo nisi specie *neutrae* erunt, cum religioni plane infensae reapse aut sint aut futurae sint.

Longum est neque vero oportet ea repetere quae decessores nostri, praesertim Pius IX et Leo XIII, aperte declararunt, quorum in tempora potissimum incidit, ut gravissima huiusmodi laicismi pestis in scholas publicas invaderet. Eorum Nos expostulationes [2] iteramus ac confirmamus, itemque sacrorum Canonum praescripta, quibus catholici adolescentes prohibentur ne scholas cum neutras tum mixtas, eas scilicet ad quas, nullo discrimine, catholici et acatholici instituendi conveniunt, quavis de causa frequentent; quas tamen adire licebit, prudenti dumtaxat Ordinarii iudicio, in certis quibusdam tantummodo locorum temporumque conditionibus, modo peculiares cautiones adhibeantur. [3] Neque illa tolerari potest schola (praesertim si ea « unica » sit ad eamque omnes pueri accedere teneantur), in qua, etsi sacrae praecepta doctrinae separatim catholicis traduntur, tamen catholici non sunt magistri, qui pueros catholicos acatholicosque communiter litteris atque artibus imbuunt.

Neque enim quia doctrina religionis in aliqua schola (plerumque nimis parce) impertitur, idcirco haec iuribus Ecclesiae ac fami-

---

[1] Nic. Tommaseo, *Pensieri sull'educazione*, parte I, 3, 6.

[2] Pius IX, Ep. *Quum non sine*, 14 iulii 1864. - Syllabus, Prop. 48. - Leo XIII, Alloc. *Summi Pontificatus*, 20 aug. 1880; Ep. enc. *Nobilissima*, 8 febr. 1884; Ep. enc. *Quod multum*, 22 aug. 1886; Ep. *Officio sanctissimo*, 22 dec. 1887; Ep. enc. *Caritatis*, 19 martii 1894, etc. (cf. Cod. iur. can. cum fontium annot., ad can. 1374).

[3] Cod. iur. can., c. 1374.

liae satisfacit et digna fit quae ab alumnis catholicis celebretur; nam ut hoc quaevis schola revera praestet, omnino oportet ut tota institutio ac doctrina, scholae ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri, ad quamvis disciplinam quod pertinet, christiano spiritu, sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia, sic imbuti sint ac polleant, ut Religio ipsa totius instituendi rationis cum fundamentum tum fastigium constituat; neque hoc solum in scholis in quibus doctrinae elementa, sed in iis etiam ubi altiores disciplinae traduntur. « Necesse est », ut Leonis XIII verbis utamur, « non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem pietatis sensus redolere. Id si desit, si sacer hic habitus non doctorum animos ac discentium pervadat foveatque, exiguae capientur ex qualibet doctrina utilitates, damna saepe consequentur haud exigua ». [1]

Nemo tamen obiiciat, fieri omnino non posse, ut ea respublica, quae homines diversa quod ad religionem sentientes complectitur, puerorum institutioni aliter consulat quam per scholas quae neutrae ac mixtae vocantur, cum, contra, ipsa respublica civium eruditioni prospicere et prudentius debeat et facilius queat, si Ecclesiae familiarumque hac in re coepta operamque libere perfici atque adhiberi sinat, aequis praeterea alteram alteramque fovendo muniendoque subsidiis. Id autem, magno cum familiarum gaudio itemque profectu publicae sive eruditionis sive tranquillitatis, effici posse, ea plane demonstrant, quae videmus usu venire apud quasdam nationes, in quibus, etsi alii aliam religionem sectamve sequuntur, ordo dispertitioque scholarum nullo pacto iura familiarum offendunt, non solum quod pertinet ad doctrinas (praesertim cum illic catholici ludi catholicis adolescentibus praesto sint), sed etiam quod spectat ad aequam rectamque sumptuum compensationem a republica collatam scholis illis quas familiae iure suo postulant.

At vero in aliis, mixtae item religionis, nationibus res se longe aliter habent, haud exiguo cum catholicorum hominum detrimento; qui, auspicibus ducibusque Episcopis et sacerdotibus omnibus utriusque cleri opem ferentibus, pecunia dumtaxat sua scholas sustentant ad filios suos recte instituendos — memores ut sunt gravissimi quo obstringuntur officii — et, laudabili liberalitate ac constantia, in suo perstant proposito, illud tamquam insigne suae actionis praeferentes ut scilicet « omni catholicae iuventuti catholicam educationem in scholis catholicis » omnino provideant. Quod quidem coeptum, etsi sumptu publico minime fulcitur, ut lex iustitiae postularet, tamen a magistratibus praepediri ac vetari nullo

[1] Ep. enc. *Militantis Ecclesiae*, 1 aug. 1897.

modo potest, nisi ii velint sacra familiae iura conculcare et germanae libertatis nervos infringere.

Ubi vero gentium primis hisce libertatis quasi elementis repugnatur vel multiplici ratione officitur, homines catholici nunquam satis, vel per maximas molestias, in eo elaborabunt ut scholas suas tueantur incolumes et iustae de libera adolescentium institutione leges auspicato condantur.

Quicquid autem ad scholam catholicam in filiorum suorum usum provehendam ac tuendam a christifidelibus agitur, opus religionis sine ulla dubitatione est, proptereaque potissimum « Actionis Catholicae » munus; ita ut paterno animo Nostro pergratae sint, sintque praecipuis laudibus dignae sodalitates illae omnes, quae multifariam in opus tam necessarium peculiari modo ac studiosissime incumbunt.

Quapropter alte denuntietur et bene ab omnibus animadvertatur atque agnoscatur, christifideles, catholicam scholam filiis quaerendo suis, nusquam gentium opus admittere politicae factionis, sed fungi religionis officio, quod sua ipsorum conscientia necessario postulat; iisdemque eam esse mentem non ut filios suos a reipublicae disciplina atque spiritu distrahant, immo ut ad id ipsum, perfectissimo modo atque nationis utilitati accommodatissimo, conforment, cum catholicus veri nominis, a catholica quidem doctrina instructus, hoc ipso optimus civis, cultor patriae, publicae auctoritati sincera fide obtemperans, sub quavis legitima regiminis forma, reperiatur.

In eiusmodi vero schola, quae cum Ecclesia et cum christiana familia concordat, eventurum profecto non est, ut, manifesto cum educationis detrimento, ea variis in disciplinis oppugnentur quae in religiosa institutione discipuli didicerint; quod si praeceptores, pro sua magisterii sollicitudine, ad eorum cognitionem, refutationis causa, libros erroribus inquinatos duxerint perferendos, talibus id quidem cautionibus talique sanae doctrinae remedio praestituri sunt, ut non iacturam, sed potius utilitatem christiana inde iuventutis educatio capiat,

Qua in instituendi ratione, itidem, non est cur patrii sermonis classicarumque, ut aiunt, litterarum studium ullum unquam morum sanctimoniae detrimentum afferat; christianus enim magister exemplum de apibus capiet, quae quicquid in floribus purissimum est, sugunt reliquumque dimittunt, ut in sermone de classicorum lectione [1] adolescentes sanctus Basilius docet.

Quae quidem necessaria cautio — ab ethnico quoque Quintiliano proposita [2] — minime impedit quominus christianus magister,

[1] *P. G.*, t. 31, 570.
[2] *Inst. Or.*, I, 8.

quae vere bona et utilia in disciplinas earumque tradendarum rationem tempora nostra intulerint atque inferant, ea adsciscat adhibeatque, secundum illud Apostoli: « Omnia probate; quod bonum est tenete ». [1] Quocirca, dum nova assumit, cavebit ipse, vetera ne facile deserat, quorum utilitatem et vim plurium saeculorum usus docuerit, litterarum latinarum in studio praesertim, quas cotidie magis prolabentes cernimus, ob neglectas, perperam sane, docendi rationes, ab eo, qui in Ecclesiae praecipue scholis magnopere floruit, sano humaniorum litterarum cultu tam utiliter usurpatas. Mos vero nobilissimus a maioribus traditus postulat ut iuvenes, catholicis scholis commissi, litteris utique et doctrinis plene pro temporum nostrorum conditione, sed simul etiam saniore philosophia solide ac penitus imbuantur, inordinata eorum levitate posthabita qui « invenissent forsitan necessaria nisi et superflua quaesiissent ». [2] Itaque ea magistro cuique christiano ante oculos habenda sunt, quae brevi sententia Leo XIII complectitur: « ... alacrius adnitendum est, ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vigeat, praesertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet ». [3]

Salutaris autem scholarum efficientia non tam rectis legibus quam magistris rectis tribuenda est, qui, egregie parati atque suam quisque callentes disciplinam, discipulis tradendam, mentis quidem animique laudibus ornati quas munus sane gravissimum postulat, casta et divina caritate erga iuvenes sibi commissos flagrent, perinde ac Iesum Christum eiusque Ecclesiam diligunt, — quorum illi sunt filii carissimi — atque hoc ipso sincere bonum verum familiarum ac patriae cordi habent. Praeclaris igitur afficimur solaciis gratoque divinam Bonitatem prosequimur animo, cum videamus ad sodales religiosos et religiosas virgines, quotquot docendis pueris adolescentibusque se devovent, tot tamqne probos accedere utriusque sexus praeceptores, eosdemque — ad animum sanctius excolendum in congregationes quoque et sodalitates proprias coeuntes, quae tamquam nobilissimum validumque « Actionis Catholicae » praesidium laudandae ac promovendae sunt, — utilitatis immemores suae, enixe constanterque illi operam dare quam « artem artium et scientiam scientiarum » [4] Sanctus Gregorius Nazianzenus vocat, scilicet iuvenes regundi ac conformandi. Cum tamen in eos

---

[1] *I Thess.*, V, 21.

[2] Seneca, *Epist.*, 45.

[3] Leo XIII, Ep. enc. *Inscrutabili*, 21 apr. 1878.

[4] Oratio II, *P. G.*, t. 35, 426.

quoque illud divini Magistri quadret: « Messis quidem multa, operarii autem pauci »,[1] tales christianae educationis artifices — quorum institutio Pastoribus animarum summisque religiosorum ordinum moderatoribus magnopere curae esse debet — Dominum messis multos ut alios mittat supplicibus precibus exoramus.

Oportet praeterea, adolescentis educatio, quippe qui sit « cereus in vitium flecti »,[2] in quacumque consuetudine vitae ipse se habeat, dirigatur et custodiatur, malas removendo occasiones, bonas autem opportune sufficiendo, in animi remissionibus et in delectu sodalium, quia « corrumpunt mores bonos colloquia mala ».[3]

Nostris, ceteroqui, temporibus eo plenius ac diligentius evigilandum est, quo plures iuvenibus imperitis faciendi morum pietatisque naufragii occasiones increbrescunt, maxime ex impiis obscenisque libris, quorum satis multi nefarie parvo veneunt ac propagantur, ex « cinematographicis » ludis, nunc autem ex « radiophonicis » quoque auditionibus, quae cuiusvis generis lectionem — sicut « cinematographa » quodlibet spectaculum — plerisque exhibent atque faciliorem reddunt. Validissima eiusmodi ad quidvis evulgandum subsidia, quae, si ad sana principia apte regantur, eruditioni magnopere atque educationi prodesse queant, saepe — proh dolor — provehendis vitiorum illecebris sordidisque quaestibus serviunt. Sanctus Augustinus in ardore ingemiscebat, quo ad ludos circenses christifideles eius temporis complures rapiebantur, depravationemque Alipii, discipuli et amici sui, quae, feliciter, paulisper constitit, vividis verbis enarrat.[4] Quot iam adolescentes, ludis hodiernis et turpibus libris corruptos, parentes ac magistri nunc defleant oportet!

Quapropter omnia illa laudanda et adiuvanda sunt opera educationi dedita, quae, christiano prorsus spiritu studioque ducta iuvenum animis subveniendi, opportunis libris et ephemeridibus parentes potissimum et praeceptores de insidiis edocent, quae subdole plerumque, moribus et religioni per libros et spectacula struuntur, itemque, praeterquam quod curant, ut saniores libri in vulgus propagentur et ludi scenici rectae institutioni fructuosi habeantur, magno quidem impendio theatra et « cinematographa » aliquando condunt, unde christianae virtuti non modo nihil discriminis incidat, verum etiam haud parum accedat utilitatis.

Eiusmodi tamen custodia ac vigilantia, quam adhiberi oportere diximus, minime postulat, ut iuvenes ab hominum commercio segregentur, quibuscum vita degenda animaeque saluti consulendum

[1] Matth., IX, 37.
[2] Horat., *Art. poët.*, v. 163.
[3] *I Cor.*, XV, 33.
[4] *Conf.*, VI, 8.

erit, sed tantum ut muniantur et christiane firmentur, hodie quam maxime, adversus illecebras erroresque mundi, qui, ad illud Ioannis, totus est « concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae »; [1] ita ut, quemadmodum de priscis christianis Tertullianus scripsit, tales nostri se habeant quales christianos esse nullo non tempore decet « compossessores mundi, non erroris ». [2]

Quibus Tertulliani verbis illud tetigimus, de quo, licet maximi momenti esset, postremo agere constituimus: videlicet in quo, ut e proprio eius fine colligitur, christiana educatio praecipue posita sit; quod autem si sedulo animadvertatur, meridiana luce clarius apparebit, supremum educandi munus atque officium ad Ecclesiam pertinere.

Eo proprie ac proxime intendit christiana educatio, ut, divina cum gratia conspirando, germanum atque perfectum christianum efficiat hominem: ut Christum scilicet ipsum exprimat atque effingat in illis qui sint Baptismate renati, ad illud Apostoli vividum: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis ». [3] Vitam enim supernaturalem germanus christianus vivere debet in Christo: « Christus, vita vestra », [4] eandemque in omnibus rebus gerendis manifestare « ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali ». [5]

Quae cum ita sint, summam ipsam humanorum actuum, quod attinet ad efficientiam sensuum et spiritus, ad intellectum et ad mores, ad singulos et ad societatem domesticam atque civilem, christiana educatio totam complectitur, non autem ut vel minime extenuet, verum ut secundum Iesu Christi exempla et doctrinam extollat, regat, perficiat.

Itaque verus christianus, christiana educatione conformatus, alius non est ac supernaturalis homo, qui sentit, iudicat, constanter sibique congruenter operatur, ad rectam rationem, exemplis doctrinaque Iesu Christi supernaturaliter collustratam: scilicet, homo germana animi firmitate insignis. Neque enim quisquis sibi consentit et sui propriique tenax propositi agit, is solido ingenio est, sed unus ille qui aeternas iustitiae rationes sequitur, ut agnovit ethnicus ipse poëta, « iustum » una simul « et tenacem propositi virum » [6] extollens; quae, ceterum, iustitiae rationes integre servari nequeunt, nisi Deo tribuatur — ut fit a vero christiano — quidquid Deo debetur.

---

[1] *I Io.*, II, 16.
[2] *De idololatria*, 14.
[3] *Gal.*, IV, 19.
[4] *Col.*, III, 4.
[5] *II Cor.*, IV, 11.
[6] Horat., *Od.*, l. III, od. 3, v. 1.

Hic sane christianae educationis finis profanis hominibus inanis quaedam cogitatio videtur vel potius tale propositum quod perfici nequeat quin non modo naturales vires deleantur vel saltem extenuentur, sed etiam huius vitae actio quodammodo repudietur: unde sequitur, ut sit illud a societate hominum terrenaque eorum prosperitate alienum et cuilibet in litteris, in doctrinis, in artibus, in cultu demum humano civilique profectui vehementer infestum. Cui vero dubitationi, quam ethnici olim, etsi eruditi, rerum tamen nostrarum ignari et praeiudicatis opinionibus imbuti, proposuerant — quaeque, recentiore aetate, proh dolor, crebrius ac pertinacius prolata est — Tertullianus occurrerat: «Non sumus exsules vitae. Meminimus gratiam nos debere Deo Domino Creatori; nullum fructum operum eius repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commerciis cohabitamus in hoc saeculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus vivimus, non scio».[1] Idcirco sincerus christianus tantum abest ut res in hac vita gerendas abdicet et naturales vires comprimat, ut, contra, has alat ac perficiat cum vita supernaturali ita copulando, ut ipsam naturalem vivendi rationem exornet efficacioribusque foveat adiumentis, non modo ad spiritualia atque aeterna, sed etiam ad ipsius naturalis vitae necessitates congruentibus.

Id profecto tota comprobat christianae religionis eiusque institutorum historia — quacum historia germani civilis cultus humanarumque progressionum, ad nostros usque dies, omnino cohaeret; — praecipue autem vita Sanctorum ostendit, qui, ab Ecclesia Matre, eademque una, perpetua quadam foecunditate geniti, perfectam absolutamque christianae educationis formam in se referentes, hominum communionem nobilitarunt et bonis omne genus auxerunt. Optime sane iidem de humano genere meriti, in omni civium ordine atque in quavis vitae conditione, editis perfectae sanctitatis exemplis, floruerunt; in iis enim non desunt cum agricolae simplices ac rudes tum viri disciplinis litterisque exculti, cum tenuior opifex tum exercitus dux, cum privatus paterfamilias tum rex populorum gubernator, cum ingenuae puellae deditaeque rei familiari mulieres tum regiae uxores atque imperatrices. Verum, quibusnam praedicemus laudibus illos evangelii praecones, qui in missionibus, opera propemodum infinita, bonorum quoque huius vitae feraci, una cum fidei lumine barbaris gentibus humani civilisque cultus commoda

[1] *Apol.*, 42.

tulerunt ac ferunt: quibusnam eos omnes, qui tot ac tam varia opera hominibus christiana caritate sublevandis condiderunt; quibusnam denique sanctos illos ex utroque sexu institutores, sane frequentissimos, qui suam christianae educationis operam per alios propagandam perpetuandamque, singulari sane cum familiarum ac nationum utilitate, curarunt?

Haec, haec quidem sunt quae ex christiana educatione proficiscuntur beneficia, idcirco quia ea ipsa hominem evehit atque effingit ad vitam virtutemque supernaturalem in Christo; quando quidem Iesus Christus Dominus noster, divinus Magister, cum sit eius vitae ac virtutis auctor et largitor, tum universis hominibus, in quacumque ii conditione versantur, iuvenibus praesertim, exemplum se praebet, in eo potissimum aetatis suae decursu intuendum atque imitandum, cum, obediens omnibusque virtutibus, quae singulos, familiam, societatem respiciunt, coram Deo et hominibus, exornatus, vitam obscure et laboriose traduxit.

Itaque omnes eiusmodi thesauri, quos, nunquam satis aestimandos, hucusque vix ex parte memoravimus, tam arcte ad Ecclesiam pertinent, ut eius velut naturam constituant, cum mysticum Christi corpus, immaculata Christi Sponsa, ideoque foecundissima Mater, itemque suprema ac perfecta educatrix Ecclesia sit. Quamobrem magnus ille atque ingeniosus Augustinus — cuius beato ab obitu saeculum quintum ac decimum acturi mox sumus — sancta erga talem Matrem caritate abreptus, has voces edebat: « Merito Ecclesia catholica, Mater christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas; sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis... Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadem etiam fraternitate coniungis. Doces Reges prospicere populis; mones populos se subdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria ». [1]

[1] *De moribus Ecclesiae catholicae*, lib. I, c. 30.

Supplices interea, Venerabiles Fratres, animos et manus ad caelum « ad Pastorem et Episcopum animarum nostrarum », [1] ad divinum Regem « Dominum dominantium » erigamus, ut ipse virtute omnipotenti sua iubeat, in orbe universo terrarum praeclaros christianae institutionis fructus cotidie magis percipi atque augeri, in singulorum hominum et populorum emolumentum.

Quorum autem caelestium munerum auspicem, paterno animo, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 31 mensis decembris anno 1929, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

---

[1] Cf. *I Petr.*, II, 25.

ALLEGATUM III

LITTERAE ENCYCLICAE SSMI D. N. PII PP. XI

DE MATRIMONIO CHRISTIANO SPECTATIS PRAESENTIBUS FAMILIAE ET SOCIETATIS CONDICIONIBUS NECESSITATIBUS ERRORIBUS VITIIS.

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. XI.

Venerabiles Fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Casti connubii quanta sit dignitas, ex eo maxime dignosci potest, Venerabiles Fratres, quod Christus Dominus, aeterni Patris Filius, carne lapsi hominis assumpta, non solum amantissimo illo consilio, quo universam nostri generis instaurationem peregit, hoc quoque societatis domesticae atque adeo humanae consortionis principium et fundamentum peculiari quadam ratione complecti voluit, sed illud etiam, ad pristinam divinae institutionis integritatem revocatum, ad verum et « magnum »[1] Novae Legis Sacramentum evexit, eiusque propterea disciplinam curamque totam Ecclesiae Sponsae Suae commisit.

Ex hac tamen matrimonii renovatione, ut apud omnes totius orbis et cuiusque temporis gentes exoptati colligantur fructus, hominum mentes in primis debent germana Christi de matrimonio doctrina illuminari; deinde christiani coniuges, interiore Dei gratia infirmas voluntates roborante, omne suam cogitandi agendique rationem ad purissimam illam Christi legem componant oportet, unde veram sibi ac familiae suae beatitudinem et pacem nanciscantur.

At contra, non modo Nos ex hac apostolica quasi specula circumspicimus, sed vos ipsi, Venerabiles Fratres, et cernitis et una Nobiscum profecto vehementer doletis complures homines, divinum

[1] *Ephes.*, V, 32.

illud instaurationis opus oblitos, tantam christiani coniugii sanctitatem aut penitus ignorare aut impudenter negare aut etiam, falsis novae cuiusdam et perversae admodum morum doctrinae principiis innixos, passim conculcare. Qui quidem perniciosissimi errores pravique mores cum etiam inter fideles induci coepti sint et sensim sine sensu altius in dies sese insinuare contendant, pro Christi in terris Vicarii ac supremi Pastoris et Magistri munere, Nostrum esse duximus apostolicam attollere vocem, ut oves Nobis commissas a venenatis pascuis deterreamus et, quantum in Nobis est, immunes servemus.

Vos igitur, Venerabiles Fratres, et per vos universam Ecclesiam Christi, atque adeo humanum genus universum, de christiani matrimonii natura, dignitate, commodis beneficiisque inde in familiam atque humanam ipsam societatem emanantibus, de erroribus gravissimo huic evangelicae doctrinae capiti contrariis, de vitiis eidem coniugali vitae adversis, de praecipuis denique remediis adhibendis, alioqui statuimus, vestigiis inhaerentes fel. rec. Leonis XIII, decessoris Nostri, cuius de matrimonio christiano Encyclicas Litteras *Arcanum*,[1] ante quinquaginta annos datas, hisce Nostris et Nostras facimus et confirmamus et, dum nonnulla pro aetatis nostrae condicionibus ac necessitatibus paulo fusius exponimus, non modo non obsolevisse sed plenam suam vim retinere declaramus.

Atque ut ab his ipsis Litteris initium faciamus, quae totae fere sunt in vindicanda divina matrimonii institutione eiusque sacramentali dignitate et perpetua firmitate, primum quidem id maneat immotum et inviolabile fundamentum: matrimonium non humanitus institutum neque instauratum esse, sed divinitus; non ab hominibus sed ab ipso auctore naturae Deo atque eiusdem naturae restitutore Christo Domino legibus esse communitum, confirmatum, elevatum; quae proinde leges nullis hominum placitis, nulli ne ipsorum quidem coniugum contrario convento obnoxiae esse possint. Haec Sacrarum Litterarum est doctrina,[2] haec constans atque universa Ecclesiae traditio, haec sollemnis Sacrae Tridentinae Synodi definitio, quae perpetuum indissolubilemque matrimonii nexum eiusdemque unitatem ac firmitatem a Deo auctore manare ipsis Sacrae Scripturae verbis praedicat atque confirmat.[3]

At, quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen humana quoque voluntas suas in eo partes habet easque nobilissimas; nam singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non

---

[1] Litt. enc. *Arcanum divinae sapientiae*, 10 febr. 1880.

[2] *Gen.*, I, 27-28; II, 22-23; MATTH., XIX, 3 sqq.; *Ephes.*, V, 23 sqq.

[3] Conc. Trid., sess. XXIV.

oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu: qui quidem liber voluntatis actus, quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium,[1] ad verum matrimonium constituendum tam necessarius est ut nulla humana potestate suppleri valeat.[2] Haec tamen libertas eo tantum spectat ut constet, utrum contrahentes re vera matrimonium inire et cum hac persona inire velint an non; libertati vero hominis matrimonii natura penitus subducitur, ita ut, si quis semel matrimonium contraxerit, divinis eius legibus et essentialibus proprietatibus subiciatur. Nam Angelicus Doctor de fide et prole disserens, « haec, inquit, in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur, ita quod si aliquid contrarium his exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium ».[3]

Coniugio igitur animi iunguntur et coalescunt, hique prius et arctius quam corpora, nec fluxo sensuum vel animorum affectu, sed deliberato et firmo voluntatum decreto: et ex hac animorum coagmentatione, Deo sic statuente, sacrum et inviolabile vinculum exoritur.

Quae contractus huius natura propria omnino et singularis, eum toto caelo diversum facit cum a coniunctionibus pecudum solo naturae caeco instinctu factis, in quibus nulla ratio est nec voluntas deliberata, tum ab iis quoque hominum vagis coniugiis, quae ab omni vero honestoque voluntatum vinculo remota sunt et quovis domestici convictus iure destituta.

Exinde iam constat legitimam auctoritatem iure pollere atque adeo cogi officio coercendi, impediendi, puniendi turpia coniugia, quae rationi ac naturae adversantur; sed cum de re agatur ipsam hominis naturam consequente, non minus certo constat id quod fel. rec. Leo XIII decessor Noster palam monuit:[4] « In deligendo genere vitae non est dubium, quin in potestate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle: aut Iesu Christi sectari de virginitate consilium, aut maritali se vinclo obligare. Ius coniugii naturale et primigenum homini adimere, causamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum nulla potest: ***Crescite et multiplicamini*** ».[5]

Itaque germani connubii sacrum consortium divina simul et humana voluntate constituitur: ex Deo sunt ipsa matrimonii institutio, fines, leges, bona; Deo autem dante atque adiuvante, ex

[1] Cf. Cod. iur. can., c. 1081 § 2.
[2] Cf. Cod. iur. can., c. 1081 § 1.
[3] S. Thom. Aquin., *Summa theolog.*, p. III, Supplem., q. XLIX, art. 3.
[4] Litt. enc., *Rerum novarum,* 15 maii 1891.
[5] *Gen.*, I, 28.

hominibus est, per generosam quidem propriae personae pro toto vitae tempore factam alteri traditionem, particulare quodlibet matrimonium cum officiis ac bonis a Deo statutis coniunctum.

I.

Quae vero quantaque sint haec veri matrimonii bona divinitus data dum exponere aggredimur, Venerabiles Fratres, illius Nobis praeclarissimi Ecclesiae Doctoris verba occurrunt, quem non ita pridem, Nostris Encyclicis Litteris *Ad salutem* pleno ab eius obitu saeculo XV datis,[1] celebravimus: « Haec omnia — inquit S. Augustinus — bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt: PROLES, FIDES, SACRAMENTUM ».[2] Quae tria capita qua ratione luculentissimam totius de christiano connubio doctrinae summam continere iure dicantur, ipse Sanctus Doctor diserte declarat, cum ait: « *In fide* attenditur ne praeter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur; *in prole*, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: *in sacramento* autem, ut coniugium non separetur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur. Haec est tamquam regula nuptiarum, qua vel naturae decoratur fecunditas vel incontinentiae regitur pravitas ».[3]

Itaque primum inter matrimonii bona locum tenet PROLES. Et sane ipse humani generis Creator, qui pro sua benignitate hominibus in vita propaganda administris uti voluit, id docuit cum in paradiso, matrimonium instituens, protoparentibus et per eos omnibus futuris coniugibus dixit: « Crescite et multiplicamini et replete terram ».[4] Quod ipsum Sanctus Augustinus ex Sancti Pauli Apostoli verbis ad Timotheum[5] perbelle eruit, dicens: « Generationis itaque causa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: *Volo*, inquit, *iuniores nubere*. Et quasi ei diceretur: *Utquid?*, continuo subiecit: *Filios procreare, matresfamilias esse* ».[6]

Quantum vero hoc Dei beneficium sit et matrimonii bonum ex hominis dignitate et altissimo fine apparet. Homo enim vel solius rationalis naturae praestantia omnes alias creaturas visibiles superat. Accedit, quod Deus homines generari vult, non ut solum

---

[1] Litt. enc. *Ad salutem*, 20 apr. 1930.
[2] S. AUGUST., *De bono coniug.*, cap. 24, n. 32.
[3] S. AUGUST., *De Gen. ad litt.*, lib. IX, cap. 7, n. 12.
[4] *Gen.*, I, 28.
[5] *I Tim.*, V, 14
[6] S. AUGUST., *De bono coniug.*, cap. 24, n. 32.

sint et impleant terram, sed multo magis, ut Dei cultores sint, ipsum cognoscant et ament eoque tandem perenniter fruantur in caelis; qui finis ex mirabili hominis per Deum in supernaturalem ordinem elevatione, omne superat quod oculus vidit et auris audivit et in cor hominis ascendit.[1] Ex quo facile apparet proles, omnipotenti Dei virtute, coniugibus cooperantibus, orta, quantum divinae bonitatis sit donum, quam egregius matrimonii fructus.

Christiani vero parentes intelligant praeterea se non iam solum ad genus humanum in terra propagandum et conservandum, immo vero, non ad quoslibet veri Dei cultores educandos destinari, sed ad pariendam Ecclesiae Christi subolem, ad cives Sanctorum et domesticos Dei[2] procreandos, ut populus Dei et Salvatoris nostri cultui addictus in dies augeatur. Etsi enim christiani coniuges, quamvis ipsi sanctificati, sanctificationem in prolem transfundere non valent, immo naturalis generatio vitae facta est mortis via, qua originale peccatum transeat in prolem; aliquid tamen quodammodo participant de primaevo illo paradisi coniugio, cum eorum sit propriam subolem Ecclesiae offerre, ut ab illa matre filiorum Dei foecundissima per lavacrum baptismatis ad supernaturalem iustitiam regeneretur, et vivum Christi membrum, immortalis vitae particeps, atque aeternae gloriae, quam omnes toto pectore concupiscimus, heres tandem fiat.

Quae si perpendat mater vere christiana, intelliget profecto, celsiore quodam et pleno solatii sensu, de se illud Redemptoris nostri dictum esse: « Mulier... cum peperit puerum, iam non meminit pressurae, propter gaudium, quia natus est homo in mundum »;[3] omnibusque materni officii doloribus, curis, oneribus maior effecta, multo iustius et sanctius quam matrona illa romana, Gracchorum mater, florentissima liberorum corona in Domino gloriabitur. Uterque vero coniux hos liberos, prompto gratoque animo e manu Dei susceptos, ut talentum sibi a Deo commissum intuebitur, quod non in suum neque in terrenae tantum reipublicae commodum impendat, sed in die rationis Domino cum fructu restituat.

Procreationis autem beneficio bonum prolis haud sane absolvitur, sed alterum accedat oportet, quod debita prolis educatione continetur. Parum profecto generatae proli atque adeo toti generi humano providisset sapientissimus Deus, nisi, quibus potestatem et ius dederat generandi, iisdem ius quoque et officium tribuisset educandi. Neminem enim latere potest prolem, ne in iis quidem quae ad naturalem vitam, multoque minus in iis quae ad vitam super-

---

[1] Cf. *I Cor.*, II, 9.
[2] Cf. *Ephes.*, II, 19.
[3] Io., XVI, 21.

naturalem pertinent, sibi ipsam sufficere et providere posse, sed aliorum auxilio, institutione, educatione per multos annos indigere. Compertum autem est, natura Deoque iubentibus, hoc educandae prolis ius et officium illorum in primis esse, qui opus naturae generando coeperunt, inchoatumque, imperfectum relinquentes, certae ruinae exponere omnino vetantur. Iamvero huic tam necessariae liberorum educationi optima qua fieri potuit ratione provisum est in matrimonio, in quo, cum parentes insolubili inter se vinculo connectantur, utriusque opera mutuumque auxilium semper praesto est.

Cum autem de christiana iuventutis educatione alias copiose egerimus,[1] haec omnia nunc iteratis Sancti Augustini verbis complectamur: « In prole [attenditur], ut amanter suscipiatur..., religiose educetur »;[2] quod quidem ipsum in Codice iuris canonici quoque nervose edicitur: « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis ».[3]

Neque id denique silendum quod, cum tantae dignitatis tantique momenti sit utrumque hoc munus parentibus in bonum prolis commissum, facultatis a Deo ad novam vitam procreandam datae honestus quilibet usus, ipso Creatore ipsaque naturae lege iubentibus, solius matrimonii ius est ac privilegium et intra sacros connubii limites est omnino continendus.

Alterum matrimonii bonum, quod diximus ab Augustino commemoratum, est bonum Fidei, quae est mutua coniugum in contractu coniugali implendo fidelitas, ut quod ex hoc contractu divina lege sancito alteri coniugi unice debetur, id neque ei denegetur neque cuivis permittatur; neque ipsi coniugi concedatur quod, utpote divinis iuribus ac legibus contrarium et a fide coniugali maxime alienum, concedi nunquam potest.

Quapropter haec fides in primis postulat absolutam coniugii unitatem, quam in protoparentum matrimonio Creator ipse praestituit, cum illud noluerit esse nisi inter unum virum et mulierem unam. Et quamquam deinde hanc primaevam legem supremus Legislator Deus ad tempus aliquantum relaxavit, nullum tamen dubium est quin illam pristinam perfectamque unitatem ex integro restituerit omnemque dispensationem abrogaverit Evangelica Lex, ut Christi verba et constans Ecclesiae sive docendi sive agendi modus palam ostendunt. Iure igitur Sacra Tridentina Synodus sollemniter professa est: « Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari

[1] Litt. enc., *Divini illius Magistri*, 31 dec. 1929.
[2] S. Augustin., *De Gen. ad litt.*, lib. IX, cap. 7, n. 12.
[3] Cod. iur. can., c. 1013 § 1.

et coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum ... dixit: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro*».[1]

Nec vero tantum damnatam voluit Christus Dominus quamlibet, sive successivam sive simultaneam, quae dicitur, polygamiae et polyandriae formam,[2] externumve aliud quodvis inhonestum opus, sed, ut sacra connubii septa inviolata prorsus custodiantur, ipsas quoque de his omnibus cogitationes voluntarias atque desideria prohibuit: «Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo».[3] Quae Christi Domini verba ne alterutrius quidem coniugis consensu irrita fieri possunt; Dei enim et naturae exhibent legem, quam nulla unquam hominum voluntas infringere aut flectere valet.[4]

Quin et mutua inter ipsos coniuges familiaris consuetudo, ut bonum fidei debito splendeat nitore, nota castitatis insigniri debet, ita ut coniuges ad Dei naturaeque legis normam sese in omnibus gerant, et sapientissimi sanctissimique Creatoris voluntatem cum magna erga Dei opus reverentia semper sequi studeant.

Haec autem, quae a Sancto Augustino aptissime appellatur *castitatis fides*, et facilior et multo etiam iucundior ac nobilior efflorescet ex altero capite praestantissimo: ex coniugali scilicet amore, qui omnia coniugalis vitae officia pervadit et quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis. «Postulat praeterea matrimonii fides ut vir et uxor singulari quodam sanctoque ac puro amore coniuncti sint; neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam; hanc enim regulam Apostolus praescripsit, cum ait: *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam*;[5] quam certe immensa illa caritate, non sui commodi gratia, sed Sponsae tantum utilitatem sibi proponens, complexus est».[6] Caritatem igitur dicimus, non carnali tantum citiusque evanescente inclinatione innixam, neque in blandis solum verbis, sed etiam in intimo animi affectu positam atque, — siquidem probatio dilectionis exhibitio est operis[7] — opere externo comprobatam. Hoc autem opus in domestica societate non modo mu-

---

[1] Conc. Trid., sess. XXIV.

[2] Vox «successiva» heic indicat aliud coniugium, perdurante primi matrimonii vinculo (Nota auctoris).

[3] Matth., V, 28.

[4] Cf. Decr. S. Officii, 2 martii 1679, propos. 50.

[5] *Ephes.*, V, 25; cf. *Col.*, III, 19.

[6] *Catech. Rom.*, II, cap. VIII, q. 24.

[7] Cf. S. Greg. M., *Homil. XXX in Evang.* (Io., XIV, 23-31), n. 1.

tuum auxilium complectitur, verum etiam ad hoc extendatur oportet, immo hoc in primis intendat, ut coniuges inter se iuventur ad interiorem hominem plenius in dies conformandum perficiendumque; ita ut per mutuam vitae consortionem in virtutibus magis magisque in dies proficiant, et praecipue in vera erga Deum proximosque caritate crescant, in qua denique « universa Lex pendet et Prophetae ».[1] Scilicet absolutissimum totius sanctitatis exemplar hominibus a Deo propositum, quod est Christus Dominus, omnes cuiuscumque sunt condicionis et quamcumque honestam vitae rationem inierunt, possunt ac debent imitari atque, Deo adiuvante, ad summum quoque christianae perfectionis fastigium, ut complurium Sanctorum exemplis comprobatur, pervenire.

Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut docet Catechismus Romanus,[2] etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipiatur.

Cum hac eadem caritate reliqua coniugii tam iura quam officia componantur necesse est; ita ut non solum iustitiae lex, sed etiam caritatis norma sit illud Apostoli: « Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro ».[3]

Firmata denique huius caritatis vinculo domestica societate, floreat in ea necesse est ille, qui ab Augustino vocatur *ordo amoris*. Qui quidem ordo et viri primatum in uxorem et liberos, et uxoris promptam nec invitam subiectionem obtemperationemque complectitur, quam commendat Apostolus his verbis: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae ».[4]

Haec autem obtemperatio non libertatem negat neque aufert, quae ad mulierem tam pro humanae personae praestantia quam pro nobilissimis uxoris, matris, sociae muneribus pleno iure pertinet; neque obsecundare eam iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxoris dignitati minus congruentibus, nec denique uxorem aequiparandam docet personis, quae in iure minores dicuntur, quibus ob maturioris iudicii defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet; sed vetat exaggeratam illam licentiam, quae familiae bonum non curat, vetat in hoc familiae corpore cor separari a capite, cum ma-

---

[1] Matth., XXII, 40.
[2] Cf. *Catech. Rom.*, p. II, cap. VIII, q. 13.
[3] *I Cor.*, VII, 3.
[4] *Ephes.*, V, 22-23.

ximo totius corporis detrimento et proximo ruinae periculo. Si enim vir est caput, mulier est cor, et sicut ille principatum tenet regiminis haec amoris principatum sibi ut proprium vindicare potest et debet.

Haec dein uxoris viro suo obtemperatio, ad gradum et modum quod attinet, varia esse potest pro variis personarum, locorum, temporum condicionibus; immo si vir officio suo defuerit, uxoris est vices eius in dirigenda familia supplere. At ipsam familiae structuram eiusque legem praecipuam, a Deo constitutam et firmatam, evertere aut tangere numquam et nusquam licet.

Persapienter de hoc uxorem inter et virum ordine servando fel. rec. decessor Noster Leo XIII in iis, quas commemoravimus, de christiano coniugio Encyclicis Litteris docet: « Vir est familiae princeps et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius, et os de ossibus eius, subiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae; ut scilicet oboedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii ».[1]

Haec sunt igitur, quae bono fidei comprehenduntur: unitas, castitas, caritas, honesta nobilisque oboedientia; quae, quot sunt nomina, tot sunt coniugum atque coniugii emolumenta, quibus pax, dignitas, felicitas matrimonii in tuto collocentur atque promoveantur. Quare mirum profecto non est, hanc fidem inter eximia et matrimonii propria bona semper fuisse numeratam atque habitam.

Attamen tantorum beneficiorum summa completur et quasi cumulatur illo christiani coniugii bono, quod Augustini verbo nuncupavimus Sacramentum, quo denotatur et vinculi indissolubilitas et contractus in efficax gratiae signum per Christum facta elatio atque consecratio.

Et primo quidem, indissolubilem foederis nuptialis firmitatem ipse Christus urget dicendo: « Quod Deus coniunxit, homo non separet »;[2] et « Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur ».[3]

In hac autem indissolubilitate Sanctus Augustinus hoc quod vocat bonum Sacramenti ponit apertis his verbis: « In Sacramento autem [attenditur], ut coniugium non separetur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur ».[4]

---

[1] Litt. enc., *Arcanum*, 10 febr. 1880.
[2] Matth., XIX, 6.
[3] Luc., XVI, 18.
[4] S. August., *De Gen. ad litt.*, lib. IX c. 7 n. 12.

Atque haec inviolabilis firmitas, quamquam non eadem perfectissimaque mensura ad singula, ad omnia tamen vera coniugia pertinet: nam illud Domini: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, cum de protoparentum connubio, cuiusvis futuri coniugii prototypo, dictum sit, ad omnia prorsus vera matrimonia spectare necesse est. Quamquam igitur ante Christum illa primaevae legis sublimitas et severitas adeo temperata est, ut Moyses ipsius populi Dei civibus ad duritiam cordis eorum libellum repudii certis de causis dare permiserit: Christus tamen pro sua supremi legislatoris potestate hanc maioris licentiae permissionem revocavit et primaevam in integrum restituit legem per illa verba nunquam oblivioni danda: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quare sapientissime fel. rec. Pius VI decessor Noster ad Agriensem Episcopum rescribens: «Quo manifesto patet, inquit, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante multo quam ad proprie dicti Sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet Sacramenti ratio a matrimonio seiungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine divino iure matrimonio ita cohaeret, ut nulli subsit civili potestati. Atque adeo quodcumque matrimonium contrahi dicatur, vel ita contrahitur ut reapse sit verum matrimonium, tumque adiunctum habebit perpetuum illum nexum divino iure omni vero matrimonio cohaerentem; vel contrahi supponitur sine illo perpetuo nexu, tumque matrimonium non est, sed illicita coniunctio divinae legi ex obiecto repugnans: quae proinde nec iniri potest nec retineri».[1]

Quod si exceptioni, etsi rarissimae, haec firmitas obnoxia videatur, ut in quibusdam coniugiis naturalibus solum inter infideles initis vel, si inter christifideles, ratis illis quidem sed nondum consummatis, ea exceptio non ex hominum voluntate pendet, neque potestatis cuiuslibet mere humanae, sed ex iure divino, cuius una custos atque interpres est Ecclesia Christi. Nulla tamen, neque ullam ob causam, facultas huiusmodi cadere unquam poterit in matrimonium christianum ratum atque consummatum. In eo enim, quemadmodum maritale foedus plene perficitur, ita maxima quoque ex Dei voluntate firmitas atque indissolubilitas, nulla hominum auctoritate relaxanda, elucet.

Huius autem divinae voluntatis intimam rationem si reverenter investigare velimus, Venerabiles Fratres, facile eam inveniemus in mystica christiani connubii significatione, quae in consummato

[1] Pius VI, *Rescript. ad Episc. Agrien.*, 11 iul. 1789.

inter fideles matrimonio plene perfecteque habetur. Teste enim Apostolo, in sua (quem ab initio innuimus) ad Ephesios epistola,[1] christianorum connubium perfectissimam illam refert coniunctionem, quae Christum inter et Ecclesiam intercedit: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia »: quae quidem coniunctio, quamdiu Christus vivet et Ecclesia per ipsum, nulla profecto separatione unquam dissolvi poterit. Quod etiam Sanctus Augustinus diserte docet his verbis: « Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cuius Sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri, ... hoc est in Ecclesia Christi...; ut cum filiorum procreandorum causa, vel nubant foeminae, vel ducantur uxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere ut alia foecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius saeculi (ubi, interveniente repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia; quod etiam sanctum Moysen Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur); sed lege Evangelii reus est adulterii, sicut etiam illa si alteri nupserit ».[2]

Quot vero quantaque ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, eum fugere non potest qui vel obiter cogitet sive de coniugum prolisque bono sive de humanae societatis salute. Et primum quidem coniuges hac infirmitate certum habent perennitatis signaculum, quod generosa propriae personae traditio et intima suorum animorum consociatio suapte natura tantopere exigit, cum vera caritas finem nesciat.[3] Firmum praeterea adstruitur fidae castitati propugnaculum contra infidelitatis incitamenta, si qua interius exteriusve obiciantur; anxio timori num adversitatis aut senectutis tempore alter coniux sit recessurus, quivis praecluditur aditus eiusque loco quieta statuitur certitudo. Servandae item utriusque coniugis dignitati ac mutuo auxilio praestando quam aptissime providetur, cum per insolubile vinculum perpetuo perseverans coniuges continenter admoneantur se non caducarum rerum causa, nec cupiditati ut inservirent, sed ut altiora et perpetua bona sibi mutuo procurarent, nuptiale iniisse consortium, quod nisi morte solvi non queat. Liberorum quoque tuitioni et educationi, quae ad multos annos produci debet, optime consulitur, cum gravia et diuturna huius officii onera unitis viribus facilius a parentibus ferantur. Neque minora toti humanae consortioni oriuntur bona. Usu enim cognitum habemus matrimoniorum inconcussam firmitatem uberrimum esse honestae vitae morumque integritatis fon-

[1] *Ephes.*, V, 32.
[2] S. Augustin., *De nupt. et concup.*, lib. 1, cap. 10.
[3] *I Cor.*, XIII, 8.

tem; hoc autem ordine servato, felicitas salusque rei publicae in tuto positae sunt: nam talis est civitas, quales sunt familiae et homines, ex quibus ea constat, ut corpus ex membris. Quapropter, cum de privato coniugum et prolis, tum de publico societatis humanae bono optime merentur, qui inviolabilem matrimonii firmitatem strenue defendunt.

Verum hoc Sacramenti bono, praeter indissolubilem firmitatem, multo etiam celsiora emolumenta continentur, per ipsam *Sacramenti* vocem aptissime designata; christianis enim hoc non inane et vacuum est nomen, cum Christus Dominus « Sacramentorum institutor atque perfector »,[1] suorum fidelium matrimonium ad verum et proprium Novae Legis Sacramentum provehendo, illud re vera effecerit peculiaris illius interioris gratiae signum et fontem, qua eius « naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret ».[2]

Et quoniam Christus ipsum coniugalem inter fideles validum consensum signum gratiae constituit, ratio Sacramenti cum christiano coniugio tam intime coniungitur, ut nullum inter baptizatos verum matrimonium esse possit, « quin sit eo ipso Sacramentum ».[3]

Cum igitur sincero animo fideles talem consensum praestant, aperiunt sibi sacramentalis gratiae thesaurum, ex quo supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda.

Hoc enim Sacramentum, in iis qui obicem, ut aiunt, non opponunt, non solum permanens vitae supernaturalis principium, gratiam scilicet sanctificantem, auget, sed etiam peculiaria addit dona, bonos animi motus, gratiae germina, naturae vires augendo ac perficiendo, ut coniuges non ratione tantum intelligere, sed intime sapere firmiterque tenere, efficaciter velle et opere perficere valeant quidquid ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet; ius denique iis concedit ad actuale gratiae auxilium toties impetrandum, quotiescumque ad munera huius status adimplenda eo indigent.

Attamen, cum divinae Providentiae in ordine supernaturali lex sit ut homines ex Sacramentis, quae post adeptum rationis usum recipiant, fructum plenum non colligant, nisi gratiae respondeant, gratia matrimonii magna ex parte talentum inutile, in agro reconditum, manebit, nisi coniuges supernaturales vires exerceant ac recepta gratiae semina colant atque evolvant. Si autem, faciendo quod in se est, ad gratiam se dociles praebeant, sui status onera

[1] Conc. Trid., sess. XXIV.
[2] Conc. Trid., sess. XXIV.
[3] Cod. iur. can., c. 1012.

ferre atque officia implere poterunt eruntque tanto Sacramento roborati et sanctificati et quasi consecrati. Nam, ut Sanctus Augustinus docet, sicut per Baptismum et Ordinem homo deputatur et iuvatur sive ad vitam christiano more degendam sive ad sacerdotale munus gerendum, eorumque sacramentali auxilio nunquam destituitur, eodem fere modo (quamquam non per characterem sacramentalem), fideles, qui semel matrimonii vinculo iuncti fuerint, eius sacramentali adiutorio ac ligamine privari nunquam possunt. Quin immo, ut addit idem Sanctus Doctor, vinculum illud sacrum, etiam adulteri facti, secum trahunt, quamquam non iam ad gratiae gloriam, sed ad noxam criminis, « sicut apostata anima, velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit ».[1]

Iidem vero coniuges, aureo Sacramenti ligamine non constricti sed ornati, non impediti sed roborati, omnibus viribus ad hoc nitantur, ut suum connubium non solum per Sacramenti vim et significationem, sed etiam per ipsorum mentem ac mores sit semper et maneat viva imago fecundissimae illius unionis Christi cum Ecclesia, quae est venerandum profecto perfectissimae caritatis mysterium.

Quae omnia, Venerabiles Fratres, si attento animo et viva fide perpendantur, si eximia haec matrimonii bona, proles, fides, sacramentum, debita luce illustrentur, nemo potest divinam sapientiam et sanctitatem et benignitatem non admirari, quae cum dignitati ac felicitati coniugum, tum humani generis conservationi propagationique, in sola nuptialis foederis casta sacraque consortione procurandae, tam copiose providerit.

II.

Quo libentius tantam casti connubii praestantiam perpendimus, Venerabiles Fratres, eo magis Nobis dolendum videtur, quod divinum hoc institutum, nostra potissimum aetate, spretum saepe ac passim abiectum conspicimus.

Non iam enim occulte neque in tenebris, sed palam, quovis pudoris sensu deposito, qua voce qua scriptis, scaenicis cuiusque generis ludis, fabulis romanensibus, amatoriis ludicrisque narrationibus, cinematographicis quae dicuntur imaginibus, radiophonicis orationibus, omnibus denique recentioris scientiae inventis, matrimonii sanctitas vel conculcatur vel deridetur; divortia, adulteria, turpissima quaeque vitia aut laudibus extolluntur aut saltem iis depinguntur coloribus, ut ab omni culpa et infamia vindi-

[1] S. Augustin., *De nupt. et concup.*, lib. I, cap. 10.

cari videantur. Nec desunt libri, quos scientificos praedicare non verentur, sed qui re vera non raro solum quodam scientiae fuco idcirco illiti sunt, quo faciliorem inveniant sese insinuandi viam. Quae autem in iis propugnantur doctrinae, eae venditantur recentioris ingenii portenta, illius nimirum ingenii, quod, veritatis unice studiosum, praeiudicatas quaslibet veterum opiniones abdicasse perhibetur, quodque inter has obsoletas opiniones etiam traditam de coniugio christianam doctrinam amandat atque relegat.

Et instillantur haec omne genus hominibus, divitibus et egenis, operariis et heris, doctis et indoctis, solutis et connubio ligatis, Dei cultoribus et osoribus, adultis et iuvenibus; his praesertim, utpote faciliori captu praedae, peiores struuntur insidiae.

Non omnes quidem novarum huiusmodi doctrinarum fautores ad extrema quaeque indomitae libidinis consectaria devehuntur, sunt qui, medio quasi itinere consistere enisi, in quibusdam tantum divinae naturalisque legis praeceptis aliquid nostris temporibus concedendum putent. Sed hi quoque, plus minusve conscii, emissarii sunt illius inimici nostri, qui semper conatur zizania superseminare in medio tritici.[1] Nos igitur, quos Paterfamilias agri sui custodes posuit, quosque sacrosanctum urget officium cavendi ne bonum semen herbis nocentibus opprimatur, Nobismet ipsis a Spiritu Sancto dicta existimamus gravissima, quibus Apostolus Paulus dilectum suum Timotheum hortabatur verba: « Tu vero vigila... Ministerium tuum imple... Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina ».[2]

Et quoniam, ut inimici fraudes vitari possint, detegi eas ante necesse est, multumque iuvat eius fallacias incautis denuntiare, quamvis profecto mallemus huiusmodi flagitia nec nominare « sicut decet Sanctos »,[3] propter animarum tamen bonum et salutem, ea penitus silere non possumus.

Ut igitur ab horum malorum fontibus incipiamus, praecipua eorum radix in eo est quod matrimonium non ab Auctore naturae institutum neque a Christo Domino in veri Sacramenti dignitatem evectum, sed ab hominibus inventum vocitent. In natura ipsa eiusque legibus alii se nihil matrimonii invenisse asseverant, sed deprehendisse tantum procreandae vitae facultatem ad eamque quoquo pacto satiandam impulsum vehementem; alii tamen initia quaedam ac veluti germina veri connubii in hominis natura inveniri agnoscunt, quatenus, nisi stabili quodam vinculo consocientur

[1] Cf. Matth., XIII, 25.
[2] *II Tim.*, IV, 2-5.
[3] *Ephes.*, V, 3.

homines, dignitati coniugum et naturali prolis propagandae et educandae fini bene provisum non esset. Nihilominus hi quoque docent matrimonium ipsum, quippe quod illa germina excedat, variis concurrentibus causis, sola hominum mente inventum, sola hominum voluntate esse institutum.

Quanto opere autem hi omnes errent quamque turpiter ab honestate deflectant, iam ex his constat quae de origine ac natura coniugii, de finibus bonisque in eo insitis Nostris his Litteris exposuimus. Perniciosissima vero haec commenta esse, ex consectariis etiam elucet, quae ipsi illorum defensores inde deducunt: leges, instituta ac mores quibus connubium regatur, cum sola hominum voluntate sint parta, ei soli subesse, ideoque pro humano lubitu et humanarum rerum vicissitudinibus condi, immutari, abrogari et posse et debere; generativam autem vim, quippe quae in ipsa natura nitatur, et sacratiorem esse et latius patere quam matrimonium: exerceri igitur posse tam extra quam intra connubii claustra, etiam neglectis matrimonii finibus, quasi scilicet impudicae mulieris licentia eisdem fere gaudeat iuribus, quibus legitimae uxoris casta maternitas.

Hisce principiis innixi, quidam eo devenerunt, ut nova effingerent coniunctionum genera, ad praesentes hominum ac temporum rationes, ut opinantur, accommodata, quae totidem novas matrimonii species esse volunt: aliud *ad tempus*, aliud *ad experimentum*, aliud *amicale* quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicat, dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint.

Immo non desunt qui velint et instent ut etiam legibus huiusmodi portenta probentur aut saltem publicis populorum usibus institutisque excusentur; et ne suspicari quidem videntur talia nihil sane habere recentioris *culturae* de qua tantopere gloriantur, sed nefandas esse corruptelas, quae ad barbaros quarundam ferarum gentium usus etiam cultas nationes procul dubio redigerent.

Sed, ut ad singula iam, Venerabiles Fratres, tractanda accedamus, quae singulis matrimonii bonis opponuntur, primum de prole sit sermo, quam multi molestum connubii onus vocare audent, quamque a coniugibus, non per honestam continentiam (etiam in matrimonio, utroque consentiente coniuge, permissam) sed vitiando naturae actum, studiose arcendam praecipiunt. Quam quidem facinorosam licentiam alii sibi vindicant, quod prolis pertaesi solam sine onere voluptatem explere cupiunt, alii quod dicunt se neque continentiam servare, neque ob suas vel matris vel rei familiaris difficultates prolem admittere posse.

At nulla profecto ratio, ne gravissima quidem, efficere potest,

ut quod intrinsece est contra naturam, id cum natura congruens et honestum fiat. Cum autem actus coniugii suapte natura proli generandae sit destinatus, qui, in eo exercendo, naturali hac eum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur.

Quare mirum non est, ipsas quoque Sacras Litteras testari Divinam Maiestatem summo prosequi odio hoc nefandum facinus illudque interdum morte puniisse, ut memorat Sanctus Augustinus: «Illicite namque et turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod faciebat Onan, filius Iudae, et occidit illum propter hoc Deus ».[1]

Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque unquam intermissa manifesto recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam sollemniter praedicandam censuerint, Ecclesia Catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari.

Sacerdotes igitur, qui confessionibus audiendis dant operam, aliosque qui curam animarum habent, pro suprema Nostra auctoritate et omnium animarum salutis cura, admonemus, ne circa gravissimam hanc Dei legem fideles sibi commissos errare sinant, et multo magis, ut ipsi se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodiant, neve in iis ullo modo conniveant. Si quis vero Confessarius aut animarum Pastor, quod Deus avertat, fideles sibi creditos aut in hos errores ipsemet induxerit, aut saltem sive approbando sive dolose tacendo in iis confirmarit, sciat se Supremo Iudici Deo de muneris proditione severam redditurum esse rationem, sibique dicta existimet Christi Verba: « Caeci sunt, et duces caecorum: caecus autem, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt ».[2]

Causae vero, ob quas matrimonii malus usus defenditur, non raro — ut de iis quae turpes sunt taceamus — fictae aut exaggeratae proferuntur. Nihilominus pia Mater Ecclesia optime intelligit atque persentit quae de matris sanitate, vita periclitantis, di-

[1] S. August., *De coniug. adult.*, lib. II, n. 12; cf. *Gen.*, XXXVIII, 8-10; S. Poenitent., 3 apr., 3 iunii 1916.

[2] Matth., XV, 14; S. Offic., 22 nov. 1922.

cuntur. Ecquis nisi miserenti animo haec perpendere possit? Quis non summa afficiatur admiratione, si quando matrem cernat vix non certae sese morti, heroica fortitudine, offerentem, ut proli semel conceptae vitam conservet? Quod ipsa fuerit perpessa ut naturae officium plene impleret, id unus Deus ditissimus et miserentissimus retribuere poterit, dabitque profecto mensuram non tantum confertam sed supereffluentem.[1]

Optime etiam novit Sancta Ecclesia, non raro alterum ex coniugibus pati potius quam patrare peccatum, cum ob gravem omnino causam perversionem recti ordinis permittit, quam ipse non vult, eumque ideo sine culpa esse, modo etiam tunc caritatis legem meminerit et alterum a peccando arcere et removere ne negligat. Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorundam defectuum causas nova inde vita oriri non possit. Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio.

Vehementer item Nos percellunt illorum coniugum gemitus, qui, dura egestate oppressi, gravissimam in alendis liberis difficultatem patiuntur.

At cavendum omnino est ne funestae externarum rerum conditiones multo funestiori errori occasionem praebeant. Nullae enim exurgere possunt difficultates quae mandatorum Dei, actus, ex interiore natura sua malos, vetantium, obligationi derogare queant; in omnibus vero rerum adiunctis semper possunt coniuges, gratia Dei roborati, suo munere fideliter fungi et castitatem a turpi hac macula illibatam in coniugio conservare; nam stat fidei christianae veritas, Synodi Tridentinae magisterio expressa: « Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti [debet], Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis ».[2] Eademque doctrina iterum sollemniterque praecepta est ab Ecclesia et confirmata in damnatione haeresis iansenianae, quae contra Dei bonitatem haec blasphemare erat ausa: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant ».[3]

---

[1] Luc., VI, 38.

[2] Conc. Trid., sess. VI, cap. 11.

[3] Const. Apost. *Cum occasione*, die 31 maii 1653, prop. 1.

Sed aliud, etiam, Venerabiles Fratres, gravissimum commemorandum est facinus, quo vita prolis, in sinu materno reconditae, attentatur. Id autem permissum volunt alii et matris patrisve beneplacito relictum; alii tamen illicitum dicunt, nisi pergraves accedant causae, quas medicae, socialis, eugenicae *indicationis* nomine appellant. Hi omnes quod ad poenales reipublicae leges attinet, quibus genitae necdum natae prolis peremptio prohibetur, exigunt, ut quam singuli, alii aliam, defendunt *indicationem*, eandem etiam leges publicae agnoscant et ab omni poena liberam declarent. Immo nec desunt qui postulent, ut ad has letiferas sectiones magistratus publici praebeant auxiliatrices manus; id quod, proh dolor!, alicubi quam frequentissime fieri omnibus notum est.

Quod vero attinet ad « indicationem medicam et therapeuticam » — ut eorum verbis utamur — iam diximus, Venerabiles Fratres, quantopere Nos misereat matris, cui ex naturae officio gravia imminent sanitatis, immo ipsius vitae pericula: at quae possit umquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? De hac enim hoc loco agitur. Sive ea matri infertur sive proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae: « Non occides! ».[1] Res enim aeque sacra utriusque vita, cuius opprimendae nulla esse umquam poterit ne publicae quidem auctoritati facultas. Ineptissime autem haec contra innocentes repetitur e iure gladii, quod in solos reos valet: neque ullum viget hic cruentae defensionis ius contra iniustum aggressorem (nam quis innocentem parvulum iniustum aggressorem vocet?); neque ullum adest « extremae necessitatis ius » quod vocant, quodque usque ad innocentis directam occisionem pervenire possit. In utraque igitur et matris et prolis vita tuenda ac servanda probi expertique medici cum laude enituntur; contra, nobili medicorum nomine et laude indignissimos se ii probarent, quotquot alterutri, per speciem medicandi, vel falsa misericordia moti, ad mortem insidiarentur.

Quae quidem plane severis consonant verbis quibus Episcopus Hipponensis in coniuges depravatos invehitur, qui prolis quidem praecavere student, at, si nullo exitu, nefarie eam interimere non verentur: « Aliquando eo usque, inquit, pervenit haec libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret, et si nihil valuerit, conceptos fetus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem prius interire quam vivere, aut si in utero iam vivebat, occidi antequam nasci. Prorsus, si ambo tales sunt, coniuges non sunt: et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium sed per stuprum potius convenerunt: si autem

[1] *Exod.*, XX, 13: cf. Decr. S. Offic. 4 maii 1898, 24 iulii 1895, 31 maii 1884.

non ambo sunt, tales, audeo dicere: aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris ».[1]

Quae autem afferuntur pro sociali et eugenica *indicatione*, licitis honestisque modis et intra debitos limites, earum quidem rerum ratio haberi potest et debet; at necessitatibus, quibus eae innituntur, per occisionem innocentium providere velle absonum est praeceptoque divino contrarium, apostolicis etiam verbis promulgato: Non esse facienda mala ut eveniant bona.[2]

Iis denique, qui apud nationes principatum tenent feruntve leges, oblivioni dare non licet auctoritatis publicae esse, congruis legibus poenisque, innocentium vitam defendere, idque eo magis, quo minus ii, quorum vita periclitatur et impugnatur, se ipsi defendere valent, inter quos primum sane locum tenent infantes in visceribus maternis abditi. Quod si publici magistratus parvulos illos non solum non tueantur, sed, legibus suisque ordinationibus, permittant atque adeo tradant medicorum aliorumve manibus occidendos, meminerint Deum iudicem esse et vindicem sanguinis innocentis, qui de terra clamat ad caelum.[3]

Reprobetur denique oportet perniciosus ille usus, qui proxime quidem naturale hominis ius ad matrimonium ineundum spectat, sed ad prolis quoque bonum vera quadam ratione pertinet. Sunt enim qui, de finibus *eugenicis* nimium solliciti, non solum salubria quaedam dent consilia ad futurae prolis valetudinem ac robur tutius procurandum — quod rectae rationi utique contrarium non est — sed cuilibet alii etiam altioris ordinis fini *eugenicum* anteponant, et coniugio auctoritate publica prohiberi velint eos omnes ex quibus, secundum disciplinae suae normas et coniecturas, propter hereditariam transmissionem, mancam vitiosamque prolem generatum iri censent, etiamsi iidem sint ad matrimonium ineundum per se apti. Quin immo naturali illa facultate, ex lege, eos, vel invitos, medicorum opera privari volunt; neque id ad cruentam sceleris commissi poenam publica auctoritate repetendam, vel ad futura eorum crimina praecavenda, licebit, scilicet contra omne ius et fas ea magistratibus civilibus arrogata facultate, quam numquam habuerunt nec legitime habere possunt.

Quicumque ita agunt, perperam dant oblivioni sanctiorem esse familiam Statu, hominesque in primis non terrae et tempori, sed caelo et aeternitati generari. Et fas profecto non est homines, matrimonii ceteroqui capaces, quos, adhibita etiam omni cura et diligentia, nonnisi mancam genituros esse prolem conicitur, ob

---

[1] S. Augustin., *De nupt. et concupisc.*, cap. XV.
[2] Cf. *Rom.*, III, 8.
[3] Cf. *Gen.*, IV, 10.

eam causam gravi culpa onerare si coniugium contrahant, quamquam saepe matrimonium iis dissuadendum est.

Publici vero magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec *eugenicis* nec ullis aliis de causis possunt unquam. Idem docet Sanctus Thomas Aquinas, cum, inquirens num humani iudices ad futura mala praecavenda hominem possint malo quodam plectere, id quidem concedit quod ad quaedam alia mala, sed iure meritoque negat quod ad corporis laesionem: «Numquam secundum humanum iudicium aliquis debet puniri, sine culpa, poena flagelli, ut occidatur vel mutiletur vel verberetur ».[1]

Ceterum, quod ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat.

Iam ut ad alterum caput errorum, quod fidem coniugii respicit, veniamus, quidcumque in prolem peccatur, consequens est in fidem quoque coniugii peccari quodammodo, cum alterum alteri sit connexum matrimonii bonum. At totidem praeterea contra coniugii fidem singillatim enumeranda sunt errorum et corruptelarum capita, quot eadem fides complectitur domesticas virtutes: castam scilicet utriusque coniugis fidelitatem, uxoris honestam viro obtemperationem, firmam denique germanamque inter utrumque caritatem.

Fidelitatem igitur primo corrumpunt, qui huius temporis opinionibus ac moribus de falsa quadam nec innocua amicitia cum extraneis indulgendum putant, et maiorem quandam in mutuis hisce rationibus sentiendi atque agendi licentiam coniugibus concedendam esse asserunt, idque eo magis quod (ut autumant) non pauci habeant congenitam indolem sexualem, cui intra angustos connubii monogamici limites satisfacere non possint. Quapropter honestorum coniugum rigidum illum animi habitum, qui omnem cum extraneis libidinosum affectum et actum damnat et recusat, obsoletam quandam esse censent mentis animique debilitatem, aut abiectam et vilem obtrectationem seu zelotypiam: et ideo, quaecumque de fide coniugali retinenda latae fuerint poenales reipublicae leges, eas irritas esse volunt, aut certe irritandas.

Nobilis quidem castorum coniugum animus commenta haec, vel sola natura duce, ut vana et turpia respuit profecto atque contemnit;

[1] *Summ. theolog.*, 2ª 2ae, q. 108, a. 4 ad 2m.

et hanc naturae vocem approbat sane atque confirmat cum Dei mandatum « Non moechaberis »,[1] tum illud Christi: « Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo ».[2] Nullae autem humanae consuetudines vel exempla prava, nullaque progressae humanitatis species poterunt umquam huius divini praecepti vim infirmare. Nam quemadmodum unus idemque « Iesus Christus heri et hodie ipse et in saecula »,[3] ita una eademque Christi doctrina permanet, ex qua ne unus quidem apex praeteribit, donec omnia fiant.[4]

Quicumque vero nuptialis fidei et castimoniae nitorem scribendo dicendoque obscurant, iidem errorum magistri fidam honestamque mulieris viro obtemperationem facile labefactant. Audacius etiam complures ex iis indignam illam esse alterius coniugis erga alterum servitutem effutiunt; aequalia inter coniuges omnia esse iura; quae cum unius servitutes violentur, quandam mulieris *emancipationem* superbissime praedicant peractam esse vel peragendam. Hanc autem triplicem, sive in domestica societate regenda, sive in re familiari administranda, sive in prolis vita arcenda vel perimenda, statuunt, et *socialem, oeconomicam, physiologicam* vocant: physiologicam quidem, quatenus mulieres ab oneribus uxoris, sive coniugalibus, sive maternis, pro sua libera voluntate solutas aut solvendas volunt (hanc autem non emancipationem, sed nequam facinus esse iam satis diximus), oeconomicam vero, qua volunt mulierem, etiam inscio et repugnante viro, libere posse sua sibi negotia habere, gerere, administrare, liberis, marito familiaque tota posthabitis; socialem denique, quatenus ab uxore curas domesticas sive liberorum sive familiae removent, ut, iis neglectis, suo ingenio indulgere valeat, et negotiis officiisque etiam publicis addicatur.

At ne haec quidem est vera mulieris emancipatio neque illa rationi congruens et dignissima libertas, quae christianae nobilique mulieris et uxoris muneri debetur; potius est muliebris ingenii et maternae dignitatis corruptio et totius familiae perversio, qua maritus privatur uxore, proles matre, domus familiaque tota vigili semper custode. Quin immo in ipsius mulieris perniciem vertitur haec falsa libertas et non naturalis cum viro aequalitas; nam si mulier ab regia illa descendit sede, ad quam per Evangelium intra domesticos parietes evecta est, brevi in veterem servitutem (sin minus specie, re tamen vera) redigetur, fietque, ut apud ethnicos erat, merum viri instrumentum.

---

[1] *Exod.*, XX, 14.
[2] Matth., V, 28.
[3] *Hebr.*, XIII, 8.
[4] Cf. Matth., V, 18.

Aequalitas autem illa iurium, quae tantopere exaggeratur et praetenditur, in iis quidem agnosci debet, quae propria sunt personae ac dignitatis humanae, quaeque nuptialem pactionem consequuntur et coniugio sunt insita; in iisque profecto uterque coniux eodem omnino iure gaudet eodemque debito tenetur; in ceteris, inaequalitas quaedam et temperatio adesse debet, quam familiae bonum ac debita domesticae societatis et ordinis unitas firmitasque postulant.

Sicubi tamen sociales et oeconomicae condiciones mulieris nuptae, ob mutatos conversationum humanarum modos et usus, aliquo pacto mutari debent, auctoritatis publicae est, civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates et indulgentias aptare, habita quidem ratione eorum, quae exigunt diversa sexus feminei indoles naturalis, morum honestas, commune familiae bonum, modo etiam essentialis ordo societatis domesticae incolumis maneat, qui altiore quam humana, id est, divina auctoritate atque sapientia conditus est, et nec legibus publicis nec privatis beneplacitis mutari potest.

Sed ulterius etiam progrediuntur recentiores coniugii osores, eo quod germano solidoque amori, coniugalis felicitatis et intimae dulcedinis fundamento, caecam quandam sufficiunt indolis convenientiam consensionemque ingenii, quam sympathiam vocant; qua cessante, relaxari vinculum docent quo solo uniuntur animi, ac plene dissolvi. Quid hoc erit aliud nisi domum super arenam aedificare? Quam, cum primum obiecta fuerit adversitatum fluctibus, ait Christus Dominus labefactandam esse continuo et collapsuram: «Et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et cecidit et fuit ruina illius magna».[1] At contra, quae supra petram constituta fuerit domus, mutua nempe inter coniuges caritate, et deliberata ac constanti animorum coniunctione solidata, nulla concutietur adversitate, nedum evertatur.

Praestantissima quidem hactenus duo priora christiani coniugii bona vindicavimus, Venerabiles Fratres, quibus hodierni societatis eversores insidiantur. Sed sicut haec bona tertium, quod *sacramenti* est, longe antecellit, ita nil mirum quod hanc imprimis excellentiam multo acrius videmus ab iisdem oppugnari. Et primum quidem tradunt, matrimonium rem esse omnino profanam mereque civilem, nec ullo modo religiosae societati, Ecclesiae Christi, sed uni societati civili committendam; tum vero addunt a quovis indissolubili vinculo nuptiale foedus esse liberandum, coniugum secessionibus seu divortiis non modo toleratis, sed lege sancitis: ex quo denique fiet ut, omni spoliatum sanctitate, coniugium in rerum profanarum ac civilium numero iaceat.

[1] Matth., VII, 27.

Primum illud in eo statuunt, quod actus ipse civilis sit pro vero contractu nuptiali habendus (*matrimonium civile* id vocitant); actus religiosus autem sit additum quiddam, vel, ad summum, plebi superstitiosiori permittendum. Deinde, sine ulla reprehensione volunt ut liceat connubia a catholicis hominibus cum acatholicis misceri, nulla religionis habita ratione neque quaesito religiosae auctoritatis consensu. Alterum, quod sequitur, in perfectis divortiis excusandis ponitur, et in legibus iis civilibus laudandis ac provehendis, quae ipsius vinculi solutioni favent.

Quod ad religiosam cuiusvis coniugii et multo magis christiani matrimonii et sacramenti indolem attinet, cum, quae de hac re notanda sunt, Leonis XIII Litteris Encyclicis, quas saepe commemoravimus quasque Nostras quoque diserte iam fecimus, fusius tractentur gravibusque fulciantur argumentis, ad eas hinc remittimus nec nisi perpauca nunc Nobis repetenda ducimus.

Vel solo rationis lumine, maxime si vetusta historiae monumenta investigentur, si constans populorum conscientia interrogetur, si omnium gentium instituta et mores consulantur, satis constat sacrum quiddam ac religiosum inesse in ipso naturali coniugio, « non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum », cum « habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio ».[1] Consurgit enim sacra coniugii ratio, quae intime cum religione et sacrarum rerum ordine coniuncta est, cum ex origine illa divina, quam supra commemoravimus, tum ex fine ad ingenerandam educandamque Deo subolem, ac Deo item coniuges christiano amore mutuoque adiumento addicendos; tum denique ex eiusdem naturali coniugii officio, providentissima Dei Conditoris mente instituto, ut quoddam sit transvehendae vitae quasi vehiculum, quo parentes divinae omnipotentiae velut administri inserviunt. Ad haec accedit nova dignitatis ratio ex Sacramento petita, qua matrimonium christianorum evasit longe nobilissimum atque ad tantam excellentiam provectum, ut « mysterium magnum », « honorabile ... in omnibus », apparuerit Apostolo.[2]

Quae religiosa matrimonii indoles, celsaque eius gratiae et coniunctionis Christum inter et Ecclesiam significatio, sanctam ab sponsis postulat erga christianum connubium reverentiam sanctumque studium, ut matrimonium quod ipsi inituri sunt, ad archetypum illud ipsum quam proxime accedat.

At multum in hoc deficiunt, et aliquando non sine salutis aeternae periculo, qui temere mixtas ineunt nuptias, a quibus maternus

[1] Leo XIII, Litt. enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880.

[2] Cf. *Ephes.*, V, 32; *Hebr.*, XIII, 4.

Ecclesiae amor et providentia, gravissimis de causis, retrahit suos, quemadmodum ex multis apparet documentis, illo Codicis canone comprehensis, qui haec decernit: « Severissime Ecclesia ubique prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur ». [1] Quod si Ecclesia interdum, pro temporum, rerum, personarum rationibus, a severioribus his praescriptis (salvo iure divino, et per opportunas cautiones remoto, quantum fieri potest, perversionis periculo) dispensationem non recusat, difficulter tamen fieri potest ut coniux catholicus nonnihil detrimenti ex istis nuptiis non capiat.

Unde in prognatos haud raro derivatur lugenda a religione defectio vel saltem praeceps decursus in religiosam illam negligentiam seu, quam vocant, indifferentiam, infidelitati impietatique proximam. Illud etiam accedit quod in mixtis nuptiis multo difficilior reddatur viva illa animorum conformatio, mysterium, quod diximus, arcanam nimirum Ecclesiae cum Christo coniunctionem, imitatura.

Facile enim deficiet arctior animorum communio, quae sicuti est Ecclesiae Christi signum et nota, ita christiani coniugii signum sit oportet, decus et ornamentum. Nam distrahi solet aut saltem relaxari animorum vinculum, ubi in rebus ultimis et summis, quas homo veneratur, idest in religionis veritatibus et sensibus, dissimilitudo mentium habetur et voluntatum intercedit diversitas. Ex quo periculum est, ne langueat inter coniuges caritas, itemque labefactetur domesticae societatis pax et felicitas, quae ex cordium potissimum unitate proficiscitur. Nam, ut iam ante tot saecula antiquum Ius Romanum definierat: « Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio ». [2]

At maxime, ut iam monuimus, Venerabiles Fratres, restitutionem istam perfectionemque matrimonii a Christo Redemptore statutam augescens in dies divortiorum facilitas impedit. Quin immo neopaganismi fautores, tristi rerum usu nihil edocti, in sacram coniugii indissolubilitatem, legesque eam iuvantes, acrius in dies invehi pergunt, ac licere divortia decernendum esse contendunt, ut alia scilicet, eaque humanior, lex obsoletis legibus sufficiatur.

Divortiorum autem causas ii quidem multas in medium proferunt et varias; e personarum vitio seu culpa alias profectas, alias

[1] Cod. iur. can., c. 1060.

[2] Modestinus, in *Dig.* (lib. XXIII, II: *De Ritu nuptiarum*), lib. I, *Regularum.*

in rebus positas (subiectivas illas, has obiectivas appellant); quaecumque denique individuam vitae societatem asperiorem efficiunt atque ingratam. Has porro causas ac leges multiplici ex capite probari volunt: ex utriusque bono coniugis in primis, sive alter innocens est atque a reo propterea secedendi suo iure gaudens, sive sceleribus obnoxius, eaque de causa ab ingrata et coacta coniunctione seiungendus; deinde e bono prolis, quae recta institutione destituitur vel eiusdem fructus amittit, cum nimis facile, e parentum discordiis aliisque male factis offensionem passa, a virtutis via abstrahatur; denique ex communi bono societatis, quod postulet, primo ut ea matrimonia exstinguantur penitus, quae iam nihil valeant ad id assequendum quod natura spectat; dein ut coniugibus discedendi potestas fiat lege, cum ut avertantur crimina quae ex eorumdem coniugum convictu vel consociatione facile essent pertimescenda, tum ne magis in dies ludibrio habeatur iudiciale forum et legum auctoritas, eo quod coniuges, ad exoptatam divortii sententiam impetrandam, aut crimina, ob quae iudex ad normam legis solvere valeat vinculum, consulto committant, aut eadem se commisisse, coram iudice, licet rerum condicionem clare ipse perspiciat, insolenter mentiantur atque peiurent. Quamobrem blateratur, leges omnibus his necessitatibus, mutatisque temporum condicionibus, hominum opinionibus, civitatum institutis ac moribus esse omnino conformandas: quae vel singula, maxime vero omnia in unum collecta, facultatem divortiorum certis de causis concedendam prorsus esse luculentissime testentur.

Alii, ulterius mira procacitate progressi, matrimonium utpote contractum mere privatum, consensui item arbitrioque privato utriusque contrahentis, ut fit in ceteris privatis contractibus, prorsus esse relinquendum opinantur, quavis propterea de causa dissolvendum.

Verum, contra has quoque insanias omnes stat, Venerabiles Fratres, una lex Dei certissima, a Christo amplissime confirmata, nullis hominum decretis vel scitis populorum, nulla legumlatorum voluntate debilitanda: « Quod Deus coniunxit, homo non separet ».[1] Quod quidem si iniuria homo separaverit, irritum id prorsus fuerit; iure propterea, ut plus semel vidimus, Christus ipse asseveravit: « Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur ».[2] Et haec Christi verba quodcumque respiciunt matrimonium, etiam naturale tantum et legitimum; omni enim vero matrimonio convenit illa indissolubilitas, qua illud partium beneplacito et omni saeculari potestati, ad vinculi solutionem quod pertinet, est omino subtractum.

[1] Matth., XIX, 6.
[2] Luc., XVI, 18.

Memoria item renovanda est sollemnis iudicii, quo Concilium Tridentinum sub poena anathematis haec reprobavit: «Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit»; [1] et: «Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso altero, alii nupserit: anathema sit». [2]

Quod si non erravit neque errat Ecclesia, cum haec docuit et docet, ideoque certum omnino est matrimonii vinculum ne ob adulterium quidem dissolvi posse, in comperto est reliquas tanto debiliores, quae afferri solent, divortiorum causas multo minus valere nihilique prorsus esse faciendas.

Ceterum quae supra contra vinculi firmitatem e triplici illo capite obiiciunt, ea facile dissolvuntur. Incommoda enim illa omnia arcentur ac pericula propulsantur, si quando, in extremis illis adiunctis, discessio permittatur coniugum imperfecta, id est incolumi atque integro vinculo, quam lex ipsa Ecclesiae concedit claris canonum verbis quae de separatione tori et mensae et habitationis decernunt. [3] Iam secessionis huiusmodi causas, conditiones, modum simul et cautelas, quibus et liberorum institutioni et familiae incolumitati fiat satis, atque incommoda item omnia, sive ea coniugi, sive proli, sive ipsi civili communitati impendent, quoad poterit, praecaveantur, legum erit sacrarum statuere, et ex parte saltem, etiam civilium legum, pro civilibus scilicet rationibus atque effectibus.

Quaecumque autem ad firmitatem coniugii indissolubilem asserendam afferri solent et supra attigimus, constat eadem eodemque iure valere sive ad necessitatem facultatemque divortiorum excludendam, sive ad potestatem ea concedendi cuilibet magistratui negandam; quot item pro priore illa stant praeclara emolumenta, totidem contra apparent in altera parte detrimenta, cum singulis tum universae hominum societati perniciosissima.

Atque, ut iterum sententiam decessoris Nostri afferamus, quantam materiam bonorum in se coniugii indissolubilis firmitas contineat, tantam malorum segetem divortia complecti, vix attinet dicere. Hinc videlicet, incolumi vinculo, tuta ac secura matrimonia conspicimus, illinc, coniugum secessionibus propositis vel ipsis di-

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, c. 5.
[2] Conc. Trid., sess. XXIV, c. 7.
[3] Cod. iur. can., cc. 1128 sqq.

vortiorum periculis obiectis, ipsa foedera nuptialia mutabilia aut certe anxiis obnoxia fieri suspicionibus. Hinc mutua benevolentia consociatioque bonorum confirmata mirifice: illinc, ex ipsa secessionis facta potestate, extenuata miserrime. Hinc coniugum castae fidei addita peropportuna praesidia; illinc infidelitati perniciosa incitamenta suppeditata. Hinc liberorum susceptio, tuitio, educatio provecta efficaciter; illinc gravioribus usque detrimentis affecta. Hinc inter familias cognatosque discordiis multiplex praeclusus aditus; illinc discordiarum occasio oblata frequentius. Hinc facilius oppressa, illinc iacta copiosius multoque latius semina simultatum. Hinc potissimum dignitas officiumque mulierum, in societate sive domestica sive civili, redintegrata feliciter ac restituta; illinc indigne depressa, siquidem in periculum coniciuntur uxores « ne cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur ».[1]

Et quoniam ad perdendas familias, ut iam Leonis XIII gravissimis verbis concludamus, « frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum; facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens, plurimorum animos, invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans ».[2]

Ideoque, ut in iisdem Litteris legitur, « nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae et societas humana debebunt, ne miserrime coniciantur in... rerum omnium certamen atque discrimen ».[3] Quae quidem omnia quam vere ante quinquaginta annos praenuntiata fuerint, abunde confirmat crescens in dies morum corruptio et inaudita familiae depravatio in iis regionibus, ubi Communismus plene dominatur.

III.

Quid sapientissimus nostri generis Creator ac Redemptor de humano coniugio statuerit, Venerabiles Fratres, huc usque venerabundi admirati sumus, simulque doluimus tam pium divinae Bo-

[1] Leo XIII, Litt. enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880.
[2] Litt. enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880.
[3] Litt. enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880.

nitatis consilium ab humanis cupiditatibus, erroribus, vitiis frustrari conculcarique nunc passim. Consentaneum igitur est ut animum Nostrum paterna quadam cum sollicitudine ad opportuna invenienda remedia convertamus, quibus perniciosissimi quos recensuimus abusus tollantur et debita matrimonio reverentia ubique restituatur.

Ad quod in primis iuvat certissimum illud in memoriam revocare, quod in sana philosophia atque adeo in sacra theologia sollemne est: quaecumque nimirum a recto ordine declinarunt, non posse ea in pristinum ac suae naturae congruentem statum alia via reduci, quam ad divinam rationem, quae (ut docet Angelicus) [1] omnis rectitudinis exemplar est, revertendo. Quae quidem fel. rec. decessor Noster Leo XIII contra Naturalistas gravissimis hisce verbis iure urgebat: « Lex est provisa divitus, ut quae a Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo maneut, integra atque incommutabilia, quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim iuvandi mutatione amiserint vel quod tales Deus ipse poenas malit de mortalium superbia atque audacia sumere ». [2]

Oportet igitur ad rectum ordinem in re coniugali restituendum, ut omnes divinam de matrimonio rationem contemplentur ad eamque se conformare studeant.

Verum, cum huic studio indomitae praesertim concupiscentiae vis obsistat, quae sane potissima est causa cur contra sanctas matrimonii leges peccetur, cumque homo cupiditates suas, sibi subditas habere non possit, nisi prius se subiciat Deo, hoc primum curandum erit secundum ordinem divinitus statutum. Nam firma lex est, ut quicumque se Deo subiecerit, gaudeat ille subici sibi, divina gratia opitulante, concupiscentiam animique sui motus; qui vero rebellis Deo fuerit, illatum sibi a violentis cupiditatibus intestinum bellum experiatur ac doleat. Quod quam sapienter decretum sit, ita exponit S. Augustinus: « Hoc enim expedit: inferius subici superiori; ut et ille qui sibi subici vult quod est inferius se, subiciatur superiori se. Agnosce ordinem, quaere pacem! *Tu Deo; tibi caro. Tibi caro.* Quid iustius? quid pulchrius? Tu maiori, minor tibi:

[1] S. Thom. Aquin., *Summ. theolog.*, 1ª-2ae, q. 91, a. 1-2.
[2] Litt. enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880.

servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendamus: *Tibi caro, et tu Deo!* sed: *Tu Deo, et tibi caro!* Si autem contemnis, *Tu Deo*, numquam efficies, ut *Tibi caro*. Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo ». [1]

Quem divinae Sapientiae ordinem ipse beatissimus Doctor Gentium, afflante Spiritu Sancto, testatur; cum enim veterum sapientum meminisset, qui cognitum a se et exploratum omnium rerum Conditorem adorare et revereri renuissent: « Propterea, inquit, tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis »; et iterum: « propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae ». [2] Deus (enim) superbis resistit, humilibus autem dat gratiam », [3] sine qua, quemadmodum idem Doctor Gentium monet, homo nequit rebellem coercere concupiscentiam. [4]

Quoniam igitur huius indomiti impetus nequaquam, ut requiritur, temperari poterunt, nisi prius animus ipse demissum pietatis et reverentiae obsequium Conditori suo praestiterit, prae ceteris id est necessarium, ut eos, qui se sacro coniugii vinculo nectunt, intima et germana pervadat totos erga Deum pietas, quae universam eorum vitam informet, mentem et voluntatem summa erga Dei Maiestatem impleat reverentia.

Rectissime igitur et ad absolutissimam christiani sensus normam faciunt illi animarum Pastores qui coniuges, ne in matrimonio a Dei lege desciscant, in primis ad pietatis et religionis exercitia hortantur, ut Deo se totos tradant, eius auxilium assidue implorent, Sacramenta frequentent, piam semper et in omnibus devotam erga Deum voluntatem foveant atque servent.

Falluntur vero vehementer qui, posthabitis aut neglectis his, quae naturam excedunt, rationibus, naturalium scientiarum usu et inventis (biologiae scilicet, scientiae transmissionis hereditariae, aliarumque id genus) homines inducere posse putant, ut carnis desideriis frenos iniciant. Quae non ita dicta volumus, perinde ac si res naturales, quae inhonestae non sint, parvi sint faciendae: unus est enim auctor et naturae et gratiae, Deus, qui utriusque ordinis bona in usum et utilitatem hominum contulit. Iuvari igitur possunt et debent fideles naturalibus quoque artibus; sed errant qui has sufficere opinentur ad foederis nuptialis castitatem stabiliendam, aut iis maiorem vim inesse putent, quam gratiae supernaturalis auxilio.

---

[1] S. Augustin., *Enarrat. in Ps. 143.*

[2] *Rom.*, I, 24, 26.

[3] Iac., IV, 6.

[4] Cf. *Rom.*, VII, VIII.

Haec autem coniugii et morum ad divinas de matrimonio leges conformatio, sine qua eius instauratio efficax esse non potest, postulat ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore quaenam sint eiusmodi leges dignosci possit. At nemo non videt, quot fallaciis aditus aperirentur et quanti errores admiscerentur veritati, si res singulis relinqueretur solo rationis lumine exploranda, aut si privata veritatis revelatae interpretatione investigaretur. Quod quidem si in multis aliis ordinis moralis veritatibus locum habet, id tamen potissimum in his, quae ad coniugium pertinent, attendi debet, ubi voluptatis libido irrumpere in fragilem humani generis naturam eamque decipere et corrumpere facile possit; idque eo magis, quod ad legis divinae observationem, ardua interdum, eademque diu coniugibus experiunda sunt, quibus, ut rerum usu docemur, debilis homo quasi totidem utitur argumentis, ut a lege divina servanda sese eximat.

Quapropter ut legis divinae non fictio aliqua aut corruptio, sed vera germanaque cognitio humanas mentes collustret hominumque mores dirigat, pietati erga Deum eique obsequendi studio sincera atque humilis erga Ecclesiam oboedientia adiungatur oportet. Ecclesiam enim constituit ipse Christus Dominus magistram veritatis, in his etiam quae ad mores pertinent regendos ordinandosque, etsi in his multa humanae rationi per se impervia non sunt. Deus enim, quemadmodum ad naturales religionis et morum veritates quod pertinet, rationis lumini revelationem addidit ut, quae recta et vera sunt, « in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint », [1] ita Ecclesiam in eundem finem constituit totius de religione et moribus veritatis custodem et magistram; cui propterea fideles, ut a mentis errore et a morum corruptione immunes serventur, oboediant, et mentem animumque subiciant. Et ne auxilio a Deo tam liberali benignitate collato se ipsi privent, necessario hanc oboedientiam praestare debent non solum sollemnioribus Ecclesiae definitionibus, verum etiam, servato modo, ceteris Constitutionibus et Decretis, quibus opiniones aliquae ut periculosae aut pravae proscribuntur et condemnantur. [2]

Quocirca christifideles caveant in his etiam, quae hodie de matrimonio circumferuntur, quaestionibus, ne suo se iudicio nimis committant neve falsa rationis humanae libertate, seu « autonomia » quam vocant, allici se sinant. Alienissimum enim est ab omni veri nominis christiano, suo ingenio ita superbe fidere, ut iis solum, quae ipse ex interioribus rerum visceribus cognoverit, assentiri

[1] Conc. Vat., sess. III, cap. 2.
[2] Cf. Conc. Vat., sess. III, cap. 4; Cod. iur. can., c. 1324.

velit, et Ecclesiam, ad omnes gentes docendas regendasque a Deo missam, rerum et adiunctorum recentium minus gnaram existimare, vel etiam iis tantum, quae per sollemniores quas diximus definitiones ea iusserit, assensum et oboedientiam praestare, perinde ac si opinari prudenter liceat cetera eius decreta aut falso laborare aut veritatis honestatisque causa niti non satis. Est proprium, contra, veri omnis christifidelis, sive doctus hic est sive indoctus, in omnibus quae ad fidem et mores pertinent se regi et duci sinere a Sancta Dei Ecclesia, per eius Supremum Pastorem Romanum Pontificem, qui regitur ipse a Iesu Christo Domino Nostro.

Cum ergo omnia ad Dei legem et mentem reducenda sint, ut in universum et perpetuo matrimonii instauratio peragatur, summi sane momenti est, fideles bene de matrimonio edoceri: verbo et scripto, non semel nec leviter, sed saepe et solide, claris gravibusque argumentis, ut eiusmodi veritates intellectum percellant animumque permoveant. Sciant iidem assidueque recogitent quantam Deus sapientiam, sanctitatem, bonitatem erga humanum genus ostenderit, matrimonium instituendo, sacris legibus illud fulciendo, multoque tum magis cum ad Sacramenti dignitatem mirifice evexit, per quam tam copiosus gratiarum fons christianis coniugibus patet, ut nobilissimis connubii finibus caste fideliterque inservire queant in sui et liberorum, totiusque societatis civilis atque humanae consortionis bonum et salutem.

Profecto, si hodierni matrimonii eversores toti in eo sunt, ut sermonibus, scriptis, libris et libellis, aliisque innumeris modis mentes pervertant, animos corrumpant, coniugalem castimoniam ludibrio dent, turpissima quaeque vitia laudibus efferant, multo magis Vos, Venerabiles Fratres, quos «Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo»[1] toti in eo esse debetis, ut per vos ipsi et per sacerdotes vobis commissos, atque adeo per apte electos laicos *Actionis Catholicae* a Nobis tantopere exoptatae et commendatae, in apostolatus hierarchici auxilium vocatos, omni qua par est via errori opponatis veritatem, turpi vitio splendorem castitatis, cupiditatum servituti libertatem filiorum Dei,[2] iniquae divortiorum facilitati perennitatem genuinae in matrimonio caritatis et ad mortem usque inviolatum datae fidei sacramentum.

Unde fiet, ut christifideles toto animo gratias Deo referant, quod eius mandato ligentur et suavi quadam vi cogantur ut quam longissime fugiant a quavis carnis idololatria et ab ignobili libidinis servitute; itemque ut magnopere absterreantur omnique studio

[1] *Act.*, XX, 28.

[2] Cf. Io., VIII, 32 sqq.; *Gal.*, V, 13.

sese avertant a nefariis illis commentis, quae, in dedecus sane dignitatis humanae, voce et scripto, sub nomine « perfecti matrimonii » nunc ipsum circumferuntur, quaeque scilicet perfectum istud matrimonium idem tandem esse faciunt ac « matrimonium depravatum », prouti etiam, iure meritoque, dictum est.

Haec salubris de matrimonio christiano instructio ac religiosa disciplina ab exaggerata illa institutione physiologica longe distabit, qua, his nostris temporibus, nonnulli, qui se coniugalis vitae emendatores iactant, servire coniugibus contendunt, plurima verba de physiologicis his rebus faciendo, quibus tamen ars potius discitur callide peccandi quam virtus caste vivendi.

Itaque, Venerabiles Fratres, Nostra toto animo facimus verba quibus decessor Noster fel. record. Leo XIII in suis de matrimonio christiano Litteris Encyclicis universi orbis Episcopos est allocutus: « Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei Vestrae commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur quam Christus Dominus et coelestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia Catholica religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus servari per omnes aetates iussit ».[1]

Verum, vel optima per Ecclesiam institutio sola non sufficit, ut matrimonii ad legem Dei conformatio rursus habeatur; quamvis enim coniuges de christiano matrimonio doctrinam calleant, accedat tamen oportet ex parte eorum firmissima voluntas sanctas Dei et naturae de matrimonio leges servandi. Quidquid tandem verbo et scripto asseri et propagari velit, firmiter constanterque coniugibus sanctum ac sollemne esto: in omnibus quae ad matrimonium pertinent, sine ulla haesitatione Dei mandatis stare se velle: mutuo caritatis auxilio semper praestando, castitatis fide servanda, vinculi firmitate numquam violanda, iuribus per coniugium acquisitis non nisi christiane semper et moderate adhibendis, primo praesertim coniugii tempore, ut, si quando postea rerum adiuncta continentiam postularint, uterque iam assuetus continere, faciliore negotio, se queat.

Magnopere autem ipsos, ut hanc firmam voluntatem concipiant, retineant atque exsecutioni mandent, iuvabit frequens sui status consideratio atque operosa recepti Sacramenti memoria. Meminerint assidue, se ad sui status officia et dignitatem peculiari veluti consecratos et roboratos esse Sacramento, cuius efficax virtus, quamquam characterem non imprimit, perpetuo tamen perseverat. Meditentur idcirco haec Sancti Cardinalis Roberti Bellarmino verba, solidi profecto solatii plena, qui cum aliis magnae notae theologis

[1] Litt. enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880.

ita pie sentit et scribit: « Coniugii Sacramentum duobus modis considerari potest: uno modo, dum fit; altero modo, dum permanet postquam factum est. Est enim Sacramentum simile Eucharistiae, quae non solum dum fit, sed etiam dum permanet, Sacramentum est; dum enim coniuges vivunt, semper eorum societas Sacramentum est Christi et Ecclesiae ».[1]

Verum ut huius Sacramenti gratia vim suam totam exserat, coniugum opera, prout iam monuimus, accedere debet, eaque in hoc esse, ut, quantum contentione possunt, in officiis implendis suis studiose elaborent. Quemadmodum enim in naturae ordine, ut vires a Deo datae plenam suam edant efficacitatem, eae ab hominibus proprio labore atque industria adhibendae sunt, quod si negligatur, nihil inde emolumenti colligitur, ita etiam vires gratiae, quae ex Sacramento in animum profluxere ibique manent, ab hominibus proprio studio et labore exercendae sunt. Nolint ergo coniuges Sacramenti gratiam negligere, quae in ipsis est;[2] sed sedulam officiorum suorum observationem quamvis laboriosam aggressi, ipsam illius gratiae vim efficaciorem in dies experientur. Et si quando condicionis suae vitaeque laboribus gravius se premi sentiant, ne animos despondeant, sed sibi quodammodo dictum existiment id quod Timotheo discipulo carissimo, laboribus et contumeliis vix non deiecto, S. Paulus Apostolus de Ordinis Sacramento scribebat: « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris sed virtutis et dilectionis et sobrietatis ».[3]

Sed haec omnia, Venerabiles fratres, magnam partem a debita coniugum pendent tam remota quam proxima ad matrimonium praeparatione. Illud enim negari non potest, felicis coniugii firmum fundamentum, et infelicis ruinam, iam pueritiae et iuventutis tempore in puerorum puellarumque animis instrui ac poni. Nam qui ante coniugium in omnibus seipsos et sua quaesiere, qui suis cupiditatibus indulgebant, timendum est, ne iidem in matrimonio tales futuri sint quales ante matrimonium fuerint; item id tandem metere debeant quod seminaverint[4] — intra domesticos nimirum parietes tristitiam, luctum, despectum mutuum, rixas, animi simultates, vitae communis taedium — neve, quod maximum est, seipsos cum suis indomitis cupiditatibus inveniant.

---

[1] S. Rob. Bellarmin., *De controversiis*, tom. III, *De matr.*, controv. II, cap. 6.

[2] Cf. *I Tim.*, IV, 14.

[3] *II Tim.*, I, 6-7.

[4] Cf. *Gal.*, VI, 9.

Bene igitur animati paratique, sponsi ad statum coniugii ineundum accedant, ut possint ea qua par est ope se mutuo iuvare in adversis vitae vicibus subeundis, multoque magis in aeterna salute procuranda et in interiore homine ad plenitudinem aetatis Christi [1] conformando. Id etiam eo conferet, ut ipsi dilectae suboli tales revera sese praebeant quales Deus voluit parentes praestare se proli: ita videlicet ut pater vere pater sit, mater vera sit mater; per quorum pium amorem assiduasque curas, domestica sedes, etiam in magna rerum inopia mediaque in hac lacrimarum valle, evadat, liberis quoddam illius iucundi paradisi vestigium, in quo primos homines Creator generis humani collocavit. Hinc etiam sequetur ut filios facilius efficiant perfectos homines perfectosque christianos, eos genuino Ecclesiae Catholicae sensu imbuant, iisdemque nobilem illam erga patriam caritatem iniiciant, ad quam pietatis gratique animi causa tenemur.

Itaque, tam illi, qui iam de sancto hoc connubio aliquando ineundo cogitant, quam qui iuventutis christianae educandae curam habent, haec tanti faciant, ut bona praeparent, mala praecaveant, memoriamque renovent eorum quae in Nostris de educatione Litteris Encyclicis monuimus: « A pueritia igitur voluntatis inclinationes, si pravae, cohibendae, sin autem bonae, promovendae sunt, ac praesertim puerorum mens imbuatur doctrinis a Deo profectis et animus divinae gratiae auxiliis roboretur oportet, quae si defuerint, nec suis quisque moderari cupiditatibus poterit neque ad absolutionem perfectionemque disciplina atque informatio ab Ecclesia adduci, quam ideo Christus caelestibus doctrinis ac divinis Sacramentis instruxit, ut efficax omnium hominum esset magistra ». [2]

Ad proximam vero boni matrimonii praeparationem maximopere pertinet eligendi coniugis studium; nam plurimum inde pendet utrum matrimonium felix futurum sit necne, cum alter coniux alteri aut magno adiutorio ad vitam christiano modo in coniugio ducendam, aut magno periculo atque impedimento esse queat. Ne ergo inconsultae electionis poenas per totam vitam luere debeant, maturam sponsi deliberationem instituant antequam personam seligant, quacum deinde perpetuo sibi degendum erit; in hac vero deliberatione in primis rationem habeant Dei veraeque Christi religionis, deinde sui ipsius, alterius sponsi, futurae prolis bono consulant itemque societatis humanae et civilis, quae ex connubio tamquam ex suo fonte oritur. Petant sedulo divinum auxilium, ut eligant secundum christianam prudentiam, minime vero caeco et

[1] Cf. *Eph.*, IV, 13.

[2] Litt. enc. *Divini illius Magistri*, 31 dec. 1929.

indomito cupiditatis impetu neque solo lucri desiderio aliove minus nobili impulsu ducti, sed vero rectoque amore et sincero erga futurum coniugem affectu; praeterea eos fines in matrimonio quaerant propter quos illud est a Deo constitutum. Neque omittant denique, de eligendo altero coniuge prudens parentum consilium exquirere, illudque haud parvi faciant, ut, eorum maturiore humanarum rerum cognitione et usu, perniciosum hac in re errorem praecaveant et divinam quarti mandati benedictionem, matrimonium inituri, copiosius assequantur: « Honora patrem tuum et matrem tuam, (quod est mandatum primum in promissione), ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram ».[1]

Et quoniam non raro perfecta mandatorum Dei observatio et coniugii honestas graves inde patiantur difficultates, quod coniuges rei familiaris angustiis et magna bonorum temporalium penuria premuntur, eorum necessitatibus, meliore qua fieri potest ratione, subveniendum profecto est.

Atque in primis est illud omni contentione enitendum ut, id quod iam sapientissime decessor Noster Leo XIII decreverat,[2] in societate civili rationes oeconomicae et sociales ita constituantur, ut omnes patresfamilias sibi, uxori, filiis pro dignitate et loco alendis necessaria mereri ac lucrari possint: « dignus est enim operarius mercede sua ».[3] Hanc negare aut aequo minorem facere gravis iniustitia est et a Sacris Litteris inter maxima ponitur peccata;[4] neque fas est mercedes statui tam tenues, quae, pro rerum condicionibus, alendae familiae sint impares.

Curandum tamen est, ut vel ipsi coniuges, idque iam diu ante quam matrimonium ineant, futurae incommoda necessitatesque vitae praevertere aut saltem minuere studeant, et quomodo id efficaci simul et honesto modo facere possint, a peritis edoceantur. Providendum etiam ut, si sibi ipsi unis non sufficiunt, coniuncta similium opera conditisque privatis aut publicis sodaliciis, vitae necessitatibus succurrant.[5]

Quando vero haec, quae diximus, familiae, praesertim si grandior sit aut minus valeat, sumptus aequare non possunt, amor proximi christianus requirit omnino, ut ea quae desunt indigentibus compenset caritas, ut divites praecipue tenuioribus opitulentur, neve qui superflua habent bona in vanos sumptus impendant aut prorsus dissipent, sed in sospitandam vitam et valetudinem eorum

---

[1] *Ephes.*, VI, 2-3; cf. *Exod.*, XX, 12.
[2] Litt. enc. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.
[3] Luc., X, 7.
[4] Cf. *Deut.*, XXIV, 14, 15.
[5] Cf. Leo XIII, Litt. enc. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

convertant, qui etiam necessariis carent. Qui Christo in pauperibus de suo dederint, ii a Domino, cum venerit iudicare saeculum, uberrimam recipient mercedem; qui contra fecerint, suas poenas luent.[1] Non enim frustra monet Apostolus: «Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?»[2]

Quod si privata subsidia satis non sunt, auctoritatis publicae est supplere impares privatorum vires in re praesertim tanti momenti ad bonum commune, quanti est familiarum et coniugum condicio hominibus digna. Si enim familiis, iis in primis quibus est copiosa proles, apta desunt domicilia; si laboris victusque acquirendi occasionem vir nancisci nequit; si ad quotidianos usus nisi exaggeratis pretiis res emi non possunt; si etiam materfamilias, haud exiguo domesticae rei nocumento, necessitate et onere premitur pecuniae proprio labore lucrandae; si eadem in ordinariis vel etiam extraordinariis maternitatis laboribus, convenienti victu, medicamentis, ope periti medici aliisque id genus caret: nemo non videt, si quidem coniuges animo deficiant, quam difficilis eis reddatur convictus domesticus et mandatorum Dei observatio, praetereaque quantum discriminis securitati publicae et saluti vitaeque ipsius civilis societatis inde obvenire queat, si tales homines eo desperationis redigantur, ut, cum iam nihil habeant quod sibi timeant auferendum, multa se fortasse assecuturos sperare audeant ex reipublicae rerumque omnium perturbatione.

Quapropter qui curam rei publicae et boni communis habent, tales coniugum familiarumque necessitates negligere non possunt, quin grave civitati et bono communi nocumentum afferant: in legibus igitur ferendis et in publicis expensis statuendis huic egenarum familiarum inopiae sublevandae sic prospiciant, ut eiusmodi curam inter praecipuas suae potestatis partes habeant.

Quo in genere non sine moerore animadvertimus, id nunc haud raro evenire, ut, recto ordine inverso, matri prolique illegitimae (cui ecquidem, etiam ad praecavenda maiora mala, succurrendum est) facile admodum suppeditetur praesens copiosumque subsidium, quod legitimae aut denegetur aut parce sic concedatur ut quasi ab invitis videatur extortum.

Sed non solum, Venerabiles Fratres, auctoritatis publicae plurimum interest, in his quae temporalia bona sunt, matrimonium familiamque bene constitui, sed in iis etiam, quae bona animarum propria sunt dicenda: leges videlicet ferri iustas et servari fideliter,

[1] Matth., XXV, 34 sqq.
[2] *I Io.*, III, 17.

quae ad castitatis fidem et mutuum coniugum auxilium pertineant, propterea quod, historia teste, salus reipublicae et temporalis civium felicitas tuta esse et salva manere non potest, ubi fundamentum, quo ipsa innititur, rectus scilicet morum ordo, labefactetur et, vitio civium, obstruatur fons, ex quo civitas gignitur, matrimonium nimirum et familia.

Ordini autem morali servando, neque externae civitatis vires et poenae sufficiunt nec virtutis pulchritudo et necessitas hominibus proposita, sed accedat oportet auctoritas religiosa quae mentem veritate illustret, voluntatem dirigat et humanam fragilitatem divinae gratiae auxiliis confirmet, quaeque sola est Ecclesia a Christo Domino instituta. Quapropter ad concordiam et amicitiam cum hac Christi Ecclesia ineundam firmandamque omnes, qui supremam civilem protestatem habent, vehementer in domino hortamur, ut consociata utriusque potestatis opera et diligentia, immania propulsentur damna, quae, ex irruentibus in matrimonium et familiam procacibus libertatibus, tam Ecclesiae quam ipsi civili societati impedent.

Summopere enim gravissimo huic Ecclesiae officio leges civiles favere possunt, si in praeceptis dandis rationem habeant eorum, quae lege divina et ecclesiastica statuta sunt, et poenis animadvertant in eos qui peccaverint. Nam non desunt qui, quod leges civitatis permittunt aut certe poenis non prosequuntur, id quoque aut sibi secundum moralem legem licere putent, aut, vel conscientia renitente, id opere exsequantur, quia nec Deum timeant nec ab hominum legibus quidquam sibi metuendum cernant; unde haud raro sibi ipsis et aliis bene multis pariunt ruinam.

Nec vero civitatis iuribus et integritati, ex hac cum Ecclesia consociatione, quidquam aut periculi aut deminutionis accidet; inanis est enim et vana omnis eiusmodi suspicio et timor: quod iam Leo XIII luculenter ostenderat: « Nemo autem dubitat, inquit, quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet... Si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et religione praeeunte, numquam erit non iustum imperium: alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur ».[1]

Atque ita, ut recens clarumque exemplum afferamus, secundum rectum ordinem et secundum Christi legem id prorsus evenit, quod,

[1] Litt. enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880.

in sollemni Conventione inter Sanctam Sedem et Italiae Regnum feliciter inita, etiam quod ad matrimonia attineret, pacifica quaedam compositio et amica actio statuta est, ut gloriosam decebat Italicae gentis historiam ac vetustas eius sacrasque memorias. Et sane, haec in Lateranensibus Pactionibus decreta leguntur: « Civitas Italica, matrimonii instituto, quod est familiae fundamentum, eam dignitatem restituere volens, quae populi sui traditionibus congruat, Sacramento matrimonii, quod iure canonico regitur, effectus civiles agnoscit »;[1] cui normae ac fundamento ulteriora dein sociatae conventionis capita adiecta sunt.

Ea res omnibus exemplo esse potest et argumento, hac etiam nostra aetate (qua, pro dolor, civilis auctoritatis plenissima ab Ecclesia, immo vero ab omni religione separatio tam saepe praedicatur), posse alteram supremam potestatem cum altera sine ullo alterutrius iurium summaeque potestatis detrimento, mutua concordia et amico foedere, ad commune societatis utriusque bonum, coniungi et sociari, curamque de matrimonio ab utraque potestate haberi posse communem, qua perniciosa pericula, immo vero ruina iam imminens a coniugiis christianis procul arceantur.

Quae omnia, Venerabiles Fratres, vobiscum, pastorali sollicitudine permoti, attente perpendimus, ea inter universos dilectos filios vestris curis proxime commissos, quotquot sunt e magna Christi familia, secundum christianae prudentiae normam, large evulgentur atque illustrentur velimus, ut sanam de matrimonio doctrinam omnes plene noscant itemque pericula ab errorum praeconibus parata sedulo caveant, et maxime « ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivant in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi ». [2]

Faxit ergo omnipotens Pater, « ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur »,[3] qui debiles corroborat et infirmis timidisque animum adicit; faxit Christus Dominus ac Redemptor, « venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector »,[4] qui matrimonium mysticam esse voluit effecitque imaginem suae ineffabilis cum Ecclesia coniunctionis; faxit Sanctus Spiritus, Deus Caritas, lumen cordium et robur mentis, ut, quae hisce Nos litteris de sancto matrimonii Sacramento, de mira Dei circa illud lege et

[1] Concord., art. 34; *Acta Apost. Sed.*, XXI (1929), pag. 290.
[2] *Tit.*, II, 12-13.
[3] *Eph.*, III, 15.
[4] Conc. Trid., sess. XXIV.

voluntate, de erroribus et periculis quae imminent, de remediis quibus possit illis occurri, exposuimus, mente omnes percipiant, prompta voluntate assumant, Deique gratia iuvante in usum traducant, ut inde rursus florescat et vigeat in matrimoniis christianis Deo dicata fecunditas, fides illibata, inconcussa firmitas, Sacramenti sanctitas et gratiarum plenitudo.

Quod ut Deus, auctor omnium gratiarum, a quo est omne *velle et perficere*,[1] secundum suam benignitatem et omnipotentiam efficiat et largiri dignetur, dum enixas ad eius gratiae Thronum preces demisso animo admovemus, eiusdem Omnipotentis Dei copiosae benedictionis pignus, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque assiduis vigilantiae vestrae curis commisso Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXXI mensis decembris anno MDCCCCXXX. Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XI

[1] *Phil.*, II, 13.

ALLEGATUM IV

SACRA CONGREGATIO S. OFFICII.

INSTRUCTIO AD PROBANDAM MORTEM CONIUGIS (AN. 1868).

Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et coniungi posse; alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias, licitas esse, dogmatica Ecclesiae catholicae doctrina est.

Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc S. Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta sacrorum canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. *Dominus, De secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuntium, uti cap. *In praesentia, De sponsalibus et matrimoniis.* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in instructione *Cum alias*, 21 augusti 1670, a Clemente X sancita, et in bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis, in curia Emi Vicarii Urbis et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quae proprius ad rem facientia ibi habentur, n. 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent, si in eiusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius coniugis obitu haberi semper posset: sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata instructione his verbis: *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, S. C. non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes*), sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda; imo, pro summa illa facilitate quae aetate nostra facta

est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter S. eadem C. huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis ecclesiasticos Praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere instructionem, in qua, iis quae iam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. C. sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad S. Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur), a sacris canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde s. m. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem, die 11 iulii 1789, rescripsit, solam coniugis absentiam atque omnimodum eius silentium satis argumentum non esse ad mortem comprobandam, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit), nullum suimet indicium dederit. Quod enim non comparuerit, idem Pontifex, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.

2. Hinc, ad praescriptum eorumdem sacrorum canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis paroeciae, vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et, licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen, ne coniux, alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non

respuit S. C. in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur: sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile.[1]

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto, mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse; isti autem, vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc, dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentibus respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum haud semel experientia compertum habetur, quo nec unus quidem reperiatur testis, qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis, et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut, pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine, promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; hic tamen non abs re erit plures indicare fontes, ex quibus illae, sive urgentiores, sive etiam leviores, colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur, ex. gr.:

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset.

An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem

[1] Ad dubium: « Utrum etiam testimonium ipsius coniugis iuratum, in defectu aliorum adminiculorum, sufficere valeat eum in finem, ut coniux ad novas nuptias admitti possit »; S. C. S. Officii reposuit, die 3 maii 1893: « Ordinarius recurrat in casibus extraordinariis ».

quamprimum redeundi aperuerit; aliaque eius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt:

Si ob militiam abierit, a Duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regione ad quam se contulit, supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae, etc.

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit: quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque, aliis adiuta adminiculis, argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum S. haec C. diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et iurisprudentum suffragiis, denique suum iudicium pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam, quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

ALLEGATUM V

FORMULAE PRAECIPUAE IN MATERIA DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM.

I.

FORMULAE AD PETENDAM DISPENSATIONEM.[1]

1. – Formula ad petendam dispensationem a publicationibus.

Illm̃e ac Revm̃e Dñe,

Ioannes N. et Marianna M., paroeciani mei, matrimonium in facie Ecclesiae inire quantocius cupiunt; et ideo petunt a Dominatione Tua dispensationem ab una (vel a duabus aut ab omnibus) publicatione ad normam can. 1028.

Causae sunt: ...

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

2. – Formula ad petendam licentiam celebrandi matrimonium vagorum.

Illm̃e ac Revm̃e Dñe,

Marianna M., paroeciana mea, matrimonium inire cupit cum Ioanne N., nato in dioecesi *N.*, qui cum nullibi habeat domicilium vel quasi-domicilium, vagus habendus est. Parentes eius consensum dederunt, et, diligenti facta inquisitione, nullum canonicum impedimentum inveni. Quare Dominationi Tua supplico ad normam can. 1032, ut mihi quid faciendum sit, significare dignetur.

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

[1] Sequentibus formulis uti potest, mutatis mutandis, parochus, confessarius, Ordinarius, quisque pro re sua: sed confessarius nomina supprimat.

3. - Formula ad petendam dispensationem ab impedimento voti.

Illme ac Revme Dne,

Marianna M., nostrae dioecesis, olim votum simplex emisit; a quo modo nuptias contrahere volens dispensationem a Dominatione Tua humiliter petit (*vel, si votum est reservatum*, a Dominatione Tua humiliter petit ut dispensationem a S. Sede obtinere dignetur).

Causae sunt: ...

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

4. - Formula ad petendam dispensationem ab impedimento mixtae religionis.

Illme ac Revme Dne,

Marianna M., catholica, paroeciana mea, matrimonium inire cupiens cum Ioanne N. sectae Luteranae addicto, et in suis erroribus, saltem huc usque, persistente, humillime petit a Dominatione Tua, ut dispensationem ab impedimento mixtae religionis concedere dignetur (*vel* a S. Sede procurare dignetur).

Huic petitioni adnectuntur scripto confectae et a nupturientibus subsignatae cautiones can. 1061 requisitae, ex parte nupturientis acatholici de amovendo a coniuge catholico quolibet perversionis periculo, et ex utraque parte de universa prole tam nata quam nascitura catholice tantum baptizanda et educanda. Testor praeterea haberi in casu moralem certitudinem de harum cautionum implemento.

Causae pro dispensatione concedenda sunt...

Pars catholica taxam ordinariam solvere potest (vel apud me deposuit, vel solvere nequit).

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

5. - Formula ad petendam ab Ordinario loci dispensationem in casu urgenti, de quo in can. 1045 § 1.

Illme ac Revme Dne,

Ioannes N., a. 32, et Marianna M., a. 27, paroeciani mei, matrimonium in facie Ecclesiae contrahere cupiunt, at eorum desiderio obstat impedimentum... quo detinentur, et matrimonium sine gravis mali periculo differri nequit usque dum a S. Sede dispensatio obtineatur, impedimentum enim detectum est quando iam

omnia erant ad nuptias parata. Quare Dominationem Tuam deprecor, ut cum praefatis oratoribus benigne dispensare velit ad normam can. 1045 § 1.

Taxa ...

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

6. - Formula ad petendam ab Ordinario loci revalidationem matrimonii iam contracti in casu can. 1045 § 2.

Illme ac Revme Dne,

Ioannes N., et Marianna M., paroeciani mei, die ... matrimonium nulliter inter se contraxerunt ob impedimentum ... quo detinentur, super quo non fuit dispensatum, quippe quod nec revelatum fuit nec detectum antequam oratores ad nuptias celebrandas admitterentur. Nunc autem cum iidem apprime noscant se esse praefato impedimento detentos ac proinde nulliter inter se contraxisse, enixe postulant a Dominatione Tua dispensationem super eodem impedimento ad effectum renovandi consensum privatim coram parocho et duobus testibus confidentibus, cum periculum sit in mora, nam separari nequeunt sine gravi populi christiani offensione atque in proxima peccandi occasione reperiuntur.

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

7. - Formula ad petendam dispensationem ab impedimentis dirimentibus.

Illme ac Revme Dne,

Ioannes N., aetatis 32 annorum, et Marianna N., aetatis 29 annorum, paroeciani mei, matrimonium inire desiderant. Obstat vero impedimentum: 1° consanguinitatis secundi et tertii gradus inaequalis lineae collateralis; 2° affinitatis secundi gradus aequalis lineae collateralis; 3° publicae honestatis in primo gradu ortum ex matrimonio invalido (aut ex publico vel notorio concubinatu) oratoris cum matre oratricis.

Quare humiliter supplicant Dominationi Tuae ut super his impedimentis dispensationem (et prolis legitimationem) ipsis vi apostolici indulti concedere dignetur (vel procurare a Sede Apostolica dignetur).

Causae sunt: ...

Testor oratorem possidere circiter 50.000 lib. in re, 70.000 lib. in

spe; oratricem 20.000 in re, 15.000 in spe (vel oratores pauperes esse ita ut solo manuum labore victum sibi comparare cogantur).

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

Schemata.

Consanguinitatis. Affinitatis.

8. – Formula ad petendum « perinde valere ».

Illme ac Revme Dne,

Ioannes N., et Marianna M., in eo sunt ut matrimonium ineant, obtenta dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus aequalis lineae collateralis. At nuper compertum est in instantia reticitum fuisse aliud affinitatis impedimentum secundi gradus aequalis eiusdem lineae, ut constat ex schemate hic adnexo. Quare humiliter supplicant Dominationi Tuae ut revalidationem obtentae dispensationis procurare a Sede Apostolica dignetur, perinde ac si veritas in instantia expressa fuisset.[1]

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

9. – Formula ad petendam dispensationem a S. Poenitentiaria ab impedimento fori interni, quando iam altera dispensatio fuit obtenta super impedimento fori externi.[2]

Titius et Caia, matrimonium coram Ecclesia inter se contracturi, iam a S. C. de Sacramentis impetrarunt dispensationem super publico impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu, quo detinentur. At ex confessione innotuit eosdem esse praeterea devinctos criminis impedimento, neutro machinante, cum

[1] Haec formula adhibenda est quando adhuc tempus suppetit pro impetranda a S. Sede dispensatione. Quod si tempus non suppetit, preces sunt ad Ordinarium dirigendae ac postrema verba sic immutanda:

« Quare, spectata casus urgentia, quia iam omnia sunt ad nuptias parata nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri potest usque dum a Sancta Sede sanatio dispensationis obtineatur, humiliter supplicant Dominationi Tuae ut revalidationem obtentae dispensationis ad normam can. 1045 § 1 concedere dignetur una cum dispensatione super noviter detecto affinitatis impedimento ».

[2] Congrua congruis aptando, hac eadem formula uti poterit parochus, Ordinarius etc. ad impetrandam dispensationem super impedimento fori interni etiam non sacramentalis, quando concurrit cum alio impedimento externi fori. Hoc casu preces sunt ad singulas competentes SS. Congregationes remittendae, at in supplici libello ad S. Poenitentiariam mentio semper fieri debet de dispensatione super alio impedimento fori externi iam

fide data, quod occultum omnino est nec ulla ratione potest manifestari. Quapropter, nunc de praefato scelere dolentes, iidem oratores per me confessarium a Sanctitate Vestra humillime postulant dispensationem super memorato criminis impedimento necnon revalidationem dispensationis super consanguinitate nulliter iam impetratae.

Die ... mensis ... anni ...

N. N., Confessarius.

10. – Formula ad petendam dispensationem a S. Poenitentiaria ab impedimento fori interni concurrente cum impedimento fori externi.

Beatissime Pater,

Titius et Caia, matrimonium coram Ecclesia inter se contrahere cupientes, apostolicam petierunt dispensationem super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu. Attamen pendente recursu, in confessione innotuit et aliud impedimentum omnino occultum, quod nullo modo potest manifestari, criminis, neutro machinante, cum fide data, de matrimonio inter se ineundo. Quare, de praefato scelere dolentes, iidem oratores per me confessarium a Sanctitate Vestra humillime postulant dispensationem super memorato criminis impedimento atque revalidationem dispensationis super consanguinitate nulliter concedendae.[1]

Die ... mensis ... anni ...

N. N., Confessarius.

11. – Formula ad petendam revalidationem matrimonii nulliter bona fide contracti.

Illme ac Revme Dne,

Ioannes N., et Marianna M., paroeciani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium, in facie Ecclesiae contraxerunt (ac successive consummarunt, prole inde suscepta).

---

impetrata aut impetranda, ad effectum obtinendi revalidationem ipsius, quae secus ob vitium surreptionis irrita esset. Nomina et cognomina oratorum tunc solum sunt S. Poenitentiariae significanda cum agitur de dispensatione adnotanda in speciali libro secreto, de quo in can. 1047.

[1] Consultius erit in praesenti casu S. Poenitentiariam, prae Ordinario, adire ut tutius sigillo sacramentali prospiciatur. In casu vero urgentiae, de quo in cc. 1043-1045, haec formula poterit adhiberi etiam in recursu ad Ordinarium, sed, ob rationem allatam, reticeatur prior petita dispensatio super externi fori impedimento et dispensatio super utroque impedimento, veluti noviter detecto, imploretur; salva tamen semper potestate de qua in can. 1045 § 3.

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in tertio aequali gradu lineae collateralis, ut videre est in schemate hic adnexo. Quod cum hodie tantum innotuerit, matrimonium huiusmodi convalidare cupientes, humillime supplicant Dominationi Tuae ut dispensationem ab hoc impedimento, (una cum prolis legitimatione) ipsis concedere dignetur (vel procurare a Sede Apostolica dignetur), ita ut valeant matrimonium denuo in facie Ecclesiae contrahere privatim coram parocho et duobus testibus confidentibus.

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

12. – Formula ad petendam sanationem in radice.

Illme ac Revme Dne,

Ioannes N., et Marianna M., paroeciani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium, in facie Ecclesiae contraxerunt, (ac successive consummarunt, prole exinde suscepta).

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in tertio aequali gradu lineae collateralis, ut videre est in schemate hic adnexo: quod impedimentum post initum matrimonium tantum innotuit.

Cum vero Ioannes N., nullo modo ad renovandum consensum coram parocho et testibus induci possit, licet de consensus perseverantia dubitari nequeat, Marianna M., humillime supplicat Dominationi Tuae ut sanationem in radice praefati matrimonii a Sede Apostolica procurare dignetur.

Die ... mensis ... anni ...

N., Pastor paroeciae *N.*

II.

FORMULAE NONNULLARUM DISPENSATIONUM.

A) **Formulae dispensationum quae conceduntur a S. C. S. Officii.**

13. – Super impedimento mixtae religionis ad contrahendum cum schismatico.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.* humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento mixtae religionis ut Marianna M., catholica, licite ac legitime matrimonium contrahere possit cum schismatico Ioanne N.

Sequentes afferuntur causae: firmum propositum atque periculum solius actus civilis ...

Ex aedibus S. Officii, feria IV, die 16 decembris 1931.

Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii *N.*, qui, quatenus ante nuptias partem schismaticam ad veram religionem adducere et partem catholicam ab istis nuptiis absterrere nequiverit, ... dispensare valeat catholicam Mariannam M. ab impedimento mixtae religionis ut licite ac legitime matrimonium contrahere possit cum schismatico Ioanne N., dummodo prius regulariter, ad praescriptum Cod. I. C., can. 1061 § 2, et sub sanctitate iurisiurandi cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte coniugis schismatici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque nupturiente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque schismaticum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. I. C., can. 1063 § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319 § 1 n. 1°, stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063 § 2.

In reliquis, quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus, serventur praescripta Cod. I. C., cann. 1026, 1102, 1109; et, matrimonio celebrato, sive in proprio, sive in alieno territorio, Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo, R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (Cod. I. C., can. 1057).

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

NB. – Taxa pro dispensationibus S. Officii est libellarum 30 (Agentia 8) pro divitibus. Pro pauperibus acceptatur summa oblata.

14. – Super impedimento mixtae religionis ad contrahendum cum haeretico.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.* humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento mixtae religionis ut Marianna M., catholica, licite ac legitime matrimonium contrahere possit cum acatholico Ioanne N.

Sequentes afferuntur causae: scandalum reparandum ob copulam habitam necnon fundata spes conversionis partis acatholicae ...

Ex aedibus S. Officii, feria IV, die 16 decembris 1931.

Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii *N.*, qui, quatenus ante nuptias partem acatholicam ad veram religionem adducere, aut partem catholicam ab istis nuptiis absterrere nequiverit, dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum, dispensare valeat catholicam Mariannam M. ab impedimento mixtae religionis, ut licite ac legitime matrimonium contrahere valeat cum acatholico Ioanne N., dummodo prius regulariter, ad praescriptum Cod. I. C., can. 1061 § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte coniugis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque nupturiente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. I. C., can. 1063 § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319 § 1 n. 1°, stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063 § 2.

In reliquis, quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus, serventur praescripta Cod. I. C., cann. 1026, 1102, 1109; et, matrimonio celebrato, sive in proprio, sive in alieno territorio, Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo, R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (Cod. I. C., can. 1057).

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

NB. - Taxa et agentia uti supra.

15. – Super impedimento disparitatis cultus ad contrahendum cum infideli, qui hebraeus aut mahumetanus non sit.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.* humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento disparitatis cultus ut Marianna M., catholica, valide ac licite matrimonium contrahere possit cum infideli Ioanne N.

Sequentes afferuntur causae : conditio oratricis in angusto loco degentis, aetatis ipsius superadultae atque infamia vitanda ob nimiam oratorum familiaritatem.

Ex aedibus S. Officii, feria IV, die 16 decembris 1931.

Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii *N.*, qui, nisi aliud obstet canonicum impedimentum, quatenus ante nuptias partem non catholicam ad veram religionem adducere, aut partem catholicam ab istis nuptiis absterrere nequiverit, dispensare valeat catholicam Mariannam M. ab impedimento disparitatis cultus ut valide ac licite matrimonium contrahere possit cum non baptizato Ioanne N., dummodo prius regulariter, ad praescriptum Cod. I. C., can. 1061 § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte coniugis non baptizati de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque nupturiente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque non catholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum nullo modo adire posse, ad mentem Cod. I. C., can. 1063 § 1 sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae iuxta can. 2319 § 1 n. 1°, stricte caeteroquin servatis, quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063 § 2.

In reliquis, quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus serventur praescripta Cod. I. C., cann. 1026, 1102, 1109, et matrimonio celebrato, sive in proprio, sive in alieno territorio, R. P. D. Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo, R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (Cod. I. C., can. 1057).

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Taxa et agentia uti supra.

16. – Super impedimento disparitatis cultus ad contrahendum cum hebraeo aut mahumetano.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.*, humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento disparitatis cultus ut catholica Marianna M. valide ac licite matrimonium contrahere possit cum hebraeo (aut mahumetano) Ioanne N.

Sequentes afferuntur causae : copula inter oratores habita atque periculum solius actus civilis, necnon fundata spes conversionis oratoris hebraei (aut mahumetani).

Ex aedibus S. Officii, feria IV, die 16 decembris 1931.

Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii *N.*, qui, quatenus ante nuptias partem infidelem ad veram religionem adducere et partem catholicam ab istis nuptiis absterrere nequiverit; dummodo absit periculum polygamiae, circumcisionis prolis, et, si actus civilis sit ineundus, nulla interveniat Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus, dispensare valeat catholicam Mariannam M. ab impedimento disparitatis cultus ut valide ac licite matrimonium contrahere possit cum infideli Ioanne N., dummodo prius regulariter, ad praescriptum Cod. I. C., can. 1062 § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte coniugis infidelis de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque nupturiente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum, nullo modo adire posse, ad mentem Cod. I. C., can. 1063 § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae iuxta can. 2319 § 1 n. 1°, stricte caeteroquin servatis, quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063 § 2.

In reliquis, quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus serventur praescripta Cod. I. C., cann. 1026, 1102, 1109, et matrimonio celebrato, sive in proprio, sive in alieno territorio, R. P. D. Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo, R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (Cod. I. C., can. 1057).

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

NB. – Taxa et agentia uti supra.

17. – Formula sanationis in radice matrimonii nulliter initi inter catholicum et acatholicum.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.* humiliter petit a Sanctitate Vestra sanationem in radice matrimonii nulliter contracti a catholica Marianna M. cum acatholico Ioanne N.

Sequentes afferuntur causae: pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequit sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico coniuge subeundi, nec ad renovandum consensum matrimonialem coram Ecclesia induci potest.

Ex aedibus S. Officii, feria IV, die 16 decembris 1931.

Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus et indubiis resipiscentiae signis partis catholicae, benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii *N.*, qui, dummodo utriusque partis consensus perseveret et moraliter certum sit partem acatholicam non esse impedituram catholicum baptismum atque catholicam educationem universae prolis tam natae quam nasciturae, sanare valeat in radice matrimonium nulliter contractum a catholica Marianna M. cum acatholico Ioanne N.

Ipse vero R. P. D. Ordinarius serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, congruas ac salutares ei poenitentias imponat,[1] simulque declaret ob praesentem dispensationis gratiam a se acceptatam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile iure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse ad mentem tamen Cod. I. C., can. 1051.

[1] Si matrimonium celebratum fuerit coram ministello, hoc loco adiungitur clausula: «si casus ferat, eam ab excommunicatione absolvat iuxta Cod. I. C., can. 2319 § 1 n. 1o».

Insuper eidem parti catholicae gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus omnino cavendi de baptismo et educatione universae prolis utriusque sexus, tam forte natae quam forsitan nasciturae, in catholicae religionis sanctitate, et prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, R. P. D. Ordinarius mandet ut praesens sanationis rescriptum cum attestatione peractae exsecutionis diligenter custodiatur in Curia locali, nec non curet, nisi pro sua prudentia aliter iudicaverit, ut in libro baptizatorum paroeciae, ubi pars catholica baptismum recepit, transcribatur notitia sanationis matrimonii, de quo agitur, cum adnotatione diei et anni.

Denique R. P. D. Ordinarius in hoc sibi commisso munere explendo, expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (Cod. I. C., can. 1057).

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

B) **Formulae dispensationum quae conceduntur a Sacra Congregatione Orientali.**

18. - Formula dispensationis super mixta religione.

Beatissime Pater,

Oratrix Marianna M., catholica, suppliciter petit a Sanctitate Vestra dispensationem ab impedimento mixtae religionis, quatenus matrimonium inire valeat cum Ioanne N., haereticae (schismaticae) sectae adscripto.

Causae sunt: ...

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI, specialiter concessarum, attentis expositis causis, R. P. D. Ordinario *N.* committit ut, pro suo prudenti iudicio et conscientia, remoto opportunis modis scandalo, si adsit, et disposita parte catholica ad gratiam Dei recipiendam, sive per se, sive alium ecclesiasticum virum ab eo deputandum, dispensare valeat oratricem Mariannam M. ab impedimento mixtae religionis, quatenus cum praedicto Ioanne N. matrimonium rite et legitime contrahere, in eoque postmodum libere et licite remanere valeat; dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, quae regulariter scripto exigendae sunt; et ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem adimpletum iri: scilicet: ex parte coniugis haeretici (schismatici) de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque nupturiente de

universa prole utriusque sexus... in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda, non obstante, si forte adsit, legum civilium oppositione; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam; atque ea lege, ut nec ante nec post matrimonium coram parocho initum, partes adeant ministrum acatholicum; quod si illum iam adiverint, vel si cohabitent et inter eas praecesserit commercium carnale, si fieri potest sine gravi damno, separentur aliquo tempore arbitrio dispensantis, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei, praevia absolutione a censuris et impositis poenitentiis salutaribus, prolem sive susceptam, nisi fuerit ex adulterio, sive exinde suscipiendam, legitimam declarando.

Matrimonio autem celebrato Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem Apostolicae delegationis.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die ...

19. – Formula dispensationis super cultus disparitate.

Beatissime Pater,

Oratrix Marianna M., catholica, suppliciter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento disparitatis cultus quatenus matrimonium valide et licite inire valeat cum infideli Ioanne N.

Causae sunt: ...

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI specialiter concessarum, attentis expositis causis, R. P. D. Ordinario *N.* committit ut, pro suo iudicio et conscientia, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo deputandum, dispensare valeat oratricem Mariannam M. super enunciato impedimento disparitatis cultus... quatenus cum praedicto Ioanne N. matrimonium, si fieri possit sine contumelia Creatoris,... valide et legitime contrahere in eoque postmodum libere et licite remanere valeat, dummodo cautum omnino sit conditionibus ad Ecclesia praescriptis, quae regulariter scripto exigendae sunt, et ipse Ordinarius moraliter certus sit easdem adimpletum iri; scilicet: ex parte coniugis non baptizati, de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque nupturiente de universa prole utriusque sexus... in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda, non obstante, si forte adsit, legum civilium oppositione: declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur prudenter curandi conversionem coniugis ad

fidem catholicam; atque ea lege ut nec ante nec post matrimonium coram parocho catholico initum, partes adeant ministrum falsi cultus; quod si illum iam adiverint, vel si cohabitent et inter eas praecesserit commercium carnale, si fieri potest sine gravi damno, separentur aliquo tempore arbitrio dispensantis, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei, praevia absolutione a censuris et impositis poenitentiis salutaribus, prolem sive susceptam, nisi fuerit ex adulterio, sive exinde suscipiendam legitimam declarando.

Matrimonio autem celebrato Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem Apostolicae delegationis.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die...

20. - Formula dispensationis super ceteris impedimentis.

Beatissime Pater,

Oratores Ioannes N. et Marianna M., ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, suppliciter petunt dispensationem super impediment... ut matrimonium inter se contrahere possint.

Causae sunt: ...

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI sibi tributarum, benigne indulget R. P. D. Ordinario *N.*, ut sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter deputandum, dispensare valeat cum oratoribus super enunciat... impediment... quatenus matrimonium inter se valide et legitime contrahere, in eoque postmodum licite et libere remanere possint, prolem exinde suscipiendam legitimam declarando.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die...

21. - Formula dispensationis quando copula intercesserit.

Beatissime Pater,

Oratores Ioannes N. et Marianna M. suppliciter petunt a Sanctitate Vestra dispensationem super impediment... ut matrimonium inter se valide et licite inire possint.

Causae sunt: ...

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI sibi tributarum, atten-

tis expositis causis, R. P. D. Ordinario orat... benigne committit, ut sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter deputandum, imposita pro modo culparum congrua poenitentia salutari, oratoribus dispensationem benigne largiatur super enunciat... impediment... quatenus matrimonium inter se valide et legitime contrahere, in eoque postmodum libere et licite remanere possint, prolem exinde susceptam, dummodo non fuerit ex adulterio concepta, legitimam declarando.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die ...

22. – Formula dispensandi quando cohabitatio intercedat.

Beatissime Pater,

Oratores Ioannes N. et Marianna M. suppliciter petunt a Sanctitate Vestra dispensationem super impediment... ut matrimonium inter se valide et licite inire possint.

Causae sunt: ...

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI sibi tributarum, attentis expositis causis, R. P. D. Ordinario *N.* benigne committit, ut sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter deputandum, iniuncta prius, si fieri potest, separatione a cohabitatione, sin minus a toro, et interdicto quovis tractu familiari per tempus sibi benevisum, quo decurrente oratores ad poenitentiae Sacramentum accedant, imposita pro modo culparum congrua poenitentia salutari, iisdem oratoribus dispensationem benigne largiatur super enunciat... impediment... quatenus matrimonium inter se valide et legitime contrahere, in eoque postmodum libere et licite remanere possint, prolem exinde susceptam, dummodo non fuerit ex adulterio concepta, legitimam declarando,

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die ...

23. – Formula pro concedendo « perinde valere ».

Beatissime Pater,

. . . . . .

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI sibi tributarum, benigne committit R. P. D. Ordinario *N.*, ut, reassumens praecedens rescriptum diei... illudque valere decernens perinde ac si in eo de

noviter detect... impediment... mentio facta, ac super... dem dispensationem concedi mandatum aut commissum fuisset, cum oratoribus super singulis enunciatis impedimentis, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter deputandum, auctoritate apostolica dispensando, ad praefati rescripti exsecutionem, eius forma in omnibus ac per omnia servata, procedat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die ...

24. - Formula sanationis in radice matrimonii initi inter catholicos.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.* suppliciter petit a Sanctitate Vestra sanationem in radice matrimonii invalide initi inter Mariannam M. et Ioannem N. ... Oratrix Marianna M. conscientiae suae coram Deo consulere exoptat; altera vero pars absque gravi periculo de matrimonii invaliditate et de renovationis consensus necessitate moneri nequit.

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI sibi tributarum, attentis expositis, R. P. D. Ordinario *N.* benigne committit, ut quatenus partes ad renovandum consensum induci nullo modo possint, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter deputandum, praevia dispensatione super impediment..., matrimonium de quo in precibus sanare valeat in radice, dummodo utraque pars in consensu de praesenti perseveret. Ipse vero dispensans, in hoc sibi commisso munere explendo, declaret se agere nomine Sanctitatis Suae, et tanquam ab Apostolica Sede specialiter delegatum; serio moneat oratricem de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat; simulque ipsi declaret ob hanc dispensationem sic concessam et acceptam matrimonium fieri validum ac legitimum, et indissolubile evadere iure divino, prolemque exinde susceptam legitimam habendam esse. Cum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, R. P. D. Ordinarius nomina, cum reliqua personarum consueta indicatione, in regestis matrimoniorum secretorum describi iubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, communicationis, acceptationis, et declarationum ut supra factarum, servetur in Curia Episcopali, et exemplar authenticum eidem oratrici sedulo custodiendum tradatur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die ...

25. – Formula sanationis in radice matrimonii initi inter catholicum et acatholicum.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.* suppliciter petit a Sanctitate Vestra sanationem in radice matrimonii invalide initi inter Mariannam M. catholicam, et Ioannem N. acatholicum ...

Sacra Congregatio Orientalis, utendo facultatibus sibi a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI specialiter concessis, R. P. D. Ordinario *N.* committit, ut, pro suo prudenti iudicio et conscientia, dummodo utriusque partis consensus perseveret et moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis tam natae quam nasciturae baptismum catholicum et catholicam educationem non esse impedituram, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter deputandum, praevia dispensatione super impediment... matrimonium de quo in precibus sanare valeat in radice.

Ipse vero dispensans serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, et a censuris absolvat, si matrimonium contractum fuit coram ministro acatholico; simulque ipsi declaret ob hanc dispensationem ab ea acceptam matrimonium fieri validum et legitimum, et indissolubile evadere iure divino, et prolem sive susceptam sive suscipiendam legitimam habendam esse.

Eidem insuper parti catholicae gravissime imponat atque declaret obligationem, qua semper tenetur, implendi conditiones ab Ecclesia praescriptas: videlicet de conversione coniugis acatholici ad fidem catholicam pro viribus curanda, ac de universa utriusque sexus prole in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda, non obstante, si forte adsit, legum civilium oppositione.

Cum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, R. P. D. Ordinarius nomina, cum reliqua personarum consueta indicatione, in regestis matrimoniorum secretorum describi iubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, communicationis, acceptationis, absolutionis, et declarationum a parte catholica ut supra factarum, servetur in Curia Episcopali, et exemplar authenticum eidem parti catholicae sedulo custodiendum tradatur.

Denique ipse R. P. D. Ordinarius in hoc sibi commisso munere explendo expressam faciat mentionem Apostolicae delegationis.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die ...

C) Formulae dispensationum quae conceduntur a S. C. de disciplina Sacramentorum.

26. – Formula pro dispensatione super impedimento consanguinitatis in secundo (aut tertio) mixto cum primo lineae collateralis gradu.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N., annorum... et Marianna M., annorum ..., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu tangente primum, quia orator avunculus (aut patruus) est oratricis vel oratrix matertera (aut amita) est oratoris,[1] quod obstat quominus legitime coniungantur, prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est conditio oratricis parentibus orbatae, aetatis superadultae et in angusto loco degentis, quae curam rei domesticae oratoris exercet, eidem Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

Nota. – In tergo omnium dispensationum semper adnotatur taxa soluta pro dispensatione, agentia pro negotii gestore atque edicitur exsecutionem gratis esse faciendam.

27. – Formula pro eadem dispensatione concedenda quando simul petitur legitimatio prolis susceptae.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N., annorum ... et Marianna N., annorum ..., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu tangente primum, quia orator avunculus (vel patruus) est oratricis vel oratrix matertera (aut amita) est oratoris, quod obstat quominus legitime coniungantur, et gratiam legitimationis prolis iam susceptae; prae oculis habita causa, quae ad

[1] Si dispensatio concedatur super consanguinitate in tertio gradu mixto cum primo, alia apponetur provenientia.

optatas gratias obtinendas potissime affertur, hoc est scandalum reparandum ob satis nimiam familiaritatem, eidem Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant, prolemque susceptam legitimam decernat atque declaret; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

Nota. - Eadem verba pro legitimatione prolis adhibentur in omnibus formulis, quoties cum dispensatione eiusmodi gratia postulatur: si tamen facultas conceditur una cum dispensatione super crimine, additur semper clausula « dummodo (proles) non sit ex adulterio concepta ».

28. – Formula pro dispensatione super impedimento consanguinitatis in secundo (aut in tertio) lineae collateralis gradu mixto cum primo cum speciali clausula.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N., annorum ... et Marianna M., annorum ..., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu tangente primum, quia orator avunculus (aut, patruus) est oratricis vel oratrix matertera (aut amita) est oratoris, quod obstat quominus legitime coniungantur, prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est concubinatus removendus, eidem Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, imposita oratoribus poenitentia salutari, et remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem tempore sibi beneviso, si fieri poterit, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die .. mensis ... anni ...

Nota. – Clausula huic formulae adiecta: « *imposita oratoribus poenitentia salutari et remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem tempore sibi beneviso, si fieri poterit* », inseritur in omnibus formulis, quoties in precibus sermo est de concubinatu ab oratoribus instituto.

29. - Formula pro dispensatione super impedimento affinitatis in primo (aut in primo tangente secundum) lineae collateralis gradu.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N. et Marianna M., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento affinitatis in primo lineae collateralis gradu, quia orator viduus est e sorore oratricis (aut oratrix vidua est e fratre oratoris),[1] quo detinentur, prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est bonum prolis oratoris (oratricis), eidem Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, qua nuptias, prout desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

30. - Formula pro dispensatione super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Marianna M., et Ioannes N., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu, quo detinentur, prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est aetas oratricis superadulta 24 a. et ultra (vel carentia dotis, angustia loci, nimia familiaritas etc.) eidem Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

Nota. - Haec formula, mutatis mutandis, adhibetur etiam in concedenda dispensatione super cognatione legali iuxta can. 1080.

[1] Si dispensatio concedatur super affinitate in primo gradu mixto cum secundo alia apponetur provenientia.

31. – Formula pro dispensatione super impedimento aetatis.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus postulabat dispensationem super impedimento aetatis pro oratore Ioanne N. (aut oratrice Marianna M.), eiusdem Dioecesis, qui nondum decimum sextum (*vel* quae nondum decimum quartum) annum explevit, ut ipse (ipsa) contrahere queat matrimonium cum oratrice (oratore), prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est scandalum reparandum ob satis nimiam familiaritatem (aut ob aliam causam gravem), eidem Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento benigne largiatur, quo nuptias, prout oratores desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

32. – Formula pro dispensatione super impedimento publicae honestatis in primo gradu.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N. et Marianna M., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento publicae honestatis in primo gradu ex publico vel notorio concubinatu (aut ex matrimonio invalido) provenientis inter oratorem (oratricem) et matrem [vel filiam] oratricis (patrem [vel filium] oratoris), quo detinentur, prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est (e. g., aetas oratricis superadulta 24 an. et ultra, aut carentia dotis aut nimia familiaritas etc.), eidem Ordinario committit ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant, dummodo nullum subsit dubium quod coniux possit esse proles ab altero contrahentium genita; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

Nota. – Haec formula adhibetur etiam pro secundo gradu, posthabita provenientia atque dempta mentione causae canonicae, quae surrogatur clausula generica: « ob rationabiles causas a S. Sede probatas ».

33. – Formula pro dispensatione super impedimentis minoris gradus consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis.

Ssm̃i D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N. et Marianna M., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento consanguinitatis in tertio tangente secundum (aut in tertio aequali aut affinitatis in secundo lineae collateralis gradu aut cognationis spiritualis), quo detinentur, ob rationabiles causas a S. Sede probatas, eidem Ordinario committit, ut, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

34. – Formula pro dispensatione super impedimento criminis neutro machinante cum fide data aut attentatione matrimonii etiam per actum civilem tantum.

Ssm̃i D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N. et Marianna M., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento criminis, neutro machinante, cum fide data (aut attentatione matrimonii per actum civilem), quo detinentur, ob rationabiles causas a S. Sede probatas, eidem Ordinario committit, ut, servatis canonicis praescriptionibus, imposita oratoribus poenitentia salutari, dummodo nullum scandalum intercedat, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

35. – Formula pro dispensatione super impedimento voti.

Ssm̃i D. N. div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Marianna M. (aut Ioannes N.), eiusdem Dioecesis, postulabat dispensationem super impedimento voti simplicis, v. g., perfectae ac perpetuae castitatis

(aut ingrediendi religionem votorum sollemnium) absolute et post completum decimum octavum aetatis annum privatim emissi, ad effectum matrimonii contrahendi, quo detinetur, eidem Ordinario committit ut dispensationem super memorato voto oratrici (oratori) benigne largiatur, ad hoc ut nuptias contrahere valeat.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

36. – Formula ad petendum « perinde valere ».

Beatissime Pater,

Ioannes N. et Marianna M., Dioecesis *N.*, dispensationem obtinuerunt super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu. Cum autem nuper aliud impedimentum detectum sit, nempe criminis, neutro machinante, cum fide data, eorum Ordinarius humiliter postulat sanationem praefatae obtentae dispensationis.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a Ssmo D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, Ordinario *N.* committit ut praefatas dispensationis litteras, quas ipsa Sacra Congregatio super noviter deducto impedimento dispensando benigne sanat et convalidat perinde ac si ab initio etiam super memorato criminis impedimento expeditae fuissent, servata in reliquis illarum forma ac tenore, licite ac libere exsequatur.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

37. – Formula pro dispensatione super impedimentis maioris gradus in « forma gratiosa ».

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus a parocho S. Laurentii et Damasi in Urbe rite commendatis, quibus Ioannes N. et Marianna M., eiusdem Dioecesis atque paroeciae, postulabant dispensationem super impedimento (puta consanguinitatis in secundo l. c. gradu), quo detinentur, prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est (urgentia matrimonii, quia omnia iam sunt ad nuptias parata), si vera sint exposita, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant, contrahere valeant; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

38. – Formula legitimationis prolis incestuosae extra dispensationem expetitae.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus Ordinarii *N.*, quibus postulabat facultatem legitimandi prolem susceptam ab oratoribus Ioanne N. et Marianna M., dum ipsi detinebantur impedimento consanguinitatis in secundo l. c. gradu, super quo dein fuerunt apostolica auctoritate dispensati, eidem Ordinario expetitam facultatem benigne indulget, qua nempe ipse prolem ab oratoribus susceptam legitimam declarare ac renuntiare valeat; contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

39. – Formula pro legitimatione prolis adulterinae.

Ex audientia Sanctissimi
diei ... mensis ... anni ...

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, referente me infrascripto Cardinali huius Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum Praefecto, ex speciali gratia, attenta commendatione Ordinarii *N.* et prae oculis habitis peculiaribus adiunctis in precibus expositis, Iulium, Maeviam ac Fridericum, eiusdem Dioecesis, a suis parentibus Ioanne N. et Marianna M., nunc in matrimonio coniunctis, susceptos, constante matrimonio patris (matris) cum alia muliere (viro) postea defuncta (defuncto), legitimos decernere atque declarare dignatus est ad effectus tantum canonicos, dummodo exinde nullum iuri tertii legitime quaesito praeiudicium inferatur et nullum scandalum proveniat.

Simul autem Eadem Sanctitas Sua mandavit ut huius legitimationis gratiae debita in libro baptizatorum fiat adnotatio; contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

40. – Formula pro revalidatione simplici matrimonii nulliter initi ob impedimentum dirimens super quo non fuit dispensatum.

S. Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus Ioannes N. et Marianna M., eiusdem Dioecesis, postulabant dispensationem super impedimento

(v. g., consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu), quo detinentur, prae oculis habita causa, quae ad optatam gratiam obtinendam potissime affertur, hoc est revalidatio matrimonii iam nulliter in facie Ecclesiae initi, eidem Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias, prout desiderant contrahere valeant, renovato consensu privatim coram parocho et duobus testibus confidentibus; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

NB. – Mutatis mutandis, haec formula adhibetur etiam pro impedimentis minoribus.

41. – Formula sanationis in radice matrimonii civiliter tantum initi.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, attentis precibus expositis ab oratrice Marianna M., e Dioecesi *N.*, quae postulabat sanationem in radice connubii a se civiliter initi cum Ioanne N., e Dioecesi *N.*, quum oratrix praefatum coniugem nullimode inducere possit ad explendam matrimonii formam et facti poenitens suae conscientiae consulere cupiat; benigne committit oratricis Ordinario ut praefatum matrimonium, dummodo prior maritalis consensus perseveret, separationis periculum absit et nullum obstet canonicum impedimentum, a quo S. Sedes non dispensat, in radice sanet ac revalidet, et prolem iam ex eodem coniugio susceptam legitimam nunciet et declaret, cauto pro viribus ne scandalum exinde obveniat, et ut, si quod exsistat, amoveatur.

Hortatur oratricem ut, opportuno tempore et si prudenter liceat, alteram partem edoceat de obtenta sanatione; eique oratrici in mentem revocat obligationem, qua gravissime in quolibet casu adstringitur, sibi vindicandi libertatem ad debita catholicae religionis officia obeunda et ad prolem baptizandam et christiana ratione educandam.

Mandat denique ut praesens rescriptum, cum attestatione peractae exsecutionis, in Curia episcopali diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de matrimonii validitate et de prolis legitimatione constare possit. Eiusmodi autem sanationis gratiae fiat adnotatio in libro matrimoniorum, et, si casus ferat, in libro sub secreto servando.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

42. – Formula sanationis in radice matrimonii nulliter initi ob impedimentum dirimens, cuius sanatio ab una tantum parte petitur.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus oratoris Ioannis N. (oratricis Mariannae M.) ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus postulabat sanationem in radice matrimonii nulliter e se initi cum Marianna M. (Ioanne N.) ob impedimentum (puta consanguinitatis in tertio l. c. gradu), super quo non fuit dispensatum, quod sine discrimine scandali aliusque mali denuo legitime iniri non potest; vigore facultatum a Ssmo D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, attentis expositis, benigne committit oratoris (oratricis) Ordinario ut praefatum matrimonium, dummodo prior maritalis consensus perseveret et nullum aliud obstet canonicum inpedimentum a quo S. Sedes non dispensat, in radice sanet ac revalidet, et prolem iam ex eodem coniugio susceptam legitimam nunciet et declaret, cauto pro viribus ne scandalum exinde obveniat, et ut, si quod exsistat, amoveatur.

Hortatur oratorem (oratricem) ut, opportuno tempore et, si prudenter liceat, alteram partem edoceat de obtenta huius matrimonii sanatione in radice.

Mandat denique ut praesens rescriptum cum attestatione peractae exsecutionis in Curia episcopali diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de matrimonii validitate ac de prolis legitimatione constare possit, et eiusdem sanationis gratiae fiat adnotatio in libro matrimoniorum, et, si casus ferat, in libro sub secreto servando.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

43. – Formula sanationis in radice matrimonii nulliter initi ob aliquod impedimentum, aut vitium substantiale formae, aut ex defectu delegationis in sacerdote adsistente, cuius sanatio petitur ab Ordinario, insciis partibus.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus postulabat sanationem in radice matrimonii nulliter initi inter Ioannem N. et Marianna M. ob impedimentum consanguinitatis in tertio l. c. gradu, super quo non est dispensatum (aut ob defectum facultatis in sacerdote adsistente, aut ob defectum testium etc.), quod sine discrimine

scandali aliusque mali denuo legitime iniri non potest; vigore facultatum a Ssmo D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, attentis expositis, praefatum matrimonium, dummodo prior maritalis consensus perseveret, et nullum (aliud) obstet canonicum impedimentum a quo S. Sedes non dispensat, in radice sanat ac revalidat, et prolem iam ex eodem coniugio susceptam legitimam nunciat atque declarat.

Praesens autem rescriptum in Curia episcopali diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de matrimonii validitate ac de prolis legitimatione constare possit, et eiusmodi sanationis gratiae fiat adnotatio in libro matrimoniorum, et, si casus ferat, in libro sub secreto servando.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die... mensis ... anni ...

44. – Formula sanationis in radice matrimonii nulliter initi ob aliquod ex vitiis, uti in praecedenti, quod aut cognitum est partibus aut facile ab eis dignosci potest, et sanatio ab Ordinario, partibus insciis, petitur.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus postulabat sanationem in radice matrimonii nulliter initi inter Ioannem N. et Mariannam M. ob impedimentum consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu, super quo non fuit dispensatum (aut ob defectum facultatis in sacerdote adsistente, etc.), quod sine discrimine scandali aliusque mali denuo legitime iniri non potest; vigore facultatum a Ssmo D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, attentis expositis, praefatum matrimonium, dummodo prior maritalis consensus perseveret, et nullum (aliud) obstet canonicum impedimentum a quo S. Sedes non dispensat, in radice sanat ac revalidat et prolem iam ex eodem coniugio susceptam legitimam nunciat atque declarat. Ordinarius autem curet ut, opportuno tempore, et si prudenter fieri possit, moneantur coniuges, vel saltem alteruter, de obtenta sanatione. Praesens vero rescriptum in Curia episcopali diligenter custodiatur, quo, omni tempore et eventu, de matrimonii validitate ac de prolis ligitimatione constare possit, et eiusmodi sanationis gratiae fiat adnotatio in libro matrimoniorum, et, si casus ferat, in libro sub secreto servando.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die... mensis ... anni ...

45. – Formula alternata pro convalidatione simplici aut pro sanatione in radice.

Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI auctoritate.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus oratricis Mariannae M. (oratoris Ioannis N.), ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus postulabat sanationem in radice matrimonii a se nulliter initi cum Ioanne N. (Marianna M.), ob impedimentum quo detinentur affinitatis in primo lineae collateralis gradu, super quo non fuit dispensatum, quodque ipse (ipsa) canonica forma convalidare renuit; vigore facultatum a Ssmo D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, attentis expositis, benigne committit Ordinario *N.* ut praefatos coniuges a praefato impedimento dispenset, virum (mulierem) inducat ad convalidandum matrimonium per renovationem utriusque partis consensus privatim coram parocho et duobus testibus confidentibus; vel, si id obtineri non possit, coram solo parocho vel tantum coram duobus testibus.

Et si matrimonium coram solis testibus celebratur, curet Ordinarius ut iidem testes in solidum cum contrahentibus onere graventur initum coniugium quamprimum parocho notificandi, a quo in libro matrimoniorum, secreto si oportuerit, adnotetur cum expressione nominum et cognominum testium, qui consensum receperunt.

Ordinarius autem nupturientes hortari non omittat ut ad Sacramenta poenitentiae et Ss. Eucharistiae debitis cum dispositionibus ante matrimonii celebrationem accedant, praestita (*quatenus actus civilis nondum fuerit peractus*) ab iisdem oratoribus, si fieri potest et si casus ferat, cautione pecuniaria aut fideiussoria, se quo citius possibile est actum civilem expleturos et insimul nuptialem benedictionem recepturos.

Quod si vir (mulier) adhuc pervicaciter renuat, S. C. eidem Ordinario committit ut praefatum matrimonium, dummodo prior maritalis consensus perseveret et nullum aliud obstet canonicum impedimentum a quo S. Sedes non dispensat, in radice sanet atque revalidet, prolemque forte ex eodem coniugio susceptam, legitimam nunciet ac declaret, cauto pro viribus ne scandalum exinde obveniat et ut, si quod adsit, auferatur, monita (monito) praeterea oratrice (oratore) ut, opportuno tempore et si prudenter liceat, alteram partem edoceat de obtenta huius matrimonii sanatione in radice.

Praesens rescriptum cum attestatione peractae exsecutionis in Curia episcopali diligenter custodiatur, quo, omni tempore et eventu, de matrimonii validitate et de prolis legitimatione constare

possit, et eiusdem convalidationis vel sanationis gratiae fiat adnotatio in libris paroecialibus ad normam can. 1103.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

D) Formulae dispensationum quae conceduntur ab Ordinario vi indulti aut iure proprio.

46. – In forma gratiosa ad nuptias ineundas.

N. N., Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus *N.* (*vel* Ordinarius Dioecesis *N.*), universis praesentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Oblata fuit nuper Nobis supplex petitio pro parte Ioannis N., laici e paroecia *N.*, Dioecesis *N.*, et Mariannae M., mulieris e paroecia *N.*, Dioecesis nostrae, ad effectum dispensationem obtinendi super impedimento... quo invicem sunt coniuncti, ut eo non obstante, matrimonium inter se contrahere possint.

Nos illorum commodo et saluti misericorditer in Domino providere volentes, attentaque iusta et gravi causa in dicta petitione allata:

Apostolica auctoritate Nobis in hac parte per indultum sub die... delegata (*vel* auctoritate Nobis a iure concessa, vi can. ...) cum praedictis oratoribus... dispensamus super impedimento praefato, ut eo nec non quibuscumque contrariis non obstantibus, dummodo aliud canonicum non obstet impedimentum, matrimonium inter se publice, servata canonica forma, contrahere valeant.

Prolemque exinde susceptam legitimam fore nuntiantes ac declarantes.

Datum *N.* sub sigillo nostro, ac cancellarii Curiae nostrae episcopalis, subscriptione anno ... die ... mense ...

47. – Formula eiusdem dispensationis pro foro interno confessario commissae.

N. N., Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus *N.* (*vel* Ordinarius Dioecesis *N.*), discreto viro Confessario ex approbatis in nostra Dioecesi per latores (*vel* latorem *vel* latricem) praesentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino.

Oblata fuit nuper Nobis pro parte *N.* et *N.* supplex petitio ad effectum obtinendi dispensationem super impedimento occulto...

Nos illorum (*vel* illius) commodo et saluti misericorditer in Domino providere volentes, attentaque causa in dicta petitione allata:

Auctoritate apostolica Nobis in hac parte per indultum sub die... delegata (*vel* auctoritate Nobis a iure concessa), si ita est, tibi confessario ad confessiones approbato et ab oratoribus (*vel*

oratore, *vel* oratrice) electo, facultatem concedimus cum dictis oratoribus (*vel* dicto oratore, *vel* dicta oratrice), audita eorum (*vel* eius) sacramentali confessione, remota occasione amplius peccandi, iniuncta gravi poenitentia salutari, imposita aliqua eleemosyna... auctoritate tibi delegata, misericorditer dispensandi, pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, super praedicto impedimento, dummodo sit occultum, ita ut praemissis, ceterisque contrariis non obstantibus, matrimonium uterque inter se, servata canonica forma, contrahere ac in eo postmodum remanere licite valeant.

Prolemque exinde susceptam legitimam nuntiandi ac declarandi.

Praesentibus post earum exsecutionem dilacerandis vel comburendis.

Datum, etc.

III.

FORMULAE FULMINATIONIS DISPENSATIONIS.

48. - Formula fulminationis pontificiae dispensationis ab Ordinario concedendae.

Nos *N. N.*, Vicarius generalis, officialis Excellentissimi ac Reverendissimi Domini *N.*, Episcopi *N.*

Omni qua decet reverentia recepimus ac sedulo recognovimus rescriptum (vel breve) apostolicum per organum S. C. de Sacr. (*vel* S. Poenitentiariae, *vel* S. Officii) sub die... expeditum et Nobis pro exsecutione commissum, ad dispensandum pro parte, Ioannis N., laici dioecesis *N.*, et Mariannae M., mulieris huius dioecesis, super impedimento ...

Certiorati aliunde preces veritate niti, omnes clausulas in praemissis litteris apostolicis contentas fideliter esse adimpletas vel adimplendas.

Apostolica auctoritate nobis concessa, et qua fungimur in hac parte, praedictos oratores per praesentes dispensamus super praefato impedimento, ut eo, nec non quibuscumque contrariis non obstantibus, dummodo nullum aliud obstet canonicum impedimentum (citra praescriptum can. 1052) matrimonium inter se publice, servata canonica forma, contrahere valeant.

In quorum fidem praesentes manu nostra subscripsimus et per cancellarium huius episcopalis Curiae expediri iussimus.

Datum, etc.

Advertenda. - Huic formulae sunt praeterea addenda, quae ex terminis atque clausulis rescripti eruuntur, v. g., legitimatio prolis susceptae, poenitentia imponenda, si quae praecipiatur etiam ab Ordinario statuenda, separatio inter nupturientes (v. g., concubinarios) instituenda etc.

49. – Ex facultate litterarum « perinde valere ».

Initium ut supra usque ad: Certiorati vero praedictas litteras apostolicas nullas esse ob... illas in primis, virtute indulti apostolici sub die... concessi Ordinario *N.*, convalidamus, ipsisque per praesentes vim ac robur restituimus ita ut firma perseveret facta nobis primitus delegatio.

Certi aliunde preces veritate niti... *ut supra usque ad* finem.

50. – Formula fulminationis pontificiae dispensationis ab Ordinario concedendae super impedimento mixtae religionis.

Praemittantur quae sub formula 48 retulimus usque ad verba: fideliter esse adimpletas;

Praestitis iam cautionibus ab Ecclesia praescriptis, ex parte scilicet acatholica de amovendo a coniuge catholico quolibet perversionis periculo et ex utraque parte de universa prole utriusque sexus catholice tantum baptizanda et educanda, apostolica auctoritate nobis concessa et qua fungimur in hac parte, iustis gravibusque accedentibus causis, praedictos oratores per praesentes dispensamus super praefato impedimento ut eo, nec non quibuscumque contrariis non obstantibus, et dummodo nullum aliud obstet canonicum impedimentum, matrimonium inter se contrahere valeant, servata forma canonica (ad normam can. 1094), extra tamen ecclesiam, cum omissione proclamationum matrimonialium, sine parochi benedictione atque ullo alio ecclesiastico ritu.

Datum etc.

Mandamus praeterea parocho *N.* (nupturientium), ut partem catholicam moneat de obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis acatholici; utrumque vero nupturientem moneat ipsos ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum, uti sacris addictum, ad consensum matrimonialem praestandum vel renovandum adire non posse, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae, a parte catholica incurrendae ad normam can. 2319 § 1 n. 1°. Celebrato autem matrimonio, parochus invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant: quodsi in aliam paroeciam discesserint de isto munere invigilandi edoceat parochum competentem.

NB. – Haec valent quoque pro fulminatione dispensationis super impedimento *disparitatis cultus*, mutatis mutandis.

51. - Formula fulminationis dispensationis a confessario [1] concedendae ad nuptias ineundas.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti in quantum possum et tu indiges.

Insuper, auctoritate apostolica (*vel* Excellentissimi Episcopi *N.*) mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento... ut, praefato impedimento non obstante, cum muliere, cui nubere intendis, matrimonium publice, servata forma canonica, contrahere valeas, et eadem auctoritate apostolica prolem exinde susceptam legitimam nuntio. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini nostri Iesu Christi... (*prouti in Rituali*).

52. - Formula fulminationis dispensationis a confessario concedendae ad nuptias convalidandas.

Dominus noster etc. Insuper: auctoritate apostolica (*vel* Excellentissimi Episcopi *N.*) mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento.... quo ligatus matrimonium nulliter contraxisti, ut, praefato impedimento non obstante, denuo matrimonium cum tua putata coniuge, renovato consensu, contrahere possis, prolemque exinde susceptam legitimam nuntio. In nomine Patris, etc.

53. - Formulam fulminationis a confessario concedendae ad sanandas nuptias in radice vide n. 1231. [2]

54. - Formula interpellationis a coniuge converso faciendae alteri coniugi persistenti in infidelitate.

Commissione et mandato Excellentissimi ac Reverendissimi D. *N.* Episcopi. Tenore praesentium et ad instantiam Mariae M., neophitae, ante baptismum vocatae Rachaelis, requiritur, interpellatur ac monetur Isaac Alpronus Iudaeus, maritus eiusdem Rachaelis et

---

[1] Confessaris hac et sequentibus utitur formulis quando dispensat simul absolvens a peccatis.

[2] *Si confessarius dispensat absque absolutione a peccatis.*

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti in quantum possum et tu indiges.

Insuper, auctoritate apostolica mihi tradita (*vel* Ordinario Dioecesis *N.* concessa et mihi subdelegata, *vel* auctoritate Excellentissimi Episcopi *N.* mihi delegata); ego dispenso tecum super impedimento..., ut, praefato im-

nunc Mariae, ut in termino dierum triginta ab intimatione praesenti immediate decurrentium ac numerandorum, quorum decem pro primo, alios decem pro secundo et reliquos decem dies pro tertio et ultimo termino assignamus, debeat in actis huius Curiae se exprimere ac declarare, an velit sectam iudaicam deserere, se convertere ad sanctam fidem catholicam, ac sacrum baptismum corde sincero suscipere, prout ipsa Maria fecit, et prout enixe eum facere rogat, pro salute animae suae: et quatenus ad veram fidem se convertere nolit, ipse monetur, interpellatur, requiritur an saltem velit cum coniuge sua conversa ad fidem cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. Alias, dictis triginta diebus transactis, et ad fidem catholicam non se convertente, et se conversurum non declarante, aut non respondente, aut recusante secum pacifice sine contumelia Creatoris cohabitare, ipsa Maria ad secundas nuptias cum alio fideli transibit, et citetur praedictus Isaac Alpronus Iudaeus, ac citatus intelligatur ad comparendum eodem termino triginta dierum transacto, coram D. S. illustrissima ac reverendissima ad audiendam sententiam, et quodcumque decretum necessarium et opportunum super praemissis pronunciandum fuerit; salvo iure eidem Mariae, olim Rachaeli, petendi et consequendi dotem suam, ac alia quaecumque bona sibi de iure debita. In quorum fidem, etc.

Datum ex Cancellaria episcopali *N.*, die ... mense ... anno ...

IV.

FORMULAE NONNULLARUM FACULTATUM MATRIMONIALIUM ORDINARIIS CONCESSARUM.

A) Facultates S. Officii, S. C. de Sacramentis et S. Poenitentiariae, quae conceduntur in "Indice" S. C. Consistorialis.

Adnotanda. – S. C. Consistorialis, ad tenorem Motus proprii Pii Papae XI *Post datam*, diei 20 aprilis 1923, concedere solet speciale folium, quod continet nonnullas facultates, quas Ordinarii impetrare solebant a singulis SS. CC., quodque nuncupatur proprio nomine « *Index facultatum quinquennalium* » et quatuor constat

---

pedimento non obstante, matrimonium canonica forma contrahere valeas, prolemque exinde susceptam legitimam nuntio, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Eademque formula confessarius utitur pro omnibus aliis casibus supra recensitis.

Quando confessarius fulminat sanationem in radice, utraque parte absente, utitur eadem formula (cit. n. 1231), sed in numero plurali.

formulis I, II, III et IV, necnon duobus foliis separatis *A* et *B*, qui inscribuntur « *facultates additionales S. C. S. Officii* ».

In praefato « Indice » una cum aliis facultatibus reperiuntur etiam matrimoniales, quae conceduntur a S. Poenitentiaria pro foro interno, a S. C. S. Officii et S. C. de Sacramentis pro foro externo.

Facultates *S. Poenitentiariae* habentur in singulis quatuor formulis.

Facultates *S. C. de Sacramentis* continentur in formulis III et IV, atque eaedem prorsus sunt, quas ipsa S. Congregatio concedit Ordinariis, qui magis ab Urbe absunt [vide sub litt. *C*) *b*) huius allegati nn. 61, 62].

Facultates S. C. S. Officii continentur sub formula IV et in foliis separatis *A* (quod easdem recenset ac formula IV) et *B*, quod minores continet, uti infra significabitur.

55. - Facultates matrimoniales S. C. S. Officii, quae continentur in « Indice facultatum quinquennalium » S. C. Consistorialis sub formula IV et sub folio *A*.

1. Dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium, aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento mixtae religionis, et, si casus ferat, etiam super disparitate cultus, ad cautelam, quoties prudens dubium oriatur de collatione baptismi partis acatholicae; quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter ad praescriptum Cod. I. C., can. 1061 § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis et ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte nupturientis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. I. C., can. 1063 § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319 § 1 n. 1°; stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063 § 2.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur, praevia eius absolu-

tione ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis poenitentiis salutaribus.

2. Dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium, aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento disparitatis cultus (excepto tamen casu matrimonii cum parte iudaica aut mahumetana); quatenus sine contumelia Creatoris id fieri possit et ante nuptias pars non baptizata ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter ad praescriptum Cod. I. C., can. 1061 § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte nupturientis non baptizati de amovendo a parte catholica perversionis periculo et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. I. C., can. 1063 § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319 § 1 n. 1°; stricte caeteroquin servatis quae de parochi agendi ratione in casu statuta sunt in can. 1063 § 2. Quod vero attinet ad legitimationem prolis, prae oculis habeatur can. 1051.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur.

In reliquis, quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus, sive agatur de impedimento mixtae religionis sive disparitatis cultus, serventur praescripta Cod. I. C., cann. 1026, 1102, 1109, et huiusmodi nuptiis celebratis, sive in proprio, sive in alieno territorio, R. P. D. Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

3. Sanandi in radice matrimonia attentata coram Officiali civili vel ministro acatholico a suis subditis etiam extra territorium, aut non subditis intra limites proprii territorii, cum impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, dummodo consensus in utroque coniuge perseveret, isque legitime renovari non possit, sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico coniuge subeundi; sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut ad cautiones praestandas, ad praescriptum Cod. I. C.,

can. 1061 § 2, ullo modo induci nequeat; dummodo moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis tam natae quam nasciturae baptismum catholicum et catholicam educationem non esse impediturum et dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum dirimens, super quo Ipse dispensandi aut sanandi facultate non polleat.

Ipse autem R. P. D. Episcopus serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, et, si casus ferat, eam ab excommunicatione absolvat iuxta Cod. I. C., can. 2319 § 1, simulque declaret ob sanationis gratiam a se acceptatam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile iure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse; eique insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus curandi baptismum et educationem universae prolis utriusque sexus, tam forte natae quam forsitan nasciturae, in catholicae religionis sanctitate et prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, R. P. D. Episcopus mandet ut singulis vicibus documentum sanationis cum attestatione peractae exsecutionis diligenter custodiatur in Curia locali, nec non curet, nisi pro sua prudentia aliter iudicaverit, ut in libris baptizatorum paroeciae, ubi pars catholica baptismum recepit, transcribatur notitia sanationis matrimonii, de quo actum est, cum adnotatione diei et anni.

Mens autem est S. Officii ut Episcopus hanc facultatem per se ipse personaliter exerceat, scilicet nemini subdeleget.

Adnotanda. – 1. *In singulis praefatis sive sanationibus sive dispensationibus concedendis, Episcopus vel Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis* (Cod. I. C., can. 1057).

2. – *Ordinarius in fine cuiuslibet anni referat ad S. Congregationem S. Officii de numero et specie dispensationum vigore praesentis Indulti elargitarum.*

Sub folio *B* eiusdem S. C. Consistorialis eaedem continentur facultates supra relatae, demptis iis, quae sub n. 3 recensentur.

56. – Facultates matrimoniales S. C. de Sacramentis, quae continentur in « Indice facultatum quinquennalium » S. C. Consistorialis, sub formula III et IV, eaedem sunt, quas reperies in folio S. C. de Sacramentis (vide infra n. 62) sub nn. 1, 2, 3 et 4 usque ad verba « in libro baptizatorum et matrimoniorum ».

Praeterea in *Indice* S. C. Consistorialis peculiaria adduntur quoad facultates S. C. de Sacramentis:

Adnotanda. – 1. *Ordinarius recensitis facultatibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter de-*

putandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam canonis 1057.

2. *In usu earumdem facultatum prae oculis habeantur, quae in can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.*

3. *Ordinarius, in fine cuiuslibet anni, referat ad Sacram Congregationem Sacramentorum, per tramitem S. Congregationis Consistorialis, de numero et specie dispensationum, quas vigore praesentis Indulti ipse fuerit elargitus.*

Et in « Normis de taxis » formulae III et IV haec referuntur:

4. *Quod spectat ad dispensationes et sanationes matrimoniales concedendas — ex facultatibus sive S. C. S. Officii sive S. C. de Disciplina Sacramentorum — curet Ordinarius ut nupturientes, qui pares solvendo inveniantur*, aequam et congruam *oblationem, iuxta praxim apud Curias legitime inolitam, persolvant.*

5. *Pro casuum tamen diversitate, huiusmodi taxae moderandae aut dispensandae erunt, ob paupertatem oratorum, aliasve iustas causas*, pro prudenti iudicio ac conscientia Ordinarii.

6. *Summa omnium taxarum et obligationum, quas Ordinarius reapse exegerit, in fine cuiuslibet anni ad S. Sedem*, per tramitem S. Congregationis Consistorialis, *transmittatur, in foliis separatis adnotando partes, quae spectant ad singulas SS. Congregationes.*

7. *Ipse Ordinarius pro quolibet indulto, etiam matrimoniali ad sensum can. 1056, taxam libellarum* quinque *adiicere poterit, sibique retinere in sui vel dioecesis necessitatibus erogandam; salvo praescripto n. 5.*

57. – Facultates matrimoniales S. Poenitentiariae, quae continentur in « Indice facultatum quinquennalium » S. C. Consistorialis et quidem in singulis quatuor formulis.

8. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Adnotanda. – 1. *Ordinarius recensitis facultatibus... dispensandi, pro foro conscientiae, etiam intra sacramentalem confessionem cum suis subditis, et extra dioecesim quoque, quatenus vel ipse vel subdi-*

tus vel uterque extra dioecesim fuerint, necnon cum non subditis intra limites proprii territorii, ex speciali Sedis Apostolicae auctoritate ipsi concessa, uti valebit; easque intra fines dioecesis tantum Canonico Poenitentiario necnon Vicariis Foraneis, pro foro pariter conscientiae et in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si ipsi placuerit, aliis vero confessariis cum ad ipsum Ordinarium in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri poterit, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis specialiter deputandis per tempus, arbitrio suo statuendum, illas communicare iudicabit.

Normae de taxis *sub n. 2 addunt: Nulla exigatur taxa pro facultatibus S. Poenitentiariae, quae omnino gratis sunt concedendae.*

B) Facultates Sacrae Congregationis Orientalis.

58. - Folium facultatis pro dispensatione super mixta religione.

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI sibi tributarum, R. P. D. Ordinario *N.* potestatem facit dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium aut non subditis intra limites proprii territorii, et, etiam super disparitate cultus ad cautelam; quoties prudens dubium oriatur de collatione baptismi partis acatholicae, quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci, aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et ipse Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri: ex parte nupturientis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda, non obstante, si forte adsit, legum civilium oppositione; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae, a parte catholica incurrendae, neque parochi, si certe noverint sponsos hanc legem violaturos esse, eorum matrimonio assistant, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario.

Quod si partes ministrum acatholicum iam adiverint, vel si actu in concubinatu vivant, si fieri potest sine gravi damno, separentur aliquo tempore prudenti arbitrio dispensantis, alioquin, opportunis modis scandalum, si adsit removeatur, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei, praevia absolutione a censuris et impositis poenitentiis salutaribus, prolem sive susceptam, nisi fuerit ex adulterio, sive exinde suscipiendam legitimam declarando.

In singulis autem casibus expressa mentio fiat Apostolicae delegationis. Item de singulis casibus referatur in fine uniuscuiusque anni ad hanc S. Congregationem.

Ordinarius autem invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die...

58 *bis*. – Folium facultatis pro dispensatione super cultus disparitate.

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI specialiter concessarum, R. P. D. Ordinario *N.* potestatem facit dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium, aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento disparitatis cultus, (excepto tamen casu matrimonii cum parte iudaica aut mahumedana); quatenus sine contumelia Creatoris id fieri possit et ante nuptias pars non baptizata ad veram religionem adduci, aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis, et ipse Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte nupturientis non baptizati de amovendo a parte catholica perversionis periculo et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda, non obstante, si forte adsit, legum civilium oppositione; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae, a parte catholica incurrendae; neque parochi, si certe noverint sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio assistant, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario.

Quod si partes ministrum acatholicum iam adiverint, vel si actu in concubinatu vivant, si fieri potest sine gravi damno, separentur aliquo tempore prudenti arbitrio dispensantis, alioquin, opportunis modis scandalum, si adsit, removeatur, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei, praevia absolutione a censuris et impositis poenitentiis salutaribus, prolem sive susceptam, nisi fuerit ex adulterio, sive exinde suscipiendam legitimam declarando.

In singulis autem casibus expressa mentio fiat Apostolicae delegationis.

Item de singulis casibus referatur in fine uniuscuiusque anni ad hanc Sacram Congregationem.

Ordinarius autem invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die...

59. - Folium facultatis cumulandi in impedimentis matrimonialibus.

Sacra Congregatio Orientalis, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Papa XI sibi tributarum, R. P. D. *N.* benigne indulget, ut facultatibus ab Apostolica Sede ei tributis, dispensandi super quibusdam impedimentis matrimonium dirimentibus singillatim sumptis, uti etiam possit in casibus in quibus duo vel plura simul concurrant ex praedictis impedimentis; nec non concurrente quoque impedimento mixtae religionis, si etiam pro huius dispensatione concedenda facultatem iam obtinuerit; accedentibus tamen iustis iisque gravibus causis, et in urgentioribus casibus pro quibus tempus non suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem, et dummodo singulae facultates, sive primitus ab eo obtentae sive ei renovatae, adhuc perdurent, et si agatur de facultatibus pro certo casuum numero taxative eidem concessis, hunc numerum non excedant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregrationis Orientalis, die...

60. - Folium facultatis pro foro interno.

Sacra Congregatio Orientalis, ex commissione habita a Sacra Poenitentiaria Apostolica, Revmo P. D. Ordinario *N.* potestatem facit:

II. *Dispensandi* super occulto criminis impedimento, neutro tamen coniugum machinante, tam in matrimoniis contractis, reno-

vato secreto a partibus consensu, tam in contrahendis, iniuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari: necnon restituendi ius amissum petendi debitum.

Adnotanda. – 1. Ordinarius *recensitis facultatibus pro foro conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem, intra fines suae iurisdictionis, et cum suis subditis, etiam extra propriam ecclesiam, uti valebit, sine ulla mercede et facta mentione apostolicae delegationis.*

2. Ordinarius *insuper praedictas facultates, omnes vel nonnullas, pro casibus particularibus vel habitualiter, sacerdotibus idoneis suae Ecclesiae subdelegare poterit, in sacramentali confessione duntaxat ab ipsis exercendas.*

Praesentibus *ad quinquennium* valituris.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die...

C) Facultates Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum.

61. – Folium facultatis dispensandi super impedimentis matrimonialibus, quod conceditur quibusdam Ordinariis Europae Urbi proximioribus.

Beatissime Pater,

Ordinarius *N.* humiliter postulat a Sanctitate Vestra concessionem specialium facultatum matrimonialium habita ratione casuum, qui satis frequenter recurrunt (vel vastitatis Dioecesis).

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a Ssmo Domino Nostro Pio Papa XI sibi tributarum, attentis expositis, Ordinario oratori infrascriptas ad triennium (de more) communicat facultates, quibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam can. 1057:

1. Dispensandi *iusta et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis minoris gradus, quae in can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis impedientibus de quibus in can. 1058, ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2. Dispensandi *ex gravi urgentique causa* quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis maioris gradus infra recensitis:

a) consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo;

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum sub sit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3. Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4. Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

In usu facultatum de quibus in praesenti folio prae oculis habeantur quae in can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.

Curet Ordinarius in singulis praefatis concedendis dispensationibus ut nupturientes, qui pares solvendo inveniantur, aequam oblationem iuxta vires persolvant in obsequium Sanctae Sedis. Idem autem Ordinarius quovis anno, a data praesentium computando, referat ad hanc Sacram Congregationem de numero et specie dispensationum, quas vigore praesentis indulti Ipse fuerit elargitus et summam oblationum transmittat, salvo praescripto can. 1056.

Pro facultate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, sive singillatim sumptis sive cum aliis impedimentis concurrentibus, recurrendum ad Sanctum Officium.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die... mensis ... anni ...

62. – Folium facultatis dispensandi super impedimentis matrimonialibus quod conceditur Ordinariis, qui magis ab Urbe absunt.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario *N.* rite commendatis, quibus postulabat concessionem specialium facultatum matrimonialium, habita ratione vastitatis Dioecesis (casuum, qui satis frequenter recurrunt), eidem Ordinario infrascriptas communicat facultates, quibus sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputan-

das, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam can. 1057:

1. Dispensandi *iusta et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis, quae in can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis impedientibus, de quibus in can. 1058, ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2. Dispensandi *ex gravi urgentique causa* quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis infra recensitis:

a) consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo;

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3. Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4. Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis iuris ecclesiastici maioris vel minoris gradus, exceptis iis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta, matrimonio consummato, si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara nullitatis matrimonii, renovationem consensus, dummodo prior maritalis consensus perseveret, et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis, et debita facta adnotatione in libro baptizatorum et matrimoniorum.

In usu facultatum de quibus in praesenti folio prae oculis habeantur quae in can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.

Curet Ordinarius in singulis praefatis concedendis dispensationibus ut nupturientes qui pares solvendo inveniantur aequam oblationem iuxta vires persolvant in obsequium Sanctae Sedis. Idem autem Ordinarius, in fine cuiuslibet anni, referat ad hanc Sacram Congregationem de numero et specie dispensationum, quas vigore praesentis indulti Ipse fuerit elargitus et summam oblationum transmittat, salvo praescripto can. 1056.

Pro facultate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus sive singillatim sumptis sive cum aliis impedimentis concurrentibus, recurrendum ad Sanctum Officium.

Praesentibus duraturis usque ad annum quo ab Ordinario fieri debet proxima *Relatio dioecesana*, quousque nempe occasione praefatae relationis prorogationem harum facultatum petierit et obtinuerit.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... mensis ... anni ...

D) Facultates Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Advertenda. – *S. C. de Prop. Fide quatuor formulis complectitur facultates Ordinariis locorum missionum tribui solitas, quae appellantur* formula prima, secunda (*quae duplex est*, minor et maior) tertia (*quaeque pariter* minor *est et* maior), *et hae omnes possunt subdelegari, et demum alia speciali quadam, quae proprio nomine* « extra ordinem » *nuncupatur.*

63. – Facultates matrimoniales formulae primae asterisco signatae (quod significat eas posse subdelegari), sic sonant:

8. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super *impedimentis matrimonialibus* minoris gradus (can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus.

Concedendo tamen has dispensationes Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie.

9. *Sanandi in radice*, iuxta regulas in Codice a can. 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra n. 8, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat can. 1051.

11. Dispensandi vel commutandi *vota privata* Sedi Ap. reservata, de quibus in can. 1309.

Animadversiones. – I. *Ordinarius supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valeat* intra fines suae iurisdictionis; *easque gratis et sine ulla mercede exerceat, et facta mentione apostolicae delegationis.*

II. *Quod si forte* ex oblivione vel inadvertentia *ultra tempus supra praefinitum, seu ultra... hisce* facultatibus *Ordinarium* uti *contingat, (absolutiones) dispensationes, (concessiones) omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. Insuper* datis *ab Ordinario* precibus pro renovatione *seu prorogatione earundem facultatum, ipsae in suo robore* perseverare *censeantur, usque dum responsum S. C. ad eundem Ordinarium pervenerit.*

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die ... mensis ... anno ...

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

NB. – Hae vero « animadversiones » valent quoque pro facultatibus matrimonialibus ceterarum formularum, una dempta formula « extra ordinem ».

64. – Facultates formulae secundae (minoris), quae pariter possunt subdelegari, hae recensentur:

14. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super *impedimentis matrimonialibus* sive minoris sive maioris gradus (can. 1042) tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici; exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio.

Concedendo tamen has dispensationes Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie; et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis: videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate baptizanda et educanda; monita parte catholica de obligatione, qua tenetur, conversionem coniugis acatholici prudenter curandi; eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut: constet de status libertate partis infidelis ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

15. *Sanandi in radice*, iuxta regulas in Codice a can. 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra n. 14, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat can. 1051.

16. *Sanandi* pariter *in radice matrimonia mixta* attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico, dummodo moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis tam natae quam nasciturae catholicum baptismum atque catholicam educationem non esse impedituram.

18. Dispensandi vel commutandi *vota privata* Sedi Apost. reservata, de quibus in can. 1309.

65. – Facultates formulae secundae (maioris), quae pariter possunt subdelegari, quaeque recoluntur sub nn. 15, 16, 17, 19, eaedem prorsus sunt ac praecedentis formulae (minoris).

66. – Facultates formulae tertiae (minoris), quae continentur sub nn. 20, 21, 22 et 28, eaedem sunt ac formulae secundae (minoris), at ulteriores complectuntur potestastes, quod attinet nempe Privilegium Paulinum et interpellationes, quae postremae huius tenoris sunt:

23. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus *plures uxores* habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

24. Dispensandi super *interpellatione* coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus *casibus ordinariis*, dummodo scilicet adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse.

25. Itemque dispensandi super *interpellatione* coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit, saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti *gravis damni* aut coniugi iam ad fidem converso, aut christianis inferendi periculo.

26. Permittendi ut, accedente gravi causa, *interpellatio* coniugis infidelis *ante baptismum* partis quae ad fidem convertitur fieri possit; nec non, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi, dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem.

67. – Facultates formulae tertiae (minoris), quae continentur sub nn. 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 29, eaedem sunt ac in praecedenti formula etiam quoad ambitum.

68. – Facultates formulae « extra ordinem » n. 2267/31 prot. obsignatae, quae Ordinariis Iugoslaviae solummodo conceduntur, hae recensentur:

13. Dispensandi *iusta et rationabili ex causa* super matrimonialibus *impedimentis minoris gradus*, quae in can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis *impedientibus, de quibus in can. 1058*, ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

14. *Dispensandi ex gravi urgentique causa*, quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur, super impedimentis infra recensitis:

a) *consanguinitatis in secundo* aut *in tertio cum primo mixtis*, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b) *consanguinitatis in secundo* lineae collateralis gradu;

c) *affinitatis in primo lineae collateralis* gradu aequali vel mixto cum secundo;

d) *publicae honestatis* in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

15. Dispensandi *tempore* et in actu Sacrae Pastoralis *Visitationis*, Sacrarum *Missionum*, et non ultra, *super omnibus matrimonialibus impedimentis* supra memoratis *cum iis qui in concubinatu* vivere reperiuntur.

16. *Sanandi in radice* matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis *iuris ecclesiastici maioris vel minoris* gradus, exceptis iis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta, matrimonio consummato, si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara nullitatis matrimonii, renovationem consensus, dummodo tamen prior maritalis consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro baptizatorum et matrimoniorum.

Adnotanda. – 1. *Ordinarius recensitis facultatibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam canonis 1057.*

2. *In usu earumdum facultatum prae oculis habeantur quae in can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.*

3. *Ordinarius, in fine cuiuslibet anni, referat ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, de numero et specie dispensationum, quas vigore praesentis Indulti ipse fuerit elargitus.*

17. *Dispensandi*, iustis gravibusque accedentibus causis, *cum subditis etiam extra territorium aut non subditis intra limites* proprii territorii, *super impedimento mixtae religionis*, et, si casus ferat, *etiam super disparitate cultus*, ad cautelam; quoties prudens dubium oriatur de collatione baptismi partis acatholicae; quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter

ad praescriptum Cod. I. C., can. 1061 § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et ipse Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte nupturientis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem C. I. C., can. 1063 § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319 § 1 n. 1°, stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063 § 2.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur, praevia eius absolutione ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis poenitentiis salutaribus.

18. *Sanandi in radice matrimonia attentata coram officiali civili* vel *ministro acatholico* a suis subditis etiam extra territorium aut non subditis, intra limites proprii territorii, cum impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, dummodo consensus in utroque coniuge perseveret, isque legitime renovari non possit, sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico coniuge subeundi; sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut ad cautiones praestandas, ad praescriptum Cod. I. C., can. 1061 § 2, ullo modo induci nequeat et dummodo moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis tam natae quam nasciturae catholicum baptismum et catholicam educationem non esse impedituram, et tandem dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum dirimens, super quo ipse Ordinarius dispensandi aut sanandi facultate non polleat.

Ipse autem Ordinarius serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat et, si casus ferat, eam ab excommunicatione absolvat iuxta Cod. I. C., can. 2319 § 1 n. 1°, simulque declaret ob sanationis gratiam a se acceptatam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile iure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse; eique insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus curandi ba-

ptismum et educationem universae prolis utriusque sexus, tam forte natae quam forsitan nasciturae, in catholicae religionis sanctitate et prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, Ordinarius mandet ut singulis vicibus documentum sanationis cum attestatione peractae exsecutionis diligenter custodiatur in Curia locali, nec non curet, nisi pro sua prudentia aliter iudicaverit, ut in libro baptizatorum paroeciae, ubi pars catholica baptismum recepit, transcribatur notitia sanationis matrimonii, de quo actum est, cum adnotatione diei et anni.

Mens autem est huius S. C. ut Episcopus hanc facultatem per se ipse personaliter exerceat, scilicet nemini subdeleget.

Adnotanda. – 1. *In singulis praefatis sive sanationibus sive dispensationibus concedendis, Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis* (Cod. I. C., can. 1057).

2. *Ordinarius in fine cuiuslibet anni referat ad S. Congregationem de Propaganda Fide de numero et specie dispensationum vigore praesentis Indulti elargitarum.*

19. *Dispensandi super occulto criminis impedimento*, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Adnotanda. – *Ordinarius recensitis facultatibus, tum absolvendi a censuris tum dispensandi, pro foro conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem cum suis subditis, et extra dioecesim quoque, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra dioecesim fuerint, necnon cum non subditis intra limites proprii territorii, ex speciali Sedis Apostolicae auctoritate ipsi concessa, uti valebit; easque intra fines dioecesis tantum Canonico Poenitentiario necnon Vicariis Foraneis, pro foro pariter conscientiae et in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si ipsi placuerit, aliis vero confessariis cum ad ipsum Ordinarium in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri poterit, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis specialiter deputandis per tempus, arbitrio suo statuendum, illas communicare iudicabit.*

ALLEGATUM VI

S. CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

INSTRUCTIO AC REVMOS ORDINARIOS LOCORUM

SUPER PROBATIONE STATUS LIBERI AC DENUNTIATIONE INITI MATRIMONII.

Iterum conquesti sunt haud pauci Ordinarii locorum quod parochi, praesertim in exteris dissitisque regionibus ad quas frequentes demigrant ex Europa opifices, horum aliquando matrimoniis assistant, quin praescripta iuris tum de statu libertatis tum de initi matrimonii denuntiatione rite serventur; ex quo fit ut non raro novum contra fas attentetur matrimonium ab iis qui adhuc priore vinculo adstringuntur.

Ad huiusmodi malum praecavendum, quo sacra familiae christianae iura pessumdantur, parentes vinculis damnationis illaqueantur, et filii perversionis periculo facile obiiciuntur, haec Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum die 6 mensis martii anni 1911 Instructionem Ordinariis dedit, quae in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis*, vol. III, pag. 102, sub die 15 eiusdem mensis evulgata est.

Verum ne quis, in negotio tam gravi, huic Instructioni aliquid a Codice iuris canonici derogatum esse putet, Emi Patres huius Sacrae Congregationis in generali conventu die 26 mensis iunii currentis anni habito, eam, ipsius Codicis praescriptionibus suffultam, Ordinariis iterum sequentis tenoris dandam censuerunt.

1. Ordinarii in parochorum memoriam revocare satagant haud licere ipsis adstare matrimonio, ne praetextu quidem et intentione avertendi fideles a turpi concubinatu, aut praecavendi scandalum coniugii, quod vocant, civilis, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis (can. 1020 et 1097 § 1 n. 1°, Cod. iur. can.), iidemque moneantur ne omittant, ad normam can. 1021, baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic in alia paroecia fuerit illis collatus.

2. Vi can. 1103 § 2 parochus, qui matrimonio interfuit, ad parochum baptismi transmittere festinet initi contractus denuntiationem, quae, ut praescripta eiusdem canonis rite serventur, conti-

neat oportet coniugum eorumque parentum nomina et agnomina, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium pariter nomina et agnomina, denique ipsum parochi nomen et agnomen una cum paroeciali sigillo.

Accurate autem edoceatur de paroecia, de dioecesi, ac de baptismi coniugum loco; ceteraque alia serventur, quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

3. Quo securius sive testimonium de statu libero a parocho nupturientium habeatur, sive denuntiatio de secuto matrimonio ad parochum baptismi perveniat, parochi haec documenta petant vel transmittant per cancellariam Ordinarii loci.

4. Id autem perpendant parochi oportet, aliqua huiusmodi opificum emigrantium matrimonia, quasi vagorum matrimonia habenda esse, quibus, iuxta can. 1032, *parochus assistere non debet nisi debitam licentiam assistendi ab Ordinario loci obtinuerit.* Quod si de vagis non agatur, tamen difficulter quoad alios emigrantes *abest dubium de exsistentia impedimenti*, ideoque, iuxta can. 1031 § 1 n. 3, parochus *eorum matrimonio assistere nequit inconsulto Ordinario*; habito etiam prae oculis praescripto can. 1023 § 2. Hisce de causis haec Sacra Congregatio iubet et mandat ut parochi matrimoniis fidelium de quibus agitur in hac Instructione non assistant, excepto casu necessitatis seu potissimum periculo mortis, inconsulto Ordinario loci.

5. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis de quibus in n. 1, baptismi parochus in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit, per cancellariam Ordinarii, parocho contra fas attentati matrimonii.

6. Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, horumque violatores, si quos repererint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, si opus sit, canonicis sanctionibus.

Ssmus Dominus Noster Benedictus Pp. XV, in audientia habita ab infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis die 26 iunii 1921, hanc Instructionem approbavit et confirmavit, eamque ab omnibus quibus spectat servari mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. C. de Sacramentis, die 4 iulii 1921.

M. Card. Lega, *Praefectus.*

L. ✠ S.

✝ A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

ALLEGATUM VII

EPISTOLA BENEDICTI PP. XIV

AD ARCHIEPISCOPUM GOANUM

DE DOMICILIO AUT QUASI-DOMICILIO AD MATRIMONIUM INEUNDUM.

VENERABILI FRATRI ANTONIO ARCHIEPISCOPO GOANO.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Paucis ab hinc hebdomadis Fraternitatis tuae litteras accepimus, die 16 dec. 1754 datas, nescientes usque adhuc quaenam diuturnae huius morae fuerit causa. Exposuisti autem in iis, quod cum receptum fuerit in dioecesi tua Tridentinum Concilium, servatur adamussim ibidem sanctio illa, quae nulla declarat matrimonia quae sine praesentia parochi sponsi vel sponsae et sine duobus testibus celebrantur. Cum vero dioecesi tuae finitimus sit locus quidam, *Sunda* vocatus, ubi nonnulli missionarii sacerdotes inhabitant ad regionis incolas ad fidem catholicam pertrahendos edocendosque, contigit aliquando, atque nunc etiam contingit, ut quispiam, difficultates praenoscens quae matrimonium fortassis impedirent quotiescumque in tua dioecesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque *Sundam* pergit, ubi neque receptum neque promulgatum fuit Concilium Tridentinum, ibique matrimonium coram missionario contrahit, ac subinde regrediens ad dioecesim tuam, validum esse contendit, eo quia matrimonium non alibi nullum esse reputatur, praeterquam iis in locis in quibus Concilii decretum receptum ac promulgatum fuit. Haec est quaestio, de qua Nos interrogasti, ut normam praefiniremus, quacum in eiusmodi matrimoniis gerere te oporteat. Quamvis autem ob longaevam, quin imo decrepitam, aetatem quam agimus, Nos a laboribus excusare liceret, eosdemque aliis committere, ultima Nobis definitione servata, nihilosecius, cum divinae placuerit Maiestati sanam Nobis ac integram mentem servare, etsi, praeter senium, binae gravissimae infirmitates, quas perpessi sumus, Nos eo perduxerint, ut sacro Viatico et extrema Olei unctione semel et iterum muniremur, petitionibus tuis recta responsum dare non omittemus, cum ob experientiam quam in eiusmodi controversiis nacti fuimus, ut videre

est in Nostra Ecclesiastica Institutione in lucem edita dum in Archiepiscopali Bononiensi cathedra sedebamus, quae est 33 latinae editionis, sub num. 9, tum vero etiam ob munus exercitum paribus annis a secretis Congr. Trid. Conc., dum in minoribus agebamus, ubi similia negotia tractantur.

In integra decretali Alex. III Nostri praedecessoris, sexta, sub titulo, *De homicidio*, quae in collectione decretalium qua utimur in scholis et foro, non integra est, sed decurtata, sequentia leguntur verba: *Sicut dignum et omni ratione consentaneum est graves et difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri, ita etiam Nobis ex ministerio susceptae sollicitudinis imminet: easdem quaestiones, prout Nobis Dominus dederit, solvere, et singulis a Nobis consilium postulantibus respondere: ut providentia Romanae Ecclesiae quae ubique obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones salvantur, et removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus, licet autem super quaestionibus, quas Nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum et circumspectum exsistere, cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio, iuxta discretionem et providentiam Nostram, tibi exinde respondere.*

Thomas Sanchez, qui quidem nemo ignorat qualem sibi famam conciliaverit in controversiis ad matrimonium spectantibus, quaestionem hanc agitat in suo opere *De matrimonio*, lib. 3, disp. 47 et seq. ubi sub n. 29 defendit validum matrimonium initum in loco ubi promulgatum non fuerit Trid. Conc. quamvis ille qui contrahit, domicilium habeat in loco ubi Concilium receptum est, indeque discesserit ut eas difficultates aufugeret in quas inciderat vel incidere se posse verebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem ubi quis iure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco in quo receptum fuit Concilium, transire ad alium ubi non sit receptum; vel etiamsi fraus intercessisse credatur, eiusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum matrimonium efficere. Pontius, qui non tam facile Sanchesii opinionibus adhaeret, in hac tamen eidem consentit, ut videri potest lib. 5 *De matrim.*, cap. 9. Et Diana in coordinata editione tom. 2, tract. 3, resol. 116 et 117, Sanchesio et Pontio subscribit. Eiusdem sententiae sunt Bonacina, *De matrimonio*, quaest. 2, punct. 7, num. 2, tom. 1; Castropalaus, part. 5, disput. 2, *De sponsalibus*, punct. 13 § 8 num. 4; Leander, part. 5, tract. 9, *De matr. sacram.*, disp. p. 7, quaest. 11; Filliuccius, tract. 10, *De matrim.*, part. 1, cap. 6, n. 199; Rossignolus, *De matr.*, 1, contract. 15, praenot. 21, n. 8.

Ne vero plusquam par est sermonem protrahamus in aliorum doctorum atque theologorum nominibus cumulandis, tantummodo innuemus non deesse qui contrariam sententiam tueantur, do-

ceantque nullum esse matrimonium ab eo contractum qui ad evitandas difficultates, in quas incidit vel incidere se posse veretur si matrimonium ineat in loco domicilii ubi viget Tridentina lex, transit ad alium ubi promulgata non fuit, adeoque neutiquam recepta; et post initum matrimonium domum suam revertitur; qua de re observari poterunt Gobat in *Theologia experimentali*, tract. 9, num. 481; Cardinalis De Laurea, *De matrimonio*, disp. 22, n. 138 seq.; Clericatus, *De sacramento matrimonii*, decis. 35, num. 24; Giribaldus, tract. 10, *De matrimonio*, cap. 7, n. 22; Sbogae in *Theologia radicali*, tract. 116, *De matrimonio*, num. 52; Schmalzgrueber ad tit. *De clandestina desponsatione*, num. 112; Pichler, in eumdem titulum, num. 14; Bockhn, ad tit. *De constitutionibus*, § 3, num. 4; Elbel in *Theologia morali*, part. 3, num. 301 seq.; Pontas, verb. *Impedimentum clandestinitatis*, cas. 3, § *caeterum ad casum*. Et ipse Diana, qui secutus fuerat in locis supra memoratis Sanchesii et Pontii sententias, in eadem editione coordinata tom. 2, tract. 6, resolut. 74 ab iisdem recedit, ut hanc postremam amplectatur. Sylvius vero tom. 5 operum suorum, edit. Antuerpien., an. 1698, inter varias resolutiones, verb. *Matrimonium*, n. 8, sapienter animadvertens matrimonium esse validum si quis, admissa etiam fraude, patriam suam deserens ubi Trid. Conc. promulgatum fuit, illud contrahit in loco ubi non est promulgatum postquam tamen ibidem novum quasi-domicilium acquisierit, ex eo infert nullum esse matrimonium, quotiescumque ille qui contrahit, regreditur illico ad locum unde discessit quin speciem quamdam domicilii adeptus fuerit in loco ubi matrimonium contraxit.

Sedente f. r. Urbano VIII Pontifice Maximo, Archiep. Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congr. Concilii: *Quaeritur humiliter a S. C., an incolae tam masculi quam feminae loci in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere. — Secundo: Quid si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes. — Tertio: Quid si iidem incolae tam masculi quam feminae eo transferunt habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant.*

Hoc autem Congregatio dedit responsum: Die 5 sept. 1626: S. C. *ad primum et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude. Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.*

Institerunt postmodum Archiepiscopi Coloniensis procuratores, ut Congregationis responsum pontificio Brevi confirmaretur; si-

quidem Archiepiscopus elector cupiebat illud dioecesanae synodo, quam habiturus mox erat, adnectere. Petioni Urb. VII indulsit, iussitque expediri Breve, cuius prima praescriptio autographa, ab eodem subscripta, reperitur inter eiusdem Brevia anni 1627, pag. 377. Summa vero eiusdem ita se habet: *Confirmatio resolutionis nonnullorum dubiorum super contrahendis matrimoniis a S. C. Concilii emanatae est iuxta eiusdem Congregationis decretum.* Huius vero definitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur, matrimonia primo ac secundo loro exposita, irrita ac nulla ab eadem Congregatione decerni eo quia fraus intercessit; validum autem censeri matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercesserit; nihilominus is qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, domicilium seu quasi-domicilium adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit: *Nisi domicilium vere transferatur.* Siquidem novum non est, neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi-domicilium adipiscatur in alio: in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, matrimonium contrahere coram illo parocho, intra cuius paroeciae fines tunc inhabitat cum matrimonio iungitur, iuxta communem sententiam a Nobis relatam sancitamque in superius memorata Institutione Nostra ecclesiastica 33 latinae editionis.

Firmiter eiusmodi principiis semper adhaesit eadem Congregatio, quotiescumque materiae huius discutiendae sese dedit occasio; etenim in quadam Abulen. proposita sub die 1 dec. 1640, lib. 16, Decretor., pag. 470-471, ita respondit: *Sacra*, etc., *censuit. non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium acquirendi.* Dum in minoribus fungeremur munere a secretis Congregationis eiusdem, irritum ac nullum pariter declaratum fuit matrimonium ab eo contractum, qui, ut declinaret difficultates quas proprius parochus obiiciebat, ad alium locum transierat, atque connubium fecerat coram parocho eius loci, a quo postmodum, contracto matrimonio, statim discesserat, ut ad pristini domicilii locum rediret, uti videri potest in *Lauretana* proposita ac definita die 3 iulii 1725, tom. 3, *Thesauri Resolutionum Congregationis*, edit. Urbinaten., de an. 1739, pag. 185. Ex adverso eadem Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum, qui discesserat a loco proprii domicilii, ut difficultates aufugeret, in quas offendisset, si matrimonium coram eiusdem loci parocho inire voluisset, atque illud inierat coram parocho alterius loci, postquam tamen legitimum ibidem quasi-domicilium adeptus fuerat, eodemque in loco, etiam post matrimonium contractum, ad aliquod tempus permanserat: quae definitio lata fuit die 20 februarii 1723 in *Caesenaten.* seu *Forolivien., Matrimonii*, quemadmodum videre est t. 2 supradicti *Thesauri Resol.*, pag. 274 et seq., ubi alias quoque similes observare licebit, quas tum

diligenter collegimus. Demum, ne prolixior evadat oratio, in celebri *Leopolien., Matrimonii*, proposita sub die 9 iunii 1725, Congregatio principia eadem adamussim retinuit, quemadmodum legere fas est t. 3, *Thesauri* eiusdem, pag. 161, quibus pariter in eadem causa omnimode institerat Rota Romana in decisione 1298, t. 6, coram honorabilis memoriae Lancetta Rotae, Decano et S. Poenitentiariae Regente.

Exposita Congregationis sententia, operae pretium erit modo referre quid Urb. VIII pro illius confirmatione peregerit. Equidem innuimus iam tum ab eodem Pontifice roboratam fuisse pontificio diplomate: cuius cognitio, cum temporis decursu ad spectabilis memoriae Cardinalem Ioannem De Lugo pervenisset, curavit is exhiberi sibi ab administris Coloniensis Archiepiscopi authenticum Brevis exemplar; quod cum obtinuisset, operibus suis adnexum typis edidit lib. I, dub. 36, *Respons. moral.* Id ipsum quoque alii fecerunt scriptores a Nobis collecti in superius memorata, Ecc. Inst. 33 latinae editionis; atque hoc ipsum Breve nuperrime in lucem vulgatum reperitur in *Bibliotheca Canonica* P. Ferraris: adeo ut ex sententia communiter hodie recepta atque observata, nullum atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii parochi coram parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille qui contrahit, antequam matrimonio iungatur, legitimum domicilium vel quasi-domicilium revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur *Salmaticenses* in *cursu Theologiae Moralis*, tom. 2, tract. 9 *De matrimonio*, cap. 8, punct. 2, n. 31.

Mittimus interea Fraternitati tuae Urbani VIII Breve, quod Apostolicae auctoritatis robore confirmamus, iubentes una simul ut confirmationis Nostrae documentum asservetur in actis Congregationis Concilii, atque in nostro secretiori Vaticano tabulario, quemadmodum Fraternitas tua sub finem huius nostrae epistolae animadvertere poterit; tibique propterea tuisque successoribus mandamus observantiam et implementum eiusmodi Brevis in ista dioecesi, ubi frequenter huiusmodi quaestiones incidunt, quibus per idem Breve opportune prospicitur; atque hoc pacto satisfecisse nos arbitramur petitioni quam posuisti in epistola diei 18 decembris 1754, ubi normam, quam sequereris, commonstrari tibi cupiebas, si contingant, uti paulo ante dicebamus, matrimonia eorum qui ad evitandas difficultates, in quas vel offenderant, vel offensuri erant, si matrimonium in tua dioecesi celebravissent, transeunt ad finitimum locum, in quo coram aliquo missionario matrimonium contrahunt, deinde vero ad eam regionem, ubi verum domicilium habent, revertuntur.

Post haec necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad *quasi domicilium* adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto respondere potest, nisi quod, ante-

quam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in cap. *Significavit, De parochis*, ubi, earumdem contextu perpenso, haec habet sub n. 39: *Vir et mulier Traiectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent S. C. consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt: quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* Natalis Alexander in *Theologia dogmatica et morali*, lib. 2, *De sacram. matr.*, c. 2, a. 2, regul. 5, animadvertit, ad acquirendum quasi-domicilium oportere ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore, eo in loco ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque perspecti. — Dubitari autem posset, num ad quasi-domicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tanquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere. Quod vero mox sequitur, respicit matrimonium initum alio in loco, ubi iam contrahentes quasi-domicilium adepti fuerunt, ac proinde illud ipsum quod prosequebatur epistola fraternitatis tuae. Verum de hoc sermonem habere nequimus, nisi prius a proposita paulisper digredientes, quidquam opportune praemittamus. Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis Antistes, qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae dioeceseos paroeciis matrimonia, priusquam inirentur, ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum ullum subesset: atque inde denuntiationum manavit exordium, quae tunc Bannum nuncupatae fuerunt. A dioecesi Parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit, uti colligitur ex rescripto Innocentii III ad Episcopum Beluacensem, in cap. *Cum in tua. De sponsal. et matrim.* Idem Innocentius, in Concilio Lateranensi quarto, ad universam Ecclesiam eiusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est in cap. *Cum, De clandestina desponsatione.* Atque sacra Tridentina Synodus, sess. 24, *De reformat. matrim.*, cap. 1, Lateranensis Concilii vestigiis inhaerendo, id ipsum praecepit. Quamvis vero denuntiationes ad matrimonii validitatem neutiquam pertineant, adeo ut matrimonium iisdem omissis celebratum, illicitum quidem est, sed tamen validum, non idcirco denuntiationum omissio gravi caret culpa, neque pro-

pterea negligi impune queunt in paroeciis in quibus contrahentes inhabitant: quod si velint matrimonium extra dioecesim, quam incolunt, celebrare, tenetur is qui matrimonio interest, exigere prius ut denuntiationes factae iam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis sit alterius dioecesis, ad hoc ut toto interesse possit matrimonio, quod in sua dioecesi celebratur. Observetur Concilium Aquense, anni 1585, a Sixto V Pontifice Maximo confirmatum, sicut etiam Rituale Romanum. Quod si vetustiora monumenta prae manibus sumere opus esset, in secunda collectione decretalium, cap. 1, *De clandestina desponsatione*, reperitur decretalis Alexandri III, relata etiam a Gonzalez in cap. *Cum inhibitio*, sub. n. 10, *De clandestina desponsatione*, ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei, qui matrimonio interest in sua dioecesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab Episcopo loci, ubi contrahentes inhabitant, praevium denuntiationum edictum, unde appareat nullum inter eosdem impedimentum obsistere.

Constat igitur presbyterum missionarium, coram quo matrimonia, de quibus sermo est, Sundae celebrantur, iisdem interesse neutiquam debere, nisi prius exhibeantur sibi denuntiationum edicta promulgata in tua dioecesi, ubi contrahentes domicilium habeant, e quibus pateat nullum inter eosdem impedimentum reperiri: quod si missionarius obiiciat Tridentinum Concilium Sundae promulgatum non esse, tum fac ipse ut bene percipiat, quod si onus eiusmodi repetere ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest quin illud fateatur ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. Postquam vero, qui Sundae matrimonio iuncti fuere ad dioecesim tuam redierint, si Fraternitas tua iusserit fieri tunc denuntiationes, ut pateat num inter eosdem impedimentum illum intersit, non tam muneri tuo satisfacies, verum sic agendo paullatim e medio tolles pravum nonnullorum morem adeundi Sundam, ut matrimonio copulentur, ob metum difficultatum in quas inciderent, si tua in dioecesi, ubi domicilium habent, nubere voluissent.

Decretum sacri Concilii Tridentini, quo clandestina matrimonia irrita ac nulla declarantur, illud ipsum est de quo plusquam de caeteris aliis in sacro illo conventu disceptatum fuisse legitur, propter diversas Patrum sententias, quemadmodum testatur Cardinalis Pallavicinus in *Historia Concilii*, lib. 22, cap. 4, atque idem referunt P. Ioannes Staz in *Succincta relatione de gestis in Concilio Tridentino*, sess. 4, art. 24, § 10, punct. 2, num. 548. Ernestus Salomon Cyprianus in libro, cui titulus *Tabularium Ecclesiae Romanae saeculi XVI*, num. 159 et num. 180; et Mutius Colinus Iaderensis Archiepiscopus, in Epistola die 11 novembris 1563 data, ad Cardinalem Aloysium Cornelium Camerarium, cui, quidquid in Concilio eveniret, fideliter referebat, ut ex manuscripto eiusdem epistolarum codice,

Dubitabatur primo, utrum Ecclesia abrogare posset clandestina coniugia, propterea quod legitimi contractus materia insimul ac forma est Sacramenti matrimonii: mutua nempe ac legitima corporum traditio, verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus, materia; et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio, forma: ex quo nonnulli arguebant quod, legitima traditione et acceptatione simul coniunctis, subest materia ac forma, quae non ab alio immutari potest, praeterquam ab eo qui divinae gratiae est auctor, quae per sacramenta confertur. Verum, reponentibus aliis Ecclesiam posse conditionem quamdam praescribere, quae prius non aderat, sine qua contractus in posterum neque legitimus, neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima, neque valida traditio et acceptatio corporum, id satis erat, ut clandestina matrimonia irrita fieri possent, quod quidem potestatis ecclesiasticae limites non excedit. Desumitur responsum hoc ex doctrina S. Thomae Aquinatis, Quodlibet 5, quaest. 8, art. 16 ad primum. Non destitit improbus scriptor Paulus Sarpius in *Historia Concilii Tridentini*, quin contradicentium partes amplecteretur: verumtamen tanta est vis veritatis, ut Petrus Franciscus Courayer, qui Sarpium quacumque sequitur, hoc tamen loco eum deserat atque impugnet uti observari potest in annotationibus ad eamdem historiam Concilii, lib. 8, § 66, num. 88 et seq., et praesertim num. 80.

Asserta Ecclesiae potestate, alia successit dubitatio, num scilicet legitimae intercederent causae ad clandestina coniugia, quae secundum canones erant dumtaxat illicita, ut infertur ex canone *Aliter* aliisque subsequentibus, quorum unus incipit, *Nullus*, alter *Nostrates*, quaest. 1, caus. 50, nulla in posterum decernenda. Verum, cum demonstratum fuerit ex clandestinis coniugiis frequenter invenire, ut qui uxorem duxerat, eam derelinqueret atque superinduceret alteram, quodque interdum nonnulli, uxorem habentes, ad sacros ordines ascenderent, et, una cum uxore, ecclesiastica beneficia retinerent, quibus gravissimis malis ecclesiastici iudices mederi nequibant, cum matrimonii contracti necessariae probationes deessent, hoc satis superque valuit ad evincendam necessitatem infringendi clandestina connubia, ut colligitur ex littera ipsius conciliaris decreti, advertitque sagaciter Natalis Alexander in *Theologia dogmatica et morali, De Sacrament. matrim.*, lib. 2, cap. 2, art. 2, proposit. 1.

Iniiciebat scrupulum aliis consideratio illa, ne scilicet, clandestinis coniugiis abrogatis, iis nempe quae sine parocho viri aut mulieris celebrantur: *huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eas in praesenti decreto irritos facit, et annullat* (sunt verba Concilii), posset id exasperare graviter haereticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla, et consequenter illegitima soboles, quoniam coram catholico parocho ac binis testibus numquam celebrata

fuissent. Verum Concilii Patribus sapienter in hunc modum statuentibus: *Decernit insuper ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos*, credibile non erat decretum eiusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur quod eorum matrimonia, sine praesentia parochi et duorum testium facta, irrita nunquam dici potuissent: ut prosequitur Cardinalis Pallavicinus, loco citato, cap. 8.

Tandem cum praevideretur facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini decreti in qualibet paroecia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num exsecutioni demandata fuisset praescripta conciliaris decreti promulgatio, numque propterea vim suam obtinere deberet; approbante Pontifice Maximo, sancitum fuit a Congregatione Concilii, ad eamdem promulgationem comprobandam, sufficere diuturnam observantiam eiusdem conciliaris decreti, cuius publicatio inducitur ex diuturnitate temporis quo matrimonio in paroeciis coram parocho ac duobus testibus celebrata fuerunt: ut videre est in *Tricaricen.*, 26 septembris 1602, lib. *Decretorum*, quae exsistunt in Secretaria eiusdem Congregationis, pag. 47, et in quadam *Poloniae*, 13 novembris 1638, lib. 16 *Decretorum eorumdem*, pag. 117, atque Nos ipsi observavimus in opere nostro *De Synodo Dioecesana*, novissimae editionis, lib. 12, cap. 5, num. 6.

Fatemur autem postrema haec, quae respiciunt decretum abrogans clandestina coniugia, materiam quidem, non sic vero propositam quaestionem attingere. Verum cum in epistola tua summam diligentiam perspexerimus, ingratum Fraternitati tuae neutiquam fore arbitrati sumus, si haec omnia oculis tuis enucleate subiicerentur. Quod si nonnulla capita huc usque prosecuti sumus ad materiam potius quam ad petitionem spectantia, epistolam Nostram eo cum responso concludimus, quod non materiam sed aliam petitionem tuam pertingit. Cum igitur tuis in litteris mentionem facias de facultate praedecessori tuo ad decennium tributa, concedendi nempe oratoria privata debitis cum cautelis, spectato videlicet loci decore, et personarum merito, atque insimul postules eamdem tibi facultatem largiri, lubenter annuimus ad annos decem, eo prorsus modo, quo illam praedecessori tuo fumus impertiti. Atque interea Fraternitatem tuam amantissime complectentes, tibi ac universo gregi sollicitudini tuae concredito apostolicam benedictionem de plenitudine cordis largimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 19 martii 1758, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

ALLEGATUM VIII

SACRA CONGREGATIO CONCILII.

DECRETUM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO IUSSU ET AUCTORITATE S. D. N. PII PP. X A S. C. CONCILII EDITUM.

Ne temere inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, cap. I, sess. XXIV, *De reform. matrim.*, edicens: « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ».

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis locis ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est iudicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent: mu'ta quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, qua ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus Ssmus D. N. Pius Pp. X pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non Emorum Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, Ssmus Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In exsecutionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur.

De sponsalibus.

I. - Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. - Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio.

III. - Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequen-

tibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. - Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt:

§ 1° a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2° intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3° dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. - Licite autem adsistunt:

§ 1° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

§ 4° Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi, re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

§ 5° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. - Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. - Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. - Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. - § 1° Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum;

idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2° Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3° Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. - Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2[1] et 3[1] num. V, emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. - § 1° Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2° Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3° Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali Ssmi D. N. Pii Pp. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae, die 2[a] mensis augusti anni 1907.

✠ Vincentius Card., Episc. Praenest., *Praefectus.*

L. ✠ S.

C. De Lai, *Secretarius.*

ALLEGATUM IX

EPISTOLA ENCYCLICA BENEDICTI XIV

DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Satis Vobis compertum esse non dubitamus, Venerabiles Fratres, eam semper fuisse piae matris Ecclesiae vigilem curam, ut Sacramentum matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publice, et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat, in posterum ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus. Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo praecepit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum sollemnia publice denuncietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiae, coram parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus praesentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus, apud parochum diligenter librum custodiri, in quo coniugum et testium nomina, diesque, et locus matrimonii describantur.

§ 1. - Providae tamen huiusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutae, prava horum temporum conditione sensim prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi, ob matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, et in tenebris ignorantiae perpetuo iaceant consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis praeviis factis denunciationibus, coram solo parocho, vel alio sacerdote de eius licentia, adhibita praesentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, remque peragi saepe extra ecclesiam, quandoque etiam intra illam, ianuis tamen occlusis, vel eo temporis

momento, quo semota alterius cuiusvis praesentia, scientia iniiti matrimonii, praeter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

§ 2. – Quantum a Sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum praescripto occulta haec matrimonia, *conscientiae* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque coniicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui divini iudicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta, et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravae cupiditates excoecant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris coniugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in huius magni Sacramenti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur. Si enim, ad quamcumque matrimonii suspicionem submovendam, virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitae consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una*: Si haec vitae consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et, utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

§ 3. – Leviora quoque damna non sunt, quae susceptae proli irrogantur. Saepe enim contingit, illam a parentibus et a matre praesertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui; sed incertis fortunae casibus obiectam relinqui, nisi etiam parentes ipsi, contra naturae leges, ausu nefario, illius vitae insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat: alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum et bonorum iactura, pro quorum possessione assequenda, quamvis clament iura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta parentum matrimonia, et ademptam legitimitatis et filiationis probationem.

§ 4. – Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiisfamilias, contra patris iuste dissentientis voluntatem; ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quan-

doque in minoribus ordinibus constituti pensiones, et beneficia, ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium, retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

§ 5. – Deflenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiori calamo explicanda malorum congeries; cum ex hac Apostolicae Sedis specula omnes sibi vindicet nostrae vigilantiae curas, temperare non possumus, quin Vos ipsos, Venerabiles Fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege Vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura Vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho, et duobus testibus praesentibus, matrimonium celebretur, et deinde, ante illius consummationem, denunciationes in ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta facilius detegantur. Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimodo super denunciationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus; quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere.

§ 6. – Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne post remissas denunciationes, celebretur matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho, vel a Vobis deputato, praesentibus duobus, vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum sacrorum canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A sacro Nostrae Poenitentiariae Tribunali eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium quo vir et foemina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent: facile enim quisque coniiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium praeviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casui solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat; sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda le-

gitima, et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

§ 7. – Hunc porro in scopum Vos hortamur, et impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inquisitio: an scilicet eius qualitatis, gradus, et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui vel alieni iuris; an filiifamilias quorum nuptiae patri iuste dissentienti sint invisae: ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem praeberi filio inobedientiae occasionem; an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones, et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara, et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum.

§ 8. – Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus, quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen Vobis occurrant circumstantiae, quae alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur.

§ 9. – Uni tamen, aut alteri Sacramenti ministro a Vobis deputando districte praecipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate coniuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quam primum oportere sacro baptismatis lavacro; ac Christo iudici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patientur bonis temporalibus, a maioribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§ 10. – Celebrato autem matrimonio, indilate a parocho, vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestae rei memoriam, praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Huiusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, et sigillis obsignatus, in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus; et eo tantum casu resignari, et aperiri, vestra accedente licentia, patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi

vindicet iustitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulo tamen animadvertentes, quod, re absoluta, denuo claudatur, et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides seu attestationes clam celebrati matrimonii a parocho, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandae, Vobisque exhibendae, transcribantur in dicto libro, prout iacent, de verbo ad verbum, a persona a Vobis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et attestationes ipsae in secretiori loco, sartae, tectaeque a Vobis serventur.

§ 11. – Quod si ex occulto huiusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua baptismi in ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium, facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri, volumus, ac expresse mandamus, quod a parte baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles vobis denuncietur; dictaque denunciatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo et clare Vobis constet, quod proles, tali loco, et tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum baptizata, est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a Vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdem cautelis in cancellaria episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

§ 12. – Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant, et Nostris hisce mandatis parere negligant: debita poenarum districtione pro modo culpae a Vobis puniantur. Quinimmo cum satis Nobis experientia compertum sit, in huiusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari, mandamus idcirco, matrimonia occulta a Vobis evulgari, et nota fieri, si certo Vobis constiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla praestita Vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos.

§ 13. – Ne autem contumaces et inobedientes violatae fidei, proditique secreti pastores suos insimulent: sedulo a Vobis curendum

est, ut a parocho, vel alio sacerdote, pro secreta celebratione matrimonii a Vobis deputando, coniuges clare, et aperte moneantur, ea lege et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuncietur Episcopo cum nota loci et temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra praemissum est; alioquin matrimonium, licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferetur, in gratiam filiorum et ad propulsandam ab illis gravem nulloque pacto ferendam iacturam.

§ 14. - Volumus denique, ac mandamus, fides seu attestationes matrimonii clam initi, et sobolis ex eo procreatae, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud Vos caute custodiendis, tam promeri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis et matrimonii vindicare consueverunt.

§ 15. - Haec a Vobis, Venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate observari enixe praecipimus, ad communem animarum salutem et ad praesidium ecclesiasticae disciplinae, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Coeterum Nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quae huic malo in diem ingruenti consona dignoscat prudentia vestra ad pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea, paternae charitatis et benevolentiae testem, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, die 27 novembris 1741, Pontificatus Nostri anno secundo.

BENEDICTUS PP. XIV

ALLEGATUM X

S. CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

INSTRUCTIO DE COMPETENTIA IUDICIS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS RATIONE QUASI-DOMICILII.

In tam effraena divortiorum cupiditate hodie invalescente, quae efficit ut apud omnes fere gentes funestissima vigeat lex civibus tribuens facultatem coniugale vinculum abrumpendi quasi pro lubitu aut saltem non gravibus, et quod peius est, ex industria et fraude confectis causis, consecutum est, ipsos catholicos coniuges facile abripi desiderio nuptias dissolvendi quum matrimoniale consortium ipsis non eam attulerit felicitatem et pacem, quam sensibus nimio indulgentes sibi spoponderant.

Verum Ecclesia Christi quamcumque respuit divortii facultatem, quia *quod Deus coniunxit* homini separare non licet; at abiudicare non poterat ius fidelibus instituendi iudicia, quibus comprobare intendant initum matrimonium nullius esse valoris ob aliquod inhaerens coniugali foederi impedimentum dirimens; verumtamen maxime interest iudiciales cognitiones de exsistentia impedimenti fieri, servatis adamussim normis a iure statutis. Experientia docuit non semel, malo fato, coniuges magis suae libidini quam veritati studentes, satagere causam institui in loco quasi-domicilii, quod sibi facile comparant, posthabito loco domicilii aut matrimonialis contractus.

Etsi in causis matrimonialibus titulus competentiae iudicis, ratione quasi-domicilii iuridicus sit, ad normam can. 1964, tamen nemo est qui non videat pericula quibus idem obnoxius evadat: nedum quia, deficiente animo aut sufficienti causa ad quasi-domicilium acquirendum, prout ius requirit, fraudis occasio commode praebetur ad eiusdem titulum fictum seu putativum assequendum; sed maxime quia, translato iudicio apud iudices rerum et personarum ignaros, facilis aperitur aditus fraudibus et improbitati tum coniugum adversus sanctitatem et contra unitatem matrimonii christiani coniurantium, tum etiam eorum, qui lucrum tantum inhian-

tes, ipsos coniuges edocent de modo quo causam instaurare debent, atque de exitu causae solliciti, non de veritate factorum, testes comparant et instruunt, ut ea deponant et confirment quae optatis conspirent.

Ad eiusmodi tam lugenda incommoda praecavenda, Sacra haec Congregatio, cui vigilantia et tutela disciplinae Sacramentorum commissae sunt, in plenariis Comitiis, habitis die 13 decembris 1929, in Civitate Vaticana, sequentem dedit Instructionem, cui Officiales Curiarum aliique ecclesiastici iudices in causis matrimonialibus titulo quasi-domicilii competentes, ob rei peculiarem gravitatem, fidelissime parere debebunt.

I. - Antequam officialis uniuscuiusque Curiae libellum admittat introductionis causae nullitatis matrimonii ob competentiam ex titulo quasi-domicilii advenarum, praesertim exterae alicuius nationis, causae delibatio, assistente sacri vinculi Defensore, facienda est super his, qui sequuntur, articulis:

1. An titulus quasi-domicilii, ob quem causae nullitatis matrimonii, coram ipsius tribunali, introductio petitur, iuridico fundamento innitatur, seu canonice acquisitus haberi debeat.

2. An et quaenam adducantur rationes, quibus innixi coniuges, causam praedictam inire desiderant extra locum domicilii vel contractus.

3. Quodnam sit causae nullitatis caput, pro matrimonio impetendo.

4. Quaenam probationes et documenta a partibus facilius ibi adduci queant, quum ipsae tam longe distent a loco domicilii aut contractus.

5. Informationes super veritate precum seu libelli, et super adductis probationibus exposcere oportebit ab Ordinario Curiae domicilii et contractus; ita ut, antequam huiusmodi informationes habeantur et sufficientes censeantur, ad ulteriora procedere minime fas sit. Quod si praefatus Ordinarius asserat coniuges sibi comparare intendisse forum ex quasi-domicilio, ad insidias veritati struendas, quamobrem causam sibi avocare postulet, semper hoc potissimum erit inquirendum, utrum nempe conveniens sit Ordinarii petitioni assentire.

II. - In huiusmodi praeiudiciali inquisitione sacri vinculi Defensoris est ad normam iuris communis canonum 1968, 1969, 1984:

1. Opportunas interrogationes facere super praedictis articulis.

2. Responsiones partium aut exhibita documenta perpendere, et super his suas peragere animadversiones, et petere ut aliquis testis audiatur, aut aliae informationes exquirantur, prouti casus ferat.

III. - Quamvis in eiusmodi causa incidentali praeiudiciali vinculi Defensor praecipuas partes agat — adeo ut asserere liceat, quae

hac Instructione praecavere intendimus incommoda, evitari posse, si vinculi Defensor suum officium diligenter expleret — nihilominus Officialis Curiae, cui causa defertur titulo quasi-domicilii, erit causam incidentem moderari et instruere et ea decernere, quae incidentem quaestionem ad aequam definitionem perducant ad normam canonum 1837-1841.

IV. - 1. Proinde Officialis satagat in ius vocare coniuges, aut etiam testes ad instantiam partium vel Defensoris vinculi, seu ex officio adductos, eosque interrogationibus submittere, adhibitis interrogationum formulis a vinculi Defensore ad normam iuris concinnatis.

2. Officialis autem erit rem ita moderari, ne nimii testes adducantur, neque instrumenta aut documenta ad rem stricte non facientia exhibeantur; secus quaestio, suapte natura praeiudicialis et expedito processu definienda, nimis implicata evaderet et difficilioris solutionis, atque ita fraudibus et malitiis aperiretur aditus.

3. Quare quoties officiali videatur quaestio satis instructa probationibus et deductionibus, audito Defensore vinculi, decernat causae praeiudicialis instructionem esse clausam.

4. Dein omnibus perpensis, quae deducta sunt, et acceptis vinculi Defensoris animadversionibus, et attente consideratis Ordinarii domicilii et contractus informationibus, maxime si hi expetant causam a se avocari, decretum ipse edat quo, causam vel attribuat iudici quasi-domicilii, vel iudici domicilii aut contractus.

5. Si huic decreto vinculi Defensor non acquiescit et petit causam nullitatis deferri iudici domicilii aut contractus, exarare idem debet animadversiones, quibus suam oppositionem congruis argumentis sustentet.

6. Integrum est partibus vel harum alterutri se opponere iudicis decreto, et ad hoc exhibere suas deductiones aut documenta.

7. His sedulo perpensis, Officialis Curiae vi can. 1841 potest suum decretum corrigere aut revocare.

8. Si iudex omnibus perpensis persistat in suo decreto, idemque confirmet, quaestio incidentalis deferenda erit per recursum Defensoris vinculi ad hanc Sacram Congregationem pro definitione.

V. - 1. Quoties autem quaestio de nullitate definita sit apud iudicem quasi-domicilii, et huiusmodi competentiam haec Sacra Congregatio suo rescripto non probaverit, in secunda instantia Defensor vinculi debet in primis ad examen adducere acta praeiudicialis instantiae de competentia circa quasi-domicilium, et si censeat rem non bene fuisse definitam, ad hanc Sacram Congregationem rem deferat.

2. Si causa de nullitate, ad Curiam primae instantiae, vi quasi-domicilii partis conventae, delata sit antequam edita fuerit haec

Instructio, Defensoris vinculi erit huiusmodi quaestionem de competentia delibare, et ea omnia advertere et deducere, quae in Domino ei magis expedire videantur, pro gravitate sui officii, et quaestionem ad hanc Sacram Congregationem deferre, si suspicio non spernenda adsit, fraudem, dolum aut saltem errorem in perpendendo isto titulo competentiae non defuisse.

3. Idem ius et officium est Defensoris vinculi in tertia et ulteriore instantia.

Praesentem Instructionem in Audientia diei 22 decembris an. 1929 Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis, ratam habere et adprobare dignatus est, eamque exsecutioni in omnibus Curiis dioecesanis, Archiepiscoporum et Episcoporum onerata conscientia, mandari iussit: quibuscumque contrariis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 22 decembris 1929.

✠ M. Card. Lega, Episcopus Tusculanus,
Praefectus.

L. ✠ S.

D. Jorio, *Secretarius.*

ALLEGATUM XI

S. CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

LITTERAE AD EXCELLENTISSIMOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ATQUE LOCORUM ORDINARIOS

DE TRACTATIONE CAUSARUM MATRIMONIALIUM.

In Plenariis Comitiis die 27 februarii labentis anni habitis in Civitate Vaticana, examini EE. Patrum delata fuerunt responsa, quae hucusque ad hanc S. Congregationem pervenerant ab Exmis Episcopis ceterisque locorum Ordinariis aut directe aut per Nuntios vel Delegatos Apostolicos data, quae tractationem causarum matrimonialium apud Tribunalia ecclesiastica respiciunt. Prouti postulabat gravitas omnino peculiaris huius negotii, res maturo examini amplaeque discussioni subiecta est, atque omnibus rite perpensis, iisdem EE. Patribus opportunum visum est, quae infra recensentur, decernere:

I. Exmi Episcopi et reliqui locorum Ordinarii *quotannis*, inde ab anno 1933 initium sumentes, *mense ianuario anni insequentis* ad hanc S. Congregationem aut directe, aut per Nuntios vel Delegatos Apostolicos pro regionibus ubi hi sunt constituti, renuntiare tenentur:

1) nomina Officialis, iudicum, S. Vinculi defensoris, actuarii atque advocatorum Tribunali suae cuique Curiae addictorum, pro causarum matrimonialium tractatione et definitione, relatis quoque academicis cuiusque, quibus praefulgent, studiorum gradibus seu titulis vel saltem reddito testimonio de eorumdem prudentia atque canonica peritia;

2) quaenam pecuniae summa apud S. Tribunal deponenda a partibus postuletur, necnon taxarum notulam atque emolumentorum, quae pro unaquaque causa persolvi solent, haud exceptis advocatorum honorariis, et, quatenus casus ferat, peritorum; et insimul quomodo fuerit consultum pauperum gratuito patrocinio ad normam cc. 1908-1916;

3) numerum causarum matrimonialium, quae vel introductae vel adhuc pendent vel iam fuerunt definitae tum in prima quum

in secunda instantia, pro unaquaque significando: *a*) diem, mensem et annum ipsius introductionis atque resolutionis pro utraque instantia; *b*) nullitatis caput; *c*) competentiae titulum; *d*) exitum nullitati vel favorabilem vel adversum, tum in prima cum in altera instantia, et, si eventus petitioni actoris adriserit faustus, etiam caput, e pluribus forte adductis, propter quod fuit sententia prolata; *e*) quomodo suum obierit munus S. Vinculi defensor et utrum partes vel earum alterutra advocati aut procuratoris patrocinio usae sint;

4) numerum denique supplicum libellorum eiusce generis causarum, qui, utpote habiti solido fundamento destituti, inde a limine sunt reiecti.

II. Quo latius compleantur notitiae iam ab hac Sacra Congregatione receptae pro anteactis annis 1928 et 1929, quod ad easdem causas attinet, Exmi Praesules non dedignentur ad eamdem Sacram Congregationem transmittere, per Exmos Nuntios vel Delegatos Apostolicos, si in regione sint constituti secus directe, *intra trimestre a die prima ianuarii anni 1933 supputandum*, relationes causarum matrimonialium, quae fuerunt agitatae in Tribunalibus suae cuiusque Curiae *intra triennium 1930-1932*, quaeque amplectantur oportet omnes notitias praecedenti capite, sub nn. 1), 2), 3), *a-e*, 4), expetitas.

III. Quod si fieri contingat ut, spectata parvitate Dioecesis et praesertim inopia sacerdotum, aliquis Exmus Episcopus locive Ordinarius prohibeatur quominus ecclesiasticum Tribunal constituat quod suo munere congruenter, uti expostulat peculiaris causarum matrimonialium gravitas et tanti Sacramenti religio, perfungi valeat, Ipse, prudenter secum pensato harum rerum discrimine maximoque momento, minime vereatur, etiam in levamen conscientiae suae, huiusmodi loci vel personarum angustiam ad hanc Sacram Congregationem significare, ut Ipsa huiusmodi necessitati, saltem ad tempus, prospicere possit, competentiam Tribunalis deferendo alii Curiae ecclesiasticae Provinciae vel Regionis, quae tali oneri sustinendo ob peritiores officiales ceterosque administros aptior evadat.

IV. Cuius incommodi enunciata provisio aeque valere censenda est pro iis Curiis suffraganeis et metropolitanis, quae ad normam quoque can. 1594 § 3, probante Apostolica Sede, appellationis sedes fuerunt constitutae, si in iis reperiantur rerum adiunctis ut, praeter causarum primae instantiae, etiam secundae instantiae pondus ferre non valeant. Quo in casu peculiarem Curiam, eamque Metropolitanam, si haberi possit, pro appellatione designent, eaque, quatenus necessariis instructa conditionibus comperiatur, a S. Sede adprobabitur, incolumi tamen semper iure appellationis ad S. R. Rotam iuxta praescriptum can. 1599.

V. Praefatae relationes in examen assumentur in hoc S. Dicasterio a quodam peculiari RR. PP. Consultorum coetu apud idipsum instituendo, qui praeterea idonea remedia, pro casuum necessitate, excogitabit et suggeret, haud praetermissa, quatenus opportunitas expostulet, inspectione per Visitatores Apostolicos ab Exmis Nuntiis vel Delegatis Apostolicis, probante Sede Apostolica, vel ab H. S. C. designatos peragenda, ut de visu conspiciant utrum Tribunalia ecclesiastica recte, ut decet, officium suum expleant et moderentur.

VI. Ne supra relatae praescriptiones immoderatae atque praeposterae videantur, Exmi Episcopi momentum gravitatemque causarum matrimonialium secum ipsi perpendant, quae proinde non solum quam maxima peritia, sollerti cura ac diligenti investigatione sunt pertractandae ne inviolabile matrimoniale vinculum in discrimine ponatur, verum etiam intra temporis intervallum canone 1630 praefinitum rite absolvendae, cum non semel succurrendum sit, de rigore iustitiae, abnormi familiarum statui et conditioni, etiam sub respectu patrimonialium bonorum, quaeque semper detrimento esse possunt conscientiarum tranquillitati et animarum saluti.

Haec ideo remedia ab EE. PP. in memorata Plenaria Congregatione proposita circa tractationem causarum matrimonialium cum infrascriptus Secretarius huius S. C. Beatissimo Patri Pio divina Providentia Papae XI in audientia diei 2 martii 1932 significasset, Eadem Sanctitas Sua attente perspectis huius magni negotii materia atque consectariis maximi momenti inde promanantibus, eadem rata habere atque comprobare quoad omnia, supremo Auctoritatis Suae oraculo, dignata est insimul praecipiendo ut Exmis Archiepiscopis, Episcopis ceterisque locorum Ordinariis communicentur ab iisdem sedulo ac religiose exsecutioni demandanda.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 1ª mensis iulii anni 1932.

✠ M. Card. Lega, Episc. Tusculanus,
Praefectus.

L. ✠ S.

D. Jorio, *Secretarius.*

ALLEGATUM XII

S. CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

A) REGULAE SERVANDAE IN PROCESSIBUS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO.

DECRETUM.

Catholica doctrina est « matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvi tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita » (C. I. C., can. 1119)

Ut autem Apostolica Sedes dispensationem largiatur, duo sibi constare necesse est : matrimonium revera non fuisse consummatum et iustam exstare causam pro dispensatione concedenda.

Quamvis uni tantum Romano Pontifici competat dispensationem concedere, tamen pro indaganda et comprobanda tum asserta matrimonii non consummatione, tum exsistentia legitimae causae dispensationis, solet Sancta Sedes locorum Ordinariis committere processus instructionem, unde factorum veritas tute eruatur.

Inde duo consequuntur magni ponderis: primo quod huiusmodi causae, utpote quae non promoventur ab actione iudiciali contentiosa aut criminali, sed ex benigna concessione Sanctae Sedis annuentis oratoris precibus, non sunt vere iudiciales, sed, magis gratiosae seu administrativae; quae tamen cum eo spectent ut Summus Pontifex legitime uti valeat sua suprema potestate dispensandi super matrimonio rato et non consummato cum plena rerum cognitione, in his veritas inquirenda est non minus religiose ac sedulo, quam in negotiis proprie iudicialibus. Quare quae iudex decernit aut ordinat, vera iussa faciunt quibus parere necesse est; ac inobedientes fiunt contumaces.

Alterum dein consequitur, quod alte usque insidere debet in animo iudicium et testium ac praesertim partium dispensationem efflagitantium : videlicet, si res aliter se habeant ac ab oratoribus

asseruntur, id est si matrimonium ratum reapse fuerit consummatum, et veritas in processu non detegatur, vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partium et testium, *pontificia dispensatio forte obtenta, utpote suo fundamento destituta, nullius est valoris*; et matrimonio, quod dispensatum ducitur, in suo valore permanente, si partes vinculo matrimoniali se solutas existiment, et aliud matrimonium in facie Ecclesiae ineant, hoc revera est invalidum, proindeque putati coniuges filiique forte progeniti, graviorum malorum vinculis pene inextricabilibus implicantur. *Hoc proinde est sollemniter praemonendum a iudice antequam iusiurandum praestetur, et animo reputandum ab omnibus qui in his causis partem habent, praecipue eo momento quo a partibus, a testibus, a peritis, respective, redduntur iuratae responsiones, attestationes, relationes.*

Quo vero locorum Ordinarii in huiusmodi causarum instructione tutius et expeditius, ad tramitem iuris communis, procedant, sequentes regulae praestitutae sunt. Quas cum maturo examini Emi ac Revmi Patres Cardinales S. Congregationi de disciplina Sacramentorum praepositi subiecissent, in plenariis comitiis diei 27 aprilis c. a. easdem probarunt atque publici iuris fieri, si Sanctissimo placuerit, rescripserunt. Sanctissimus autem D. N. Pius Papa XI, in audientia die 7 maii 1923 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, sententiam Eminentissimorum Patrum adprobare et confirmare dignatus est, atque ut hae regulae ab omnibus, ad quos spectat, rite et religiose serventur, easdem iussit edi in *Actorum Apostolicae Sedis Commentario officiali.*

Caput I.

De foro competenti.

1. – Ad unam Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia iustae causae ad dispensationem concedendam (can. 249 § 3 et 1962).

2. – Nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit (can. 1963 § 1).

3. – § 1. Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae, et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta una cum libello unius vel utriusque coniugis pro apostolica dispensatione impetranda, ad Sacram Congregationem

transmittantur, quae iis uti potest ad sententiam super rato et non consummato ferendam (can. 1963 § 2).

§ 2. Si vero probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus instructae, habeantur non sufficientes iuxta normas heic positas, eaedem compleantur et acta dein plene instructa ad H. S. C. remittantur.

4. - Pariter si in iudicio, in prima aut in altera instantia, peragendo de matrimonii nullitate, ex alio capite (ex. gr. ex defectu consensus, ex vi et metu, etc.) matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri vel utrique parti, libellum porrigere Romano Pontifici inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; at quin preces ad hanc Sacram Congregationem remittantur pro obtinenda consueta commissione facultatum, fit potestas iudici vi huius praescriptionis seu ex delegatione a iure, causam instruendi iuxta regulas heic determinatas.

Caput II.

De supplici libello ad petendam dispensationem.

5. - § 1. Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato (can. 1973).

§ 2. Pro singulari natura huius processus, quem moderantur hae regulae, congruit ut coniux dispensationem efflagitans, non *actoris*, sed *oratoris* nomine nuncupetur; coniux vero ab altero coniuge in causam vocatus, proprie *pars conventa* appellabitur, nisi et ipse cum alio dispensationem petat.

6. - § 1. Supplex libellus, qui semper Romano Pontifici erit inscribendus et ad Sacram Congregationem de Sacramentis transmittendus, contineat plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ab obtinendam petitam dispensationem conducere possunt (Constit. *Dei miseratione* n. 15); appositis etiam die, mense et anno, seu data exhibiti libelli, nec non dioecesi in qua orator aut oratores commorantur.

§ 2. Curandum est ut libellus referat genuinam factorum narrationem ab ipsa parte, si fieri potest, scripto exaratam et subscriptam (cf. in Appendice n. I).

7. - Quamvis cuilibet fideli integrum sit libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

8. - § 1. Ordinarius proprius est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo orator domicilium aut quasi-

domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegitime separata ab altero coniuge, in quo haec pars conventa, dummodo sit catholica, domicilium aut quasi-domicilium habet (can. 1964).

§ 2. Licet tamen oratori recurrere ad Ordinarium loci suae actualis commorationis, qui preces acceptare valet et commendare apud H. S. C., praesertim cum plerique testes audiendi in sua dioecesi degant.

9. - § 1. Ordinarius, ut informationem addat cum factorum sufficienti cognitione, potest investigationes facere in res et personas, sed non propriam inquisitionem cum partium aut testium interrogationibus in forma processus iudicialis (cf. in Appendice n. II).

§ 2. Si contingat dispensationem peti a parte acatholica, Ordinarius petitionem ad hanc Sacram Congregationem aeque remittat; additis tamen necessariis et opportunis explicationibus de petitionis fundamento, de oratoris qualitatibus personalibus, aliisque adiunctis ad rem facientibus.

10. - § 1. Curet Ordinarius, cum factorum et personarum sufficientem notitiam habuerit, ut partes inter se reconcilientur, ne abrumpatur coniugale consortium, adhibitis prudentiae et pastoralis caritatis officiis et argumentis in casu magis opportunis; nisi rerum et personarum adiuncta huiusmodi experimentum prorsus inutile esse suadeant.

§ 2. Nedum Ordinarii ad hoc utiliter parochorum operam adhibeant, sed parochi ipsi cum huiusmodi discordiarum aut difficultatum vitae coniugalis notitiam habeant, prouti in singulis casibus prudentia suggesserit, opportune consilia praebeant et exhortationes, ne aditus aperiatur dissolutioni consortii coniugalis.

11. - § 1. Si ex supplici libello oratoris, vel ex causae instructione iam inchoata, vel ex aliis investigationibus iuxta n. 9, constiterit, matrimonii consummationem coniuges omnimode devitasse ex detestabili onanismi vitio, tunc orator vel uterque coniux, si hi concorditer dispensationem petant, sunt monendi, causam non posse institui vel ad ulteriora produci.

§ 2. Quod si orator significet se criminis nullimode fuisse participem, sed depravatos alterius coniugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut coniugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincere sit facti poenitens, et serio promittat se in altero coniugio forte inituro huiusmodi nefando facinori nullimode operam esse daturum, tunc iudex rem deferat ad H. S. C.

12. - Si, accepto libello, haec Sacra Congregatio censuerit precibus annuendum esse, solet Ordinario loci, qui oratorem commendavit, dare litteras delegationis pro causa instruenda, iuxta has regulas et cum clausulis opportunis.

Caput III.

De tribunali constituendo.

13. – Ordinarius, facta sibi facultate a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum conficiendi processum super asserta matrimonii inconsummatione, curabit tribunal, cum primum poterit, constituere, ad id adhibendo ministros in sua Curia constitutos, vel alios etiam, quoscumque maluerit, eligendo et assumendo, nisi aliud in rescripto delegationis cautum sit, dummodo isti iis praediti sint qualitatibus, quae a iure pro singulorum munere praescriptae sunt (can. 1607 § 1).

14. – Ordinarius, quatenus utatur facultate subdelegandi, actum subdelegationis scripto redigat, facta mentione delegationis ab Apostolica Sede tributae cum addita potestate subdelegandi, expressis nominibus coniugum, de quorum matrimonio causa agitur, et relatis instructionibus, si quae ab hac Sacra Congregatione datae fuerint.

15. – Eodem vel altero actu, scriptis pariter confecto, Ordinarius deputet defensorem vinculi et actuarium, qui iis dotibus praediti sint quae in iure requiruntur (can. 1589 § 1); nisi extraordinarios ministros constituendos mandaverit ipsi subdelegato, qui, secus, uti debet ministris Curiae dioecesanae (can. 1607 § 2; cf. in Appendice n. V).

16. – § 1. Ordinarius, etsi delegatus a Sede Apostolica ad causam instruendam, vel iudex subdelegatus eam non suscipiat, in qua, ratione consanguinitatis vel affinitatis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum vel procuratorem egerit, ad praescriptum can. 1613 § 1.

§ 2. Iisdem in adiunctis a suscipiendo munere abstinere debet defensor vinculi (can. 1613 § 2).

17. – § 1. Ordinarius qui ob legitimam suspicionis exceptionem causam instruendam non susceperit, debet vel iudicem subdelegare, si haec facultas ei competat, vel rem ad Sacram Congregationem remittere.

§ 2. Si exceptio suspicionis adversus iudicem subdelegatum proponatur, Ordinarius vel obiectam suspicionem definit, vel alium iudicem subdelegat, si hac potestate polleat, vel rem ad H. S. C. remittit (can. 1614 § 1 et 2).

18. – In ipsa tribunalis constitutione, vel in toto causae cursu, Ordinarius vel iudex, ad normam n. 15, alios viros aeque idoneos eligere poterit, qui iudicis et aliorum officialium vices gerant pro casu quo primi electi fuerint impediti, vel uti suspecti legitime

habiti. Cum eorum opera in causae decursu occurrerit, de subrogatione secuta et de subrogationis motivo in actis mentio fiat; et opportunum erit ut hi cum dictione *substituti* subscribant aut denotentur in actorum textu.

19. – Excepto Episcopo, quando per se iudicis instructoris munere fungitur, omnes qui tribunal constituunt, in prima sessione iusiurandum de officio rite ac fideliter implendo et de secreto servando praestare debent.

Caput IV.

De officio iudicis et tribunalis ministrorum.

20. – Iudicis, postquam ei legitime commissa fuerit processus instructio, est inquisitionem iudicialem instituere super asserta matrimonii inconsummatione, iuxta regulas heic traditas. Inquisitio versari debet circa omnia quae inconsummationem probant, vel impugnant, et circa causas legitimas dispensationis. Argumenta autem ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: *a*) utriusque coniugis iurata confessio; *b*) testes septimae manus ex utroque latere; nec non testes ex officio inducti vel etiam ad instantiam partium, prouti res ferat; *c*) inspectio corporum per peritos facta; *d*) authentica documenta etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, itemque acta iudicialia in foro civili confecta, quatenus ad rem faciant; *e*) indicia et praesumptiones.

21. – Iudex in primis moderator est actorum. Ipsius itaque erit: tribunal convocare et sessiones indicere; vinculi defensorem, partes et testes citare, ut in iudicium compareant; peritos medicos et obstetrices, audito vinculi defensore, designare, si inspectio corporalis facienda sit; partes, testes et peritos, tum quaesita a vinculi defensore confecta, tum nova ex officio proposita adhibendo, interrogare; atque ea omnia statuere, quae eius prudentiae et sagacitati aptiora videbuntur ad factorum veritatem eruendam.

22. – § 1. Petitiones partis oratricis aut partis conventae, quibus instatur pro testium productione aut interrogatione aut alia probatione obtinenda, aut quocumque alio actu processuali conficiendo, iudex admittet aut reiiciet, audito defensore vinculi, suo decreto, in quo, si rei gravitas ferat, explicabit breviter rationes admissionis aut reiectionis (can. 1840 § 3).

§ 2. Pars, quae iudicis decreto se laesam sentiat, potest iudicem adire ut decretum revocet aut corrigat (can. 1841); at appellationi nullimode datur locus, salvo tamen recursu ad Ordinarium, nisi ipsemet sit iudex.

23. – Si quando pars aut testes examinandi sint alienae dioecesis vel sint extra dioecesim degentes, et hi sine gravi incommodo ad

tribunalis sedem, ubi causa instruitur, accedere nequeant, iudex Ordinarium illius dioecesis rogabit, ut, constituto tribunali, partem ac testes citet, examinet et ab eis documenta requirat, iuxta interrogationes a defensore vinculi, mandato iudicis instructoris, confectas et ab ipso iudice transmissas, additis instructionibus opportunis, si casus ferat (can. 1570 § 2; 1770 § 2 n. 3). Ordinarius hac de re requisitus, servatis iuris praescriptionibus, acta, per se vel per alium confecta, ad iudicem remittat.

24. - § 1. Pars vel testes, qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ob dioecesis vastitatem et asperitatem aut defectum viarum ita dissitis a tribunalis sede, ut sine magna temporis iactura et gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque a iudice instructore, defensore vinculi et actuario adiri possint, interrogari debent per parochum, si fieri potest, vel alias per sacerdotem dignum et idoneum, ad hoc a iudice instructore delegatum, qui ipsi parti vel testi propior sit (can. 1770 § 2 n. 4).

§ 2. Huic cum litteris delegationis transmitti debent interrogationes faciendae, et instructiones ad rem opportunae. Delegati autem erit pro facultate in litteris expresse facta, sibi adsciscere duos ministros, quorum unus defensoris vinculi munere fungatur, et hic sacerdos esse debet, et alter actuarii, qui et laicus esse potest, dummodo probatae fidei, ut examen huius partis vel testis legitime perficiatur et in actis redigatur.

§ 3. Sacerdos delegatus iusiurandum de officio rite et fideliter adimplendo ac de secreto servando coram actuario praestare debet, et defensor vinculi et actuarius coram delegato: et de hoc mentio fiat in actis.

§ 4. Si delegatus haud possit habere sacerdotem quem sibi adsciscat in munere defensoris vinculi, id notet in actis et ipse ex officio faciat interrogationes aut alia animadvertat: itemque si desit, in regionibus parum vel nullimode excultis, qui actuari munus expleat, facta debita adnotatione in actis, ipse iudex actum exceptae attestationis, cum debitis notis, redigat.

25. - Iudex, ut aeque aestimari possit uniuscuiusque attestationis pondus, *de singulorum in iudicium vocatorum aut vocandorum probitate et credibilitate nunquam inquirere praetermittat*, et ad hoc curabit ut ab eorum parochis litterae testimoniales exhibeantur, quae, si haberi non possint, erunt a Curia alia documenta perquirenda; et haec omnia sedulo in actis referantur (cf. in Appendice nn. XI-XIV).

26. - Si acciderit partem conventam vel testem inductum a parte, vel ex officio vocatum, aut peritum in iudicium non venire, de non secuta comparitione in iudicium, et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de inobedientia

seu de contumacia, in actis mentio fiat. Et si de contumacia agatur, haec declaretur (can. 1843) et in actis apposita documenta referantur (cf. in Appendice n. XXV). Si vero quis examini subiiciendus e vita migraverit, mortis documentum inter acta recenseatur, nisi aliter de eius morte satis constet.

27. – § 1. In processu de matrimonii inconsummatione et de causis ad dispensationem super rato adductis, requiritur praesentia vinculi defensoris; eoque non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit (can. 1587 § 1).

§ 2. Si legitime citatus aliquibus actis non interfuerit, acta quidem valent, verum postea eius examini subiicienda omnino sunt, ut ea omnia, sive voce sive scriptis, possit animadvertere et proponere, quae necessaria aut opportuna indicaverit (can. 1587 § 2).

28. – Defensoris vinculi officium est: 1) examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus, testibus aut peritis proponenda; novas interrogationes ab examine emergentes iudici suggerere; 2) articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere; 3) animadversiones pro adstruenda matrimonii consummatione scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit (can. 1968).

29. – Defensoris vinculi ius esto: 1) semper et quolibet causae momento acta processus invisere; novos terminos ad acta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos; 2) de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit; 3) petere ut alii testes inducantur, vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto et clauso, novasque animadversiones edere; 4) exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi iudex dissentiat; quo in casu, si iudex non sit ipsemet Ordinarius, ad hunc recurrere fas est vinculi defensori (can. 1969).

30. – Actuarii, qui notarii seu cancellarii in processu partes explet, praecipuum munus erit legitime actis conficiendis intendere, acta fideliter custodire ne cuipiam extraneo pateant, transumpta conficere et de eorum authenticitate testari.

31. – Tam iudex instructor quam defensor vinculi curent ut pars vel testis vel peritus interrogationi ipsi delatae respondeat quoad omnes partes in quas dividitur. Si quandoque parti aut testi aut perito difficile sit memoria totam interrogationem retinere, ei per partes illa proponatur, quo facilior responsio et plenior evadat.

32. - Fas erit iudici, audito vinculi defensore, actuario assignare adiutorem, qui eum coadiuvet in scriptione actorum et in transumptis conficiendis. Is, sicuti ceteri ministri tribunalis, ex momento quo assumitur, iusiurandum praestet de munere fideliter obeundo et de secreto servando.

Caput V.

De initio processus et de citationibus faciendis.

33. - § 1. Si omnia expleri non possunt unica sessione, processus in sessiones dividitur; videlicet, quoties tribunal a iudice legitime convocatur ad processus acta explenda, sessio habetur.

§ 2. De decreto iudicis, quo sessio clauditur et alia vel tunc indicitur vel erit opportuno tempore indicenda, nisi instructio causae sit absoluta, mentio in actis facienda est.

34. - § 1. In prima sessione tribunal coadunatur et etiam completur, si aliqui desint administri. Siquidem in ea iudex communicat: *a*) litteras Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, quibus processus instructio Ordinario committitur; *b*) litteras Ordinarii, nisi ipse per se praesit, quibus iudicis officium subdelegat; *c*) deputationem defensoris vinculi et actuarii iam ab Ordinario peractam, vel ab ipso iudice, vi specialis delegationis, vel iam factam, vel in hac sessione faciendam; *d*) electionem officialium substitutorum; *e*) supplicem libellum oratoris inquisitionis introductorium; *f*) denique praestandum est iusiurandum, ad tramitem n. 19 (cf. in Appendice nn. VI-IX).

§ 2. Ista propria sunt primae sessionis, in qua tamen et alia expleri possunt acta, vel ipsa instructio absolvi, si ita res patiatur; quod non contingere solet, quare in reliquis habetur conventus personarum tribunal constituentium ad certa processus acta conficienda. Conventus autem habetur die et loco determinatis in superiore proxima sessione; nisi iudex maluerit statuere ut sessio habeatur die et loco dein determinandis et indicendis.

35. - Aliquot diebus antequam tribunal congregetur, iudex citat eum qui examini est subiiciendus, itemque defensorem vinculi et actuarium, nisi hi iam in superiore sessione invitationem exceperint, ut in n. 34 § 2 (cf. in Appendice nn. X et XXII).

36. - Citatio parti et testi fit per litteras in modum invitationis, tamen praeceptive; quae litterae contineant: *a*) praeceptum iudicis ad comparendum; *b*) nomen, cognomen et domicilium illius qui in ius vocatur; *c*) iudicem coram quo comparere iubetur; *d*) locum et horam audientiae; *e*) causam, ob quam convenitur, satis significatam, seu saltem generalibus verbis indicatam (can. 1715 § 1);

f) iudicis et actuarii subscriptionem et tribunalis sigillum (cf. in Appendice n. XV).

37. - Citatio clausa Curiae cursori, ne evulgationi ansa praebeatur, tradetur; et per eundem cursorem erit private et personaliter intimanda. Altera citationis scheda asservatur in actis (can. 1716). Si ob distantiam vel aliam causam, per cursorem fieri non possit intimatio, scheda citationis, iussu iudicis, transmitti poterit per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo, qui, secundum locorum leges et conditiones, tutissimus sit (can. 1719). Cursor, si per se intimationem peregerit, de ea in scriptis, ad calcem schedae in actis asservatae, manu propria subsignatis ad iudicem referat (cf. in Appendice n. XVI); si vero intimatio facta fuerit per publicum tabellariorum officium, in actis adservetur fides eiusdem officii.

38. - § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoretur ubi commoretur pars conventa aut etiam testis, si rei gravitas postulet, locus est citationi per edictum. Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti, per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum, et in aliqua publica ephemeride eam inserendo. Si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet (can. 1720; cf. in Appendice n. XXIII).

§ 2. Si citatus praecepto comparendi obtemperare renuerit, videat iudex an renovanda sit citatio (can. 1843 § 2), vel aliis modis magis opportunis et efficacibus uti expediat, ut foret interventus personae amicae vel auctoritate gravis. A remediis coercitivis, ut flectatur contumacia, abstinere ut plurimum prudens erit.

§ 3. Iudex videat etiam an partis vel testis non comparatio seu contumacia, per alios testes de re, circa quam illi interrogati fuissent, edoctos suppleri possit.

Caput VI.

De iureiurando a partibus, testibus et peritis praestando, et de interrogationibus iisdem faciendis.

39. - Iudex, antequam cuipiam in ius vocato interrogationes deferat, exquirat iusiurandum de veritate dicenda, tacto s. Evangeliorum libro (cf. in Appendice nn. XVIII et XXIX). Si citatus suas attestationes sub iureiurando reddere renuat, et iudex instructor censeat eius attestationes esse utiles ad veritatem detegendam, potest eas excipere, facta tamen in actis mentione de iurisiurandi recusatione eiusque causa.

40. - Iudex partem, testem aut peritum ad iusiurandum recipiens, eum, prouti casus ferat, commonefaciat de sanctitate actus et de

gravissimo delicto, quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotando peculiarem gravitatem iurisiurandi in subiecta materia et periurii funestissimos effectus, iuxta ea quae in *Decreto* adnotantur; item, si pro qualitate personarum opportunum hoc videatur, moneat de poenis quibus obnoxii fiunt in foro Ecclesiae, qui falsum in iudicio iurati affirmant.

Poenas contra iurisiurandi violatores sunt: 1) interdictum personale, si periurus sit laicus; 2) suspensio, si clericus (can. 1743 § 3).

Has tamen poenas iudex ne ferat, inconsulto Ordinario.

41. - Examen faciendum est a iudice, cui adsistant oportet defensor vinculi et notarius seu actuarius. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice, vel ab eo, qui eius locum tenet, faciendae sunt. Quapropter si a defensore vinculi novae interrogationes testi faciendae sint, has non testi, sed iudici, vel eius vicem gerenti, proponere debet, ut eas ipse deferat (can. 1773 §§ 1-2).

42. - Interrogationes proponendae dividuntur in *generales*, et *particulares*: priores ordinantur ad exquirendum de generalibus personae adiunctis, hoc est de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio et necessitudine cum partibus in causa; hae semper et omnibus indistincte sunt deferendae, nisi iudex existimet unam vel alteram esse in casu particulari omittendam. Posteriores ordinantur ad veritatem eruendam circa factum inconsummationis et causas dispensandi. Praeterea a teste semper exquirenda est scientiae causa, nempe unde, quando et quomodo ea, quae asserit, habeat cognita (can. 1774).

43. - § 1. Interrogationes sint breves, non suggestivae, non plura complectentes, pertinentes ad causam, de qua agitur, testis intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae (can. 1775).

§ 2. Partes et testes et periti oretenus responsiones reddant. Non praemoneantur de interrogationibus faciendis, nec eis permittatur depositionem legere, nisi in aliquo casu particulari iudex opportunum censeat sinere ut pars interrogata aliquod grave documentum legat, quod eius dicta comprobare vel eius memoriam adiuvare valeat (can. 1776-1777).

44. - § 1. Partis, testis et periti responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario, non solum quod ad substantiam spectat, sed etiam quod attinet ad editi testimonii verba (can. 1778).

§ 2. Si verba referri non possunt, vel quia nimis praecipitanter prolata, vel quia impropria et inter se non logice connexa, iudex dictabit responsionem in actis redigendam.

§ 3. Actuarius interrogationes iam in scriptis exaratas non referet; sed responsiones ex ordine designabit eodem numero quo

notantur relativa interrogatoria; interrogationes vero *ex officio* additas ad verbum referet.

45. – Actuarius in actis accurate singulis vicibus adnotet iurisiurandi praestationem, et generaliter omnia memoria digna, quae forte acciderint cum examina explentur (can. 1779).

46. – Parti et testi et perito antequam ab auditorio discedant, debent legi quae actuarius de iis quae viva voce quisque testatus est, scripto redegit, data eidem parti et testi et perito facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Cum autem is responderit se nihil amplius habere quod dicat aut mutet, iterum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando emittat (cf. in Appendice n. XX), et deinde depositioni subscribere iubeatur, et post eum subscribant iudex, defensor vinculi et actuarius (can. 1780 §§ 1-2).

47. – § 1. Pars oratrix aut conventa poterit iterum ad examen vocari vel ad instantiam partis aut defensoris vinculi, vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore; et partes etiam poterunt inter se *conferri* (vulgo *confrontare*), si expediat et omne rixae aut scandali sit remotum periculum.

§ 2. Item testes et periti poterunt, partibus aut defensore vinculi id postulantibus, vel id statuente iudice *ex officio*, et audito vinculi defensore, denuo ad examen vocari, et circa iam attestata, vel circa nova facta vel quaestiones ex processu emergentes, interrogari (can. 1772 §§ 2-3).

§ 3. Quoties id expostuletur a partibus, iudicis est suo decreto, audito vinculi defensore, eiusmodi postulationem reiicere vel admittere, cauto, si admittat, quod potissimum omnis collusionis aut corruptelae periculum absit (can. 1781).

§ 4. Cum pars vel testis vel peritus novo examini submittitur, eadem serventur, congrua congruis referendo, quae de partium et testium examine infra edicuntur n. 68 § 2 et 69.

48. – In conficiendis actis, seu in relatione scriptis redacta de iis, quae fiunt au decernuntur in sessionibus tribunalis, lingua latina adhibeatur; citationes vero, iusiurandum a partibus, testibus et peritis praestandum, interrogationes et responsiones, nec non relationes et vota peritorum, lingua vernacula exprimi possunt.

49. – Documenta, quae lingua latina, italica aut gallica exarata non sint, latine reddantur ad verbum. Item acta quae lingua latina, italica aut gallica redacta non sint, in unam ex iis linguis authentice vertantur. Si ad versionem faciendam interpres foret adhibendus, is a iudice, audito vinculi defensore, eligatur, eique, sicuti aliis tribunalis ministris, duplex iusiurandum erit deferendum, nempe de munere fideliter obeundo et de secreto servando (cf. in Appendice n. XXI).

Caput VII.

De examine partium.

50. – § 1. Primo ille coniux audiatur, qui supplicem libellum porrexit et est veluti actor in causa. Iudex eidem, praemisso iureiurando, interrogationes deferat a defensore vinculi concinnatas et clausas sibi traditas. Alias addat *ex officio*, si necessarium aut utile putaverit ad veritatem accuratius exponendam: in interrogationibus conficiendis et proponendis, subiecta in Appendice specimina inspiciantur,

§ 2. Si uterque coniux dispensationem efflagitet, opportunum, ut plurimum, est uxorem antea examini subiicere, et in examine erunt praecipue diligenter perquirendae rationes ob quas ambo coniuges in dispensatione efflagitanda consentiunt et concordant.

§ 3. Quia his adiunctis maxime pertimescenda est collusio, veritas sedulo perquirenda erit per testes *ex officio* inducendos.

51. – Uxori, oratrici vel conventae, post interrogationes generales, interrogationes speciales, prudenter pro adiunctis variandae, deferantur, iuxta formulam in Appendice sub n. XIX.

52. – Item viro, oratori vel convento, eaedem interrogationes proponi poterunt, quibus aliae pro rerum adiunctis magis accommodatae, adiiciendae erunt (cf. in Appendice sub n. XXIV).

53. – Cum uxor virum de impotentia, sive absoluta sive relativa, insimulet, tunc a viro expetatur ut sese submittat corporali inspectioni, ad normam ss. canonum et harum regularum n. 84.

54. – Nisi certo aliunde constet, nunquam praetermittenda est interrogatio parti facienda, ut referat quando et a quo didicerit matrimonium ratum et non consummatum a Romano Pontifice posse dispensatione dissolvi.

55. – § 1. Parti, quae secundo loco interrogatur, si eius responsiones in pluribus et notabiliter discrepent a responsionibus alterius coniugis, erunt a iudice novae *ex officio*, vel ad instantiam defensoris vinculi, proponendae interrogationes, ad difficultatem et dubitationem diluendam, facta vel minus mentione coniugis contradicentis, prouti casus ferat et prudentia suggerat.

§ 2. Quoties rei gravitas postulet, iudicis est, audito vinculi defensore, *ex officio* vel instante altero coniuge aut vinculi defensore, partem ad novum examen vocare ad praescriptum n. 47, in quo novae interrogationes seu contestationes proponentur.

§ 3. Si responsiones in novo examine exceptae rem non undequaque expediant, sed viam videantur aperire ulteriori veritatis investigationi, altera parte, quae primo loco fuit interrogata, iterum ad examen vocata, eidem in contestatione ponantur responsiones

ab adverso coniuge redditae, non exclusa collatione partium inter se et firmo praescripto n. 47.

56. - § 1. Iudex nunquam omittat interrogare partes circa exsistentiam causae ad impetrandam dispensationem invocatae.

§ 2. Huiusmodi interrogationem iudex etiam faciat testibus, qui de re edocti verosimiliter praesumantur.

57. - § 1. Antequam finiatur examen et praestentur, quae statuuntur n. 46, iudex a parte petat ut producat testes septimae manus, et alios etiam, si quos habeat, de petitae dispensationis obiecto instructos.

§ 2. Sedulo quaerendum est a parte, quoties alter coniux sit contumax, ut indicare velit testes qui, cum sint de istius familia aut vicinia aut eius res domesticas cognoscant, probabiliter utile testimonium praestare valeant.

Caput VIII.

De testium productione et aliis probationibus ad rem facientibus.

58. - § 1. In his causis, debet uterque coniux testes, qui *septimae manus* audiunt, inducere, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem deductam in controversiam (can. 1975 § 1).

59. - Testimonium septimae manus, ut ipsa denominatio innuit, septem testibus ex utraque parte inductis, hoc est septem ab una et septem ab altera, constare debet. Quod si tot testes haberi nequeant, sufficere poterunt pauciores; ratio tamen in actis referenda est, cur septenarius numerus haberi non potuerit.

60. - § 1. Testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis; quod robur addit depositionibus coniugum, sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur (can. 1975 § 2).

§ 2. Testes septimae manus, quatenus sunt de credibilitate, eo maiorem sibi conciliant fidem, quo potiora habent documenta de sua probitate. Habendi sunt autem quasi testes *de scientia*, et hinc maximam faciunt fidem, cum referunt se ex coniugibus aut ex promixioribus parentibus, tempore non suspecto (ut infra n. 70), didicisse matrimonium mansisse inconsummatum.

61. - Testibus septimae manus iudex alios testes *ex officio* adiungere potest, imo debet, quando scilicet testes septimae manus vel a parte non inducantur, vel tres tantum aut quatuor inducantur, vel ad rei veritatem illustrandam, etsi septem vel plures ab utraque parte producantur, insufficientes sint.

62. - Inductio testium *ex officio* non est praetermittenda, cum ex actorum instructione ediscitur, alias adesse personas de re controversa edoctas, vel quae alio modo utilem attestationem reddere valent.

63. - § 1. Si partes, aut earum altera, petant sibi pandi nomina testium ab adversa parte aut *ex officio* productorum, iudex, audito vinculi defensore, excluso quovis periculo corruptionis aut collusionis, et nisi aliquod obstet impedimentum, id indulgere valet suo decreto, quod in actis referri debet.

§ 2. Iudicis tamen est differre, prouti casus ferat, nominum publicationem, postquam testes suam reddiderint attestationem.

64. - §. 1. Argumentum ex corporis mulieris inspectione deductum, per se, semper requiritur, nisi ex adiunctis inutile evidenter appareat (can. 1976; cf. infra sub n. 85), vel aliunde haberi non possit, prouti si mulier sit vidua aut corrupta.

§ 2. Quod si pars, non obstante iudicis decreto, absolute renuat inspectioni se subiicere, ex adiunctis aestimandum erit cuinam causae attribuenda sit haec recusatio; et utrum huius probationis defectui suppleri debeat per alia argumenta seu probationes.

65. - Praeter argumentum physicum, quod natum est complere probationem per partium confessionem et per testes septimae manus aliosque testes exhibitam, adsunt quoque argumenta et adminicula; et argumentis accensemus documenta; adminiculis, indicia et praesumptiones.

Caput IX.

De examine testium septimae manus.

66. - Inchoatur horum testium examen ab iis qui inducti sunt a parte oratrice, et quidem a parentibus proximioribus, qui praesumuntur magis instructi, postea audiantur extranei, uti famuli et viciniores, si qui sint. Hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est iudici unum alteri praeferre. Si quis testis inductus obierit, vel in iudicium non comparuerit, servetur n. 26; si vero eo, ubi tribunal adunatur, se conferre non possit, audiatur iuxta normas nn. 23 et 24.

67. - In his testibus examinandis iudex, delato iureiurando et factis interrogationibus generalibus, testi proponat interrogationes sibi a vinculi defensore tradendas clausas et obsignatas, quae esse poterunt uti habentur in specimine n. XXVII.

68. - § 1. Antequam testis dimittatur, ei legendae sunt responsiones factae a coniuge, qui eum uti testem produxit, ut dicat utrum asserta in attestatione veritati respondere censeat et fide digna habeat.

§ 2. Si iudici non videatur opportunum aut non expedire integram depositionem legere, vel quia ea refert, quae verosimiliter coniux non vult testibus nota fieri, vel quia periculum subesse potest collusionis, ex parte legere valet, vel etiam nullimode legere, salva eiusdem iudicis facultate proponendi appositas interrogationes *ex officio*, vel curandi ut a defensore vinculi opportunae contestationes fiant in interrogatorio ab eodem de more concinnando, firmo praescripto n. 47.

69. - Expleto examine, legitur testi integra depositio, rogatur an menti suae plene respondeat, et, vel habito responso affirmante vel factis expetitis emendationibus aut additamentis et praestito duplici iureiurando, iuxta n. 41, subscribit ipse, et cum eo subscribunt iudex, defensor vinculi et actuarius.

70. - In his testibus excutiendis, maxime curandum est, ut si quid protulerint causae meritum directe attingens, semper ab eis exquiratur *unde, quomodo, quando* haec didicerint, ut pateat an tempore non suspecto ea cognita habuerint (can. 1774). Causam enim valde iuvant partium confessiones extraiudiciales tempore non suspecto prolatae; eo nempe tempore, quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec aliae suberant rationes veritatem occultandi aut falsum proferendi.

Caput X.

De testibus, praeter alios septimae manus, ad instantiam partium vel ex officio a iudice inducendis.

71. - § 1. Cum proprium sit testimonii septimae manus ut sit argumentum credibilitatis (can. 1075 § 2), quoties alios testes inducere praestat ad complendam probationem, hi de scientia magis quam de credibilitate sint oportet.

§ 2. Hi producuntur vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore, aut hoc instante; vel ad instantiam partium.

72. - Quoties prudenter timeatur collusio inter partes, aut inter testes septimae manus et partem producentem, vel ipsum testimonium septimae manus insufficiens habeatur, nisi aliis argumentis aliunde veritas evincatur, citandi sunt testes *ex officio*.

73. - Quod si argumentum physicum impotentiam neque probet neque excludat, aut physicam mulieris integritatem non adesse arguat, sed non excludat laesiones potuisse aliunde oriri quam ex naturali matrimonii usu, tunc expendat iudex an sit locus complemento probationum aut per testes aut per alia argumenta.

74. - Interrogationes his non minus ac aliis testibus faciendae, sunt a defensore vinculi concinnandae, ac iudici exhibendae modo et ratione supra determinatis; iudici non minus fas est, alias interrogationes ex officio proponere.

Caput XI.

De instrumentis.

75. – Redditas attestationes magis explicant, quatenus res ferat, et corroborant instrumenta. Haec, alia sunt *publica*, et alia *privata*. In his causis inter instrumenta publica potissimum habetur fides authentica celebrati matrimonii, e paroeciae regestis deprompta, quoties haec in causae instructione requiratur. His accensentur acta et sententiae tribunalis civilis, si apud illud de controverso matrimonio aliqua causa pertractata fuerit. Documenta privata communiter sunt epistolae a coniugibus inter se vel ad alios datae, et scriptae attestationes in favorem unius vel alterius partis exaratae.

76. – Utriusque generis documenta aliquando partes sponte exhibent, sed aliquando iudicis erit ex auctoritate sua perquirere, et de iis partes vel testes in examine interrogare. Si pars aut testis documentum exhibere recuset, iudex, audito vinculi defensore, vel eo postulante, decreto suo statuat an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit (can. 1824).

77. – § 1. Documenta quaecumque fidem non faciunt, nisi constet esse authentica et genuina.

§ 2. Documentum privatum, uti epistola, etc., probat pro vel contra suum auctorem, perinde ac attestatio seu confessio extrajudicialis, cuius pondus ex circumstantiis desumitur, et in genere haec documenta aestimantur maxime a tempore quo prolata fuerunt, ad normam n. 70.

78. – Si documentum alicuius momenti in causa exhibeatur carens debitis formis pro fide facienda, iudicis erit curare *ex officio*, aut ad instantiam defensoris vinculi aut partium, ut quae necessaria sunt compleantur, ne causa tali adiumento privetur.

Caput XII.

De indiciis et praesumptionibus.

79. – § 1. Matrimonium non praesumitur mansisse inconsummatum; quare in singulis casibus allegata causa inconsummationis sedulo investiganda est.

§ 2. Factum vero cohabitationis coniugum *praesumptionem iuris* constituit de secuta consummatione (can. 1015 § 2).

80. – Matrimonii inconsummatio ex sequentibus causis impedientibus, ut plurimum, procedere solet:

a) ex defectu veri consensus in matrimonium;

b) ex vi et metu;

c) ex adversione et odio in ipso vitae coniugalis initio exortis inter sponsos;

d) ex impotentia sive absoluta sive relativa.

81. – Externa vitae coniugalis ratio et circumstantiae, ex quibus ad causam inconsummationis adstruendam argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis praesumptionibus* appellatur. Indicia et praesumptiones sunt *levia, gravia* et *gravissima*, pro minore vel maiore cum inconsummationis causa necessitudine.

82. – Facta vero et circumstantiae, quae unam vel alteram ex causis n. 80 recensitis indicant, praesumptionem faciunt in favorem inconsummationis.

83. – Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae inconsummatio tribuenda sit. Res est magni momenti, cui omni cura adlaborandum est: facta enim et circumstantiae, quae unam alteramve ex praefatis causis indicant et determinant, probationes iam aliunde collectas valde corroborant.

Caput XIII.

De inspectione corporali.

84. – § 1. In causis inconsummationis requiritur uxoris inspectio corporalis, per peritos facienda, uti infra exponetur, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat; quo in casu processus ad exitum erit perducendus ex morali argumento, adminiculis suffulto, seu aliis probationibus ad normam n. 64.

§ 2. Viri corporalis inspectio quae, ut plurimum, valde confert ad tute adstruendum factum inconsummationis, non est praetermittenda cum inconsummatio tribuatur eius impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habeatur probatio.

§ 3. Hisce in casibus, si vir renuat se inspectioni subiicere, probabiles rationes huius recusationis sunt in actis referendae, et suppletoriae probationes, si haberi possint, erunt comparandae.

85. – In casu dubii de corporali inspectione facienda aut omittenda, decisio spectat ad iudicem, audito vinculi defensore, salvo iure defensoris vinculi se opponendi decreto, ad tramitem nn. 22 et 28.

86. – Inspectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis, in sequentibus casibus:

a) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi;

b) si certo iam constet de mulieris defloratione (can. 1976).

87. - Iudicis est peritos, medicos aut obstetrices, eligere vel designare, audito vinculi defensore (cf. in Appendice n. XXVIII). Ii prae ceteris eligantur, qui non tantum idoneitatis testimonium a competenti magistratu obtinuerunt, sed etiam qui artis suae experientia insignes habentur, et honestatis ac religionis fama praefulgent. Qui non habiles ad testimonium ferendum sunt iuxta can. 1757, nec ad periti munus exercendum assumi possunt. Item nec assumantur, qui in adiunctis versantur in can. 1613 § 1 adnotatis, si nempe ob consanguinitatem vel affinitatem cum partibus, aut propter amoris vel odii sensus erga partes easdem, aut etiam ob commodum vel incommodum sibi obveniens ex causae decisione, suspicio de eorum probitate in iudicio vel voto ferendo oriri possit.

88. - Ad periti munus exercendum etiam illi ne admittantur, qui coniuges private inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis inconsummationis. Licet tamen et congruit hos tamquam testes inducere (can. 1978), nunquam tamen praetermittatur, quatenus fieri possit, eorum scriptas attestationes referre inter instrumenta.

89. - § 1. Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant debitaque in arte sua experientia polleant, *ex officio* designentur. Integrum est tamen mulieri inspiciendae expetere ut loco obstetricum, a duobus medicis, pariter ex officio designandis, inspiciatur; quod et Ordinarius, si necessarium duxerit, decernere potest, audito vinculi defensore, praecipue ob aliquod dubium fraudis, scilicet quod praesidia artis adhibita sint ad reparandas partium laesiones (can. 1979 §§ 1-2).

§ 2. Quod si, ob singulares locorum circumstantias, impossibile vel valde difficile aliquando fuerit, ut duae peritae obstetrices aut duo medici reperiantur, tolerari poterit ut inspectio fiat ab uno perito et ab una obstetrice (cf. *Instr. S. C. S. O.*, a. 1883, *Quemadmodum matrimonii foedus*, tit. VI, art. 5, n. 49). Si ob easdem circumstantias, neque hoc obtineri valeat, tolerari etiam poterit ut inspectio fiat a duabus matronis seu mulieribus nuptis, moribus et aetate gravibus, et ad rem idoneis. Quoties peritia a duabus matronis, uti supra, peracta fuerit, curandum erit ut earum relationes examinandae subiiciantur uni vel duobus in arte peritis, ibidem vel alibi commorantibus, ut suum proferant votum circa conclusiones ex matronarum relationibus deducendas.

90. - In inspectione mulieris, sive ea a peritis medicis, sive ab obstetricibus fiat, sequentia observanda sunt:

a) plene serventur christianae modestiae regulae;

b) adstet semper honesta matrona, *ex officio* designanda;

c) inspectionem exsequantur seorsim singuli vel singulae:

d) in exploratione honesta quidem methodus et cautelae adhibeantur, prout scientia ac prudentia opportune suggesserit: et de iis, quae adhibita sint, mentio in relationibus fiat;

e) pariter singuli vel singulae seorsim conficiant relationes intra terminum a iudice praefinitum tradendas;

f) relationes sive a medicis sive ad obstetricibus confectas, iudex alterius medici examini subiicere potest, si id opportunum existimaverit (can. 1979-1980).

91. – In matronam eligatur mulier aetate gravis, religione et honestate spectabilis, corruptioni et deceptioni non facile obnoxia, quae, praestito iureiurando, officii sui partes eiusque gravitatem intelligat, ac de eo rite functo, coram tribunali relationem reddere valeat (cf. formulam in Appendice sub n. XXIX).

92. – Ratio exsequendae inspectionis haec erit:

Iudex locum designat, in quo ea est peragenda, et mandabit quod mulier prius balneo subiiciatur, servatis suetis conditionibus aquae tepentis, et temporis, quod non brevius dimidia hora esse debet. Quod si designati periti, medici vel obstetrices, censeant in casu balneum vel omnino esse inutile, vel potius nocivum, iudex, perpensis adiunctis, rem definiat, audito defensore vinculi, prout in casu magis expedire iudicaverit.

Periti autem expleant suum examen, ut distincte referre valeant de singulis signis, quae mulieris integritatem inferre sinunt, vel potius eidem refragantur; in id etiam caute advertentes, ne apparens integritas callide, medicinalis artis ope, fingi potuerit.

93. – § 1. Periti, medici aut obstetrices, suam seorsim scriptam relationem peragant (cf. n. 90, *e*) circa conclusiones ex inspectione deductas, et postea erunt singuli a iudice interrogandi, iuxta interrogationes seu articulos a defensore vinculi antea concinnatos, iisque ipsi, praestito iureiurando, respondeant; et examen absolvatur servato praescripto n. 46. Vinculi autem defensor peculiares articulos et interrogationes praesertim eruat ex relationibus ab iisdem peritis exhibitis (can. 1981; cf. in Appendice n. XXX et XXXII). Periti vero perspicue indicare debent qua via et ratione processerint in peragenda inspectione, et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur (can. 1801 § 3).

§ 2. Quod si periti discordent sive quoad ea quae perlustrando repererint, sive in conclusione finali, iudex poterit relationem unius periti submittere iudicio alterius, ut explicet ex quo repetenda sit contradictio; et, si casus ferat, etiam permittere poterit ut inspectio fiat collegialiter, et votum collegiale habeatur, sed deinde seorsim periti interrogentur (cf. can. 2031 n. 5); nisi idem iudex peritiorem eligere magis expedire iudicaverit, qui super relatis a primis peritis suffragium proferat, facta ei quoque, si casus ferat, potestate

inspectionem denuo peragendi; aut novos de integro peritos adhibere (cf. can. 1802 et 1803).

94. – Postremum in iudicio vocanda erit matrona, quae inspectioni adstitit, et, delato iureiurando, ad rem interrogetur (cf. in Appendice n. XXXI).

95. – Ad inspiciendum virum, si casus ferat, duo periti medici *ex officio* deputari debent (can. 1979 § 1); qui, praestito iureiurando de munere fideliter implendo et de secreto servando (cf. in Appendice n. XXIX), monendi erunt, ut artis praesidiis utantur licitis et honestis, et referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta, quae potentiam virilem adstruere aut excludere videantur.

Caput XIV.

De processus conclusione.

96. – § 1. Iudex processum clausum ne decernat, nisi prius vinculi defensor declaraverit sibi nihil inquirendum superesse, et etiam ad hoc auditis partibus.

§ 2. Antequam decretum conclusionis edat, iudex acta attente consideret, partium ac testium depositiones inter se et cum ceteris e processu emergentibus conferat, et videat an sint quaedam incompleta et contradictoria aut ambigua. Si quae huius generis repererit, audito vinculi defensore, partes aut testes, prout opus fuerit, iterum citet et, appositis interrogationibus, quae vel supplenda vel declaranda sunt exquirat, aut etiam per testes ex officio inductos, suppleri vel declarari satagat.

§ 3. Item antequam conclusioni annuat vinculi defensor, actorum examen instituat, ut expendat utrum ea sint ulterius complenda ad normam harum regularum (cf. in Appendice n. XXXIII).

97. – § 1. Clausa processus instructione, iudex neque ad ipsius processus publicationem, neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat (can. 1985).

§ 2. Nihilominus si partes aut harum altera, post conclusionem, petant sibi ostendi vel testium nomina aut eorum responsiones vel aliquod documentum, idque postulent gravi de causa, iudex, audito defensore vinculi, necnon parte cuius intersit, si casus ferat, hoc indulgere valet, intra limites tamen probatae necessitatis, et excluso quovis periculo collusionis et corruptionis; de publicatione autem processus aut alicuius partis, expressa mentio in actis facienda erit.

98. – § 1. Clauso processu, vinculi defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones conficere debeat, in primis animadvertens

an regulae hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne.

§ 2. Deinde acta omnia una cum voto scripto Episcopi (can. 1985), vel, sede vacante, Vicarii Capitularis vel Administratoris Apostolici, vel alterius legitime Episcopi vices facientis (can. 429 et 431), et defensoris vinculi, transmittantur ad H. S. Congregationem.

99. – Praesentes regulae in instruendis processibus de non consummatione semper erunt adamussim observandae, et si aliquando ab eis aequa ratio suadeat esse recedendum, iudex de huius rei motivo rationem reddat in actis, ut constet de inobservantiae causa.

100. – Harum regularum observantia Ordinariis potissimum committitur, et ad eos spectat a seipsis constituta tribunalia vigilare, ne ab iis deflectant. Ipsis propterea integrum est, pro sua prudentia, quovis processus momento, acta examinare, consilia et monitiones officialibus dare, et eos, gravi de causa, ipso iudice subdelegato non excluso, audito vinculi defensore, removere Si quando his remediis fuerit locus, vel aliud secutum sit inconveniens, cum acta transmittuntur, de re Apostolica Sedes certior reddatur.

101. – § 1. Acta iudicialia, sive *acta causae* sive *acta processus* (cf. can. 1642), transmittantur ad H. S. C. in authentico exemplari, cum indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644.

§ 2. Quod si valde grave sit, sive ob necessarias expensas, sive alia de causa, exemplar authenticum ad S. C. transmittere, fas sit Curiae transmittere ipsa acta originalia, iis tamen cautionibus adhibitis, quae pro locorum conditionibus suppetunt ad tutam documentorum transmissionem.

Caput XV.

De rescripto pontificiae dispensationis eiusque expeditione.

102. – Dispensatio super matrimonio rato et non consummato a Romano Pontifice directe conceditur, et expeditur per rescriptum in forma gratiosa, ab Emo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, vel ab alio Emo Cardinali eius vice fungente, nec non a R. P. D. Secretario, aut a Subsecretario eiusdem S. C. subsignatum.

103. – Attenta eiusmodi forma, rescriptum effectum habet a temporis momento, quo in die audientiae Summus Pontifex dispensationem concessit, dummodo tamen eo momento preces veritati nitantur, tum quoad matrimonii inconsummationem, tum quoad dipensationis causas (can. 41). Quod si unum vel alterum desit, rescriptum, utpote obreptionis vel subreptionis vitio infectum, impetranti minime suffragatur.

104. – In rescripto dispensationis super matrimonio rato et non

consummato continetur, quamvis non expressa, vi can. 1053, altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii proveniente.

105. – Dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impetrant idemque postulanti traditur aut remittitur, et Ordinario exhibendum est (can. 51); verum ex officio ipsa Sacra Congregatio eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit.

106. – Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus, parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris, prouti casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii anno 1923.

✠ M. Card. Lega, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

APPENDIX

SEU PRAECIPUORUM ACTORUM FORMULAE, QUAE UTILITER ET OPPORTUNE ADHIBENTUR IN HIS CAUSIS.

I.

Supplex libellus uxoris oratricis.

Beatissime Pater,

N. N., filia ..., e dioecesi ..., civitate ..., annos nata ..., conditione ..., domicilium habens in civitate ..., via ..., sub paroecia ..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluta, quae sequuntur exponit:

Die ..., mense ..., anno ..., oratrix, tunc annum agens ..., praemissis denunciationibus a iure statutis ac ritu civili, matrimonium, in paroeciali ecclesia ..., cum *N. N.*, filio ..., e dioecesi ..., et civitate ..., tunc annorum ..., professione ..., rite contraxit.

Sed hoc matrimonium, contra oratricis ingenium, ad exitum perductum fuerat ab eius matre, quae omnem movit lapidem ut filiae animum sibi conciliaret; et cum nullum ab eiusmodi nuptiis daretur effugium, oratrix ad matrimonium celebrandum accessit, sperans fore, ut sensim sine sensu amor erga virum enasceretur.

At spem fefellit eventus, nam coniugali consortio vix instituto, vir pravam indolem pandit, ideoque defectus amoris in aversionem prorupit. Quapropter quindecim ab inito matrimonio diebus elapsis, vir, oratrice relicta, ad paternam domum remeavit; postero autem die, ipsa, urgente matre, virum assequi debuit; cum quo tamen vix quinque diebus transactis, ad matrem reversa est, malens potius mori, quam cum eo intolerabilem vitam ducere.

Tum ex hoc capite vir separationem a civili tribunali petiit atque obtinuit. Oratrix vero, apprime sibi conscia de non secuta matrimonii consummatione, tum ob perversam viri voluntatem, tum ob defectum amoris, imo aversionem ipsius oratricis, ad pedes Sanctitatis Vestrae confugit, Apostolicam dispensationem super matrimonio rato et non consummato misericorditer implorans.

Rationes autem ad petendam dispensationem sunt: 1° invincibilis oratricis aversio ergo virum, absque ulla spe reconciliationis; 2° incontinentiae periculum, attenta eius iuvenili aetate; 3° desiderium transeundi ad alias nuptias, eidem nuper oblatas.

Et Deus, etc.

Datum ..., die ... mensis ... anno ...

N. N. (Subscriptio, si fieri potest, manu ipsius oratricis).

Si libellus detur a viro, similiter exaratur, mutatis mutandis, genuina peracta factorum expositione.

II.

Litterae Ordinarii ad parochum, vel alium in casu magis idoneum, pro informatione et coniugum reconciliatione.

Revmus Ordinarius *N.*, adnexum libellum *N.*, uxoris oratricis, transmitti iubet ad Reverendum *N.*, parochum *N.*, eique committit ut reconciliationem oratricis cum coniuge *N.*, pro viribus et pastorali prudentia, per se aut per alium, curet. Quatenus vero praefati coniuges ad concordiam adduci nequeant, idem parochus distincte instructam hanc Curiam reddat de antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus matrimonii celebrationem, nec non de causis petitae dispensationis matrimonii inter eos initi; ac simul de probitate et credibilitate tum viri tum uxoris: et congruit ut allegetur fides de huius matrimonii celebratione ex integro, prout iacet in regesto matrimoniorum.

Interim etc. Die ... *N.*, Vic. Gen.

L. ✠ S. *N.*, Curiae Ep. Cancellarius.

Si forte parocho non expediat dare mandatum reconciliationis coniugum, alii personae prudenti et idoneae, si fieri queat sacerdoti, committi potest.

III.

RESPONSUM PAROCHI,
SI PARTES RECONCILIATIONEM RENUANT.

Illñe ac Revñe Domine,

N. (*mulierem, si eam antea interrogari expediat*), antea alloqui curavi, quae sui matrimonii vicissitudines exposuit, et suam valetudinem coniugali convictu labefactari, necnon necessitatem dissolvendi matrimonii monstravit. Post eam allocutus sum virum; qui ad cohabitationem restaurandam se paratum exhibuit, sed omnino desperat, ob uxoris pervicaciam.

In reconciliatione non ulterius insistendum censui, cum matrimonium saltem absque amore ex parte mulieris initum videatur, ac verisimilis sit inconsummatio, et aliunde periculum incontinentiae exstet ex parte oratricis, quod ut gravis causa pro dispensatione adducitur. Ex percontationibus peractis, de probitate et credibilitate utriusque coniugis satis constare videtur, ita ut fides eorum assertionibus praestari possit.

Praesentibus allegatur testimonium de celebratione matrimonii dictorum coniugum, in authentico exemplari.

Datum ex paroecia *N.*, die ...

Obsequentissimus subditus

L. ✠ S. *N.*

IV.

INFORMATIO ORDINARII AD S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM,
ET PETITIO FACULTATIS CONFICIENDI PROCESSUM.

Eñe ac Revñe Domine,

Transmitto ad Em. Vestram Revñam adnexum libellum, quo mulier *N.* dispensationem implorat matrimonii ab eadem contracti cum *N.*, utpote tantum rati; ac simul transmitto documenta (ut *informationem parochi, et alia quae habeantur*), necnon testimonium de celebratione matrimonii, ex quibus colligi potest oratricem fidem mereri. Quapropter cum libellus fundamento niti videatur, illum commendo, humiliter postulans, ut quatenus E. V. visum fuerit, facultas mihi tribuatur conficiendi processum super eiusmodi matrimonio, quod contenditur ratum et non consummatum, facta expressa facultate subdelegandi.

Interim S. Purpuram reverenter deosculor.

Datum ..., ex Curia Episcopali, die ...

Addictissimus famulus

L. ✠ S. *N.*, Episcopus.

N., Curiae Cancellarius.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

V.

ACTUS SUBDELEGATIONIS PERACTAE AB ORDINARIO ET DEPUTATIONIS OFFICIALIUM.

Cum Emus ac Revmus Dominus ..., S. R. E. Card., Praefectus S. C. de disciplina Sacramentorum, litteris datis die ..., Nos instructos fecisset de mandato ab eadem S. C. Nobis commisso, ut processum conficiendum curemus ad normam iuris, praesertim *Regularum* eiusdem S. C. diei 7 maii 1923, super asserta inconsummatione matrimonii contracti ab *N.* cum *N.* ..., et causis petitae dispensationis, expresse addita potestate subdelegandi; Nos per praesentes litteras ad eiusmodi processum conficiendum Iudicem sub-delegamus Revmum D. *N.*, qui sese gerat in omnibus ad tramitem Codicis I. C. et iuxta citatas *Regulas*, necnon iuxta peculiares instructiones a S. C. in praefatis litteris datas. Simul autem eligimus ac deputamus:

Defensorem vinculi R. D. *N.*

Actuarium R. D. *N.*

Datum ..., ex aedibus Nostris, die ... mensis ... anno ...

N., Episcopus.

L. ✠ S. *N.*, Cancellarius.

Si gravitas causae vel alia difficultas id suadeat, eodem decreto, vel in causae decursu, simili forma eliguntur qui vice iudicis subdelegati fungatur, necnon defensor vinculi et actuarius *substituti*.

VI.

TRIBUNALIS CONSTITUTIO.

Dioecesis *N.*

Dispensationis matrimonii N.-N. *quod contenditur ratum et non consummatum.*

Sessio I.

Anno Domini ..., mense ..., die ..., hora ..., in urbe ..., in aedibus ..., adsunt:

Iudex subdelegatus Revmus D. *N.*

Defensor vinculi Rev. D. *N.*

Revmus Iudex communicat:

1. Litteras S. C. de disciplina Sacramentorum, datas die ..., quibus Ordinario *N.* committitur instructio processus in causa super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*

2. Litteras Revmi Ordinarii *N.*, datas die ..., quibus (*nisi ipse per se gerat suum munus*) subdelegat officium iudicis eidem Revmo

D. *N.*; nec non deputat alios officiales supra scriptos: videlicet ut defensorem vinculi, Rev. D., *N.* et ut actuarium, Rev. D. *N.*

3. Supplicem libellum *N.*, uxoris oratricis, pro instituendo processu.

Tum Iudex instructor (*nisi sit ipse Episcopus*, cf. *Regulas* n. 19) ac singuli ministri tribunalis iusiurandum praestant de suo cuiusque officio rite ac fideliter adimplendo et de secreto servando, formulis adhibitis quae exstant in Appendice *Regularum* S. C. (v. infra nn. VII-IX).

Quibus peractis, Iudex decernit ut exemplar libelli intimetur viro, parti conventae, necnon ut idem libellus allegetur actis inquisitionis, prout etiam praefatae litterae S. C. et litterae subdelegationis Revmi Ordinarii.

Item Iudex constituit diem ..., horam ..., et aedes ... pro tribunalis proximo conventu, in quo oratrix examini subiiciatur, mandans ut eadem citetur: ac D. *N.* deputat ut cursorem, qui schedas citationis afferat.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio, quae subscribitur a Revmo Iudice subdelegato et a ministris tribunalis.

Die et loco ut supra.

N., Iudex subdelegatus.

L. ✠ S.

N., Defensor s. vinculi.

N., Actuarius.

VII.

Iusiurandum praestandum a Iudice subdelegato.

Ego *N.*, a Revmo Dño Ep. *N.*, subdelegatus iudex instructor (*vel deputatus ut vices geram iudicis instructoris*) in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, iuro me officium iudicis instructoris rite ac fideliter impleturum, servatis, quantum per me fieri poterit, praescriptionibus C. I. C., ac potissimum *Regulis* a S. C. de disciplina Sacramentorum editis die 7 maii 1923, quavis personarum acceptione posthabita, et secretum servaturum. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango.

VIII.

Iusiurandum Defensoris vinculi

Ego *N.*, a Revmo Domino Ordinario *N.* defensor vinculi legitime deputatus (*vel defensor vinculi substitutus*), pro instruendo processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, iuro me munus mihi collatum diligenter et

incorrupte expleturum, iuxta praescriptiones C. I. C. et *Regulas* a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum editas die 7 maii 1923; et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad matrimonii iura tuenda conferri poterunt, posthabito omni humano respectu; atque officii mei secretum religiose servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

IX.

Iusiurandum ab aliis officialibus praestandum.

Ego *N.*, iuro me munus actuarii (*seu actuarii substituti*) in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, mihi ab Illmo et Revmo Domino Ordinario *N.* commissum, rite ac fideliter, iuxta praescriptiones Cod. I. Can. atque *Regulas* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum. diei 7 maii 1923, in omnibus expleturum, et de rebus, quas ratione mei officii cognoscam, secretum omnimode servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

X.

Decretum pro citatione uxoris oratricis.

Anno Domini..., die... mensis..., in aedibus palatii episcopalis..., coram Revmo D. *N.* Iudice..., Rev. D. *N.* defensore vinculi, meque infrascripto actuario:

Visis litteris Sacr. Congr. de disciplina Sacramentorum diei..., quibus Rmo Ordinario... facultas tribuitur conficiendi processum super asserta inconsummatione matrimonii inter *N.* et *N.*, et causis petitae dispensationis;

Attentis litteris Revmi Ordinarii... diei..., quibus Revmum *N.* subdelegat ad eiusmodi processum instruendum;

Idem Iudex subdelegatus, audito vinculi defensore, ad examen uxoris oratricis procedendum esse decrevit; ideoque dictam uxorem citari mandat, ut compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius s. Tribunalis, in via..., num. ..., anno..., mense..., die..., hora.... ut examen subeat in causa matrimoniali a se intentata.

Simul nuncium dat defensori vinculi, ut ante praedictum diem exhibeat interrogatoria clausa et obsignata, uxori oratrici proponenda; atque ut examini praefatae mulieris, loco, die et hora, ut supra, intersit.

L. ✠ S.

N., Iudex instructor.
N., Defensor vinculi.
N., Actuarius.

De his quae mandat et iubet iudex, in actis actuarius refert; et hoc semel pro semper advertisse sufficiat.

Similiter, mutatis mutandis, conficitur decretum pro citationibus partis conventae ac testium.

Insuper Iudex mandat, ut interea a parochis tam uxoris oratricis, quam viri conventi, ac testium, qui sunt excutiendi, sin minus a Curia, exquirantur litterae testimoniales seu documenta, quibus, accuratiori modo quo fieri possit, et sub secreto, significentur notae de honestate, religione et veracitate utriusque coniugis ac testium, necnon alia referantur, quae necessaria et opportuna ad eorundem depositiones aestimandas videantur.

XI.

Litterae Iudicis ad parochum partium pro informatione super probitate et credibilitate coniugum et testium.

(*Sub secreto*).

Cum ex facultate S. C. de disciplina Sacramentorum diei ..., et ex subdelegatione Revmi Ordinarii huius Dioecesis, in hoc s. Tribunali instruatur causa super asserta inconsummatione matrimonii initi inter *N.* et *N.*, et causis imploratae Apostolicae dispensationis, instante praefata uxore *N.*, necesse est ad normam *Regularum* eiusdem S. C. diei 7 maii 1923, ut sedulo investigetur et legitimum testimonium praebeatur de utriusque coniugis ac testium qui inducuntur credibilitate.

Quapropter infrascriptus Iudex instructor in eadem causa, praesentibus mandat R. D. *N.*, sponsorum parocho, ut pro pastoralis sui officii sanctitate et sollicitudine, ad rem accurate inquirat et distincte huic Tribunali significet notas de religione et honestate utriusque coniugis ac testium qui inducuntur videlicet ...: an nempe praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant et an eis credi debeat, etiam cum deponant de rebus, quae ipsorum intersint, seu circa assertam matrimonii inconsummationem.

Insuper, pro sua prudentia, idem parochus referre velit de omnibus aliis, quae ad utriusque coniugis ac testium depositiones rite aestimandas necessaria et opportuna videantur, ita ut sufficiens plenum testimonium ad praefatam S. Congegationem transmitti possit, circa rem, quae ad controversum matrimonium pertinet.

Quod si coniuges vel testes vel aliqui eorum non fuerint cogniti, opportunas inquisitiones instituat, ope sacerdotum ecclesiae paroeciali addictorum, vel alius prudentis personae, sibi bene visae,

et quidem sub secreto, sed ita, ut congruae et certae notitiae colligantur.

Datum ex aedibus ..., die ... anno ...

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

Si sponsi in diversis paroeciis commorentur, parochi utriusque paroeciae sunt rogandi.

Quod si coniuges ac testes potiusquam ubi impraesentiarum degunt, alia in paroecia magis cogniti fuerint, informationes ab illo parocho opus est exquirere, vel etiam ab utroque parocho utriusque commorationis.

Quoad etiam peritos, qui et ipsi probitatem quidem et credibilitatem praeseferre debent, non semel usuvenit quod eiusmodi informationes sint exquirendae.

XII.

Informatio parochi.

Specimen responsionis a parocho dandae, si informationes sint respective parti, aut partibus, aut testibus favorabiles; factis in textu litterarum necessariis mutationibus, pro subiecta materia.

Quod attinet ad informationes a Revmo Iudice instructore in causa... expetitas litteris diei..., infrascriptus parochus Ecclesiae *N.* pro suo munere respondet, se *N.* uxorem oratricem, in finibus huius paroeciae commorantem, pluribus abhinc annis perspectam habere; ac praesentibus litteris, quatenus sibi constiterit, fidem facit eandem mulierem religione et honestis moribus imbutam esse, ac bona existimatione gaudere, ita ut mendacio obnoxia non existimetur. Quibus attentis, oratrix incapax periurii putatur, etiam in sui favorem, et credibilis apparet quoad assertionem de inconsummatione sui matrimonii. Ceterum cum idem parochus, occasione porrecti libelli pro huius causae introductione, rogatus a Revmo Ordinario, investigationes peregerit et cum praefata muliere collocutus fuerit, censuit eandem sinceram et veridicam esse.

Quod autem ad virum conventum spectat, etc.

In fidem.

Ex paroecia..., die ... anno...

L. ✠ S. *N.*, Parochus.

Ex adverso, si informationes non sint favorabiles, parochus iis utatur verbis, quae a veritate minime deflectant, quaeque prudentia pro diversis casibus suggerat.

Si parochus sponsos, vel testes, vel peritos non probe noverit, neque certas de iisdem informationes aliunde, pro sua conscientia, colligere queat, iudicem in sua responsione, adductis rationibus, aperte doceat.

Iudex autem tunc alias personas probas et apprime instructas, per se rogabit, vel, si ita censuerit, per Ordinarium informationes ad rem exquiret.

XIII.

Litterae Iudicis ad Ordinarium (quoties hic non sit Iudex et eius pera utiliter postuletur) pro exquirendis informationibus.

Illme ac Revme Domine,

In causa dispensationis matrimonii *N. N.*, quae ex subdelegatione facta ab A. T. die ..., in hoc Tribunali instruitur, cum parochus sponsorum (*vel testium ... vel peritorum ...*), apposite rogatus, responderit se eosdem coniuges (*vel testes ... vel peritos ...*) haud bene cognitos sibi habere, neque informationes tuto haurire aliunde posse, et hoc Tribunal eiusmodi informationes ex aliis fontibus excipere non potuerit, A. T., pro sua ampliori auctoritate et rerum ac personarum cognitione, dignetur directe inquirere de religione, honestate et veracitate partium (*vel testium, vel peritorum*), ita ut eorum depositiones seu relationes rite aestimari valeant.

Interim, etc.

Datum ..., die ... anno ...

Addictissimus famulus
L. ✠ S. *N.*, Iudex subdelegatus.
N., Actuarius.

XIV.

Litterae Ordinarii ad colligendas praefatas extraordinarias informationes.

(*Sub secreto*).

Illme Domine,

Cum ex facultate S. Congr. de disciplina Sacramentorum, in hoc dioecesano Tribunali, ad instantiam uxoris *N.*, instruatur causa super matrimonio ab eadem muliere inito cum *N.*, quod asseritur minime fuisse consummatum, et ideo a Summo Pontifice gratia dispensationis efflagitetur; cumque Nobis constiterit te religione et probitate vitae, nec non personarum ac rerum scientia et prudentia pollere, atque tibi praefatam mulierem oratricem (*vel testis aut periti personam*) cognitam esse, praesentibus litteris te rogamus ut,

pro caritate et obsequio quibus erga Ecclesiam praestas, velis Nobis accuratas et distinctas praebere notitias, secreti lege quidem interposita, de religiositate, honestate et veracitate dictae mulieris (*vel testis vel periti*), praesertim in iudiciali et iurata assertione circa assertam matrimonii inconsummationem, ita ut dignoscatur utrum in re tanti momenti fide digna habenda sit necne.

Interim Deus, etc.

Datum ..., die ... anno ...

N., Ordinarius.

L. ✠ S. *N.*, Cancellarius.

XV.

Citatio uxoris oratricis.

De mandato Revmi *N.*, Iudicis instructoris in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum, inter *N.* et *N.*, domina *N.*, habitans in via ..., num. ..., uxor oratrix in causa, personaliter compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius s. Tribunalis, in via ..., num. ..., anno ..., mense ..., die ..., hora ..., ut iuratum examen subeat in causa a se intentata.

Datum ..., ex aedibus ..., die ...

N., Iudex.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

Eiusmodi citationis fiunt duo exemplaria, quorum unum traditur cursori, remittendum parti, iuxta praescriptum Codicis, can. 1717 ss., alterum asservatur in actis, et in calce eiusdem cursor refert ea quae peregit.

XVI.

Relatio intimationis a cursore peractae, facienda in exemplari in actis asservato.

Refero me infrascriptum deputatum cursorem Revmae Curiae Episcopalis *N.*, hodie intimasse et reliquisse authenticum exemplar citationis dominae *N.*, in ipsius domicilio, via ..., num. ..., tradendo praefatum exemplar in manus eiusdem dominae *N.* (vel personae de eius familia aut famulatu, et ad normam can. 1721 ss.)

In fidem, etc. Die ... mense ... anno ...

N., Cursor deputatus.

Similiter exaratur scheda citatoria et fit relatio intimationis pro parte conventa et pro aliis in ius vocandis.

XVII.

Defensor vinculi exhibet interrogatoria oratrici proponenda.

N., in causa assertae inconsummationis matrimonii inter *N.* et *N.* defensor vinculi legitime deputatus, exhibet sequentia interrogatoria, clausa et obsignata, et nonnisi in actu examinis a Iudice aperienda, atque instat ut super iisdem examinetur domina oratrix *N.*, in causa a se intentata, servata forma a iure statuta: alioquin protestatur, etc.

Haec cum facultate alia addendi, delendi, corrigendi, etc.

Datum ..., die ...

N., Defensor vinculi.

Item exhibentur interrogatoria pro examine partis conventae, testium ac peritorum.

Iusiurandum praestandum a partibus ac testibus de veritate dicenda.

Iudex gravibus verbis coniuges ac testes antea moneat de sanctitate iurisiurandi et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotans peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et *periurii funestissimos effectus*, iuxta ea quae in *Decreto* admonentur: et prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat de poenis, quibus periurii noxii fiunt in foro Ecclesiae, quaeque recoluntur in *Regulis*, sub. n. 40.

Deinceps iudex partem vel testem alloquitur:

Velis invocare Nomen Divinum in testem veritatis, tactis sanctis Evangeliis, sequenti formula:

Ego *N.* iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, quam super re universa, prout eandem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter expositurum, quin aliquid addam, omittam vel immutem. Sic me Deus adiuvet, etc.

XIX.

Examen uxoris oratricis.

Sessio ...

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini ..., die ..., hora ..., in urbe ..., in aedibus ..., coram R. D. *N.*, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. *N.*, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuit D. *N.*, oratrix in causa dispensationis sui matrimonii, pro hac die et hora rite citata.

Iudex iusiurandum ab oratrice petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam (*prout sub n. XVIII*).

Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria uxori proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen oratricis, quae ad singulas quaestiones respondet ex ordine ut sequitur.

Interrogationes generales.

1. Iudex partem interroget circa nomen, cognomen, nomen patris originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

An obligationes religiosas adimpleat.

Tum Iudex mandat actuario ut legat, pro norma partis, nomina iudicis et ministrum tribunalis.

Deinceps, quatenus casus ferat, Iudex oratricem inducere conetur ad reconciliationem cum coniuge, propositis rationibus, iuxta qualitatem personarum et adiunctorum diversitatem, opportune depromptis, praesertim ex. gr. ex sanctitate initi matrimonii, ex auxilio divinae gratiae ad eiusdem onera sustinenda, ex tranquillitate conscientiae et pace familiarum, ex difficultatibus quae processum pro petita dispensatione comitantur; et apprime postulet quaenam causae opponantur quominus reconciliatio obtineatur, contendens ut eaedem causae, si fieri queat, removeantur.

Interrogationes particulares.

Post interrogationes generales, quaestiones particulares, prudenter pro adiunctis variandae, deferuntur. Speciminis gratia proponuntur plures circumstantiae quae prae oculis haberi debent, non tamen singulae in singulis processibus, sed pro subiecta materia.

2. Interr. Utrum confirmet an non suum supplicem libellum (*qui, si opus fuerit, legatur*) in singulis partibus? An et cuiusnam opera vel consilio oratrix usa fuerit pro huiusce causae propositione, et in supplici libello conficiendo?

3. Interr. Quando sponsi nuptiales negotiationes inchoarint, et quamdiu hae duraverint?

4. Interr. An matrimonium de parentum consensu et ex mutuo amore inierint?

5. Interr. An praecesserint banna; quo loco, quibus intervenientibus, qua communi laetitia et pompa matrimonium fuerit celebratum?

6. Interr. Quo tempore coniuges simul convenerint, eodem cubiculo et toro cubaverint?

7. Interr. An officiis coniugalibus ultro libenterque operam dederint, et matrimonium consummaverint? (*Si opus fuerit*: An pars reapse sciat in quo eiusmodi consummatio consistat?).

8. Interr. Si non consummaverint, an postea ad consummandum conatus adhibuerint, quoties, quomodo et quonam exitu?

9. Interr. An oratrix coniugali operi navando dolorem aliquando experta fuerit?

10. Interr. An ei persuasum sit virum copulam perfecisse integre iuxta naturae legem?

11. Interr. An istius vestigia exterius, ut solitum est, reperta fuerint?

12. Interr. An oratrix causam vel causas tum remotas tum proximas assertae inconsummationis cognoscat, aut saltem suspicetur? Dicat quid sibi videatur. Potissimum ex. gr. an causa incossummationis fuerit defectus veri consensus in matrimonium, aut vis et metus in eodem ineundo, aut aversio inter sponsos exorta in ipso vitae coniugalis exordio, aut impotentia sive absoluta sive relativa, aut alia eiusmodi causa. Et peculiares circumstantias conatuum consummationis referat.

13. *Pro casu in quo asserta inconsummatio tribuatur infirmitati alterutrius coniugis*:

Interr. An aliquando alteruter coniux fuerit infirmus, et qua infirmitate? An et quos medicos consuluerit? Quae adhibuerit medicamenta, quanto tempore et quo effectu? Quaenam eorundem medicorum testimonia, vel alia documenta ad rem pertinentia habeantur?

14. Interr. An coniuges eodem cubiculo eodemque lecto semper usi fuerint?

15. Interr. Quis primus alterum deseruerit, qua de causa aut occasione proxima?

16. Interr. An et quando actum civilem celebraverint?

17. An fortasse de separatione vel solutione vinculi apud iudicem civilem actum fuerit, quo tempore, quo coniuge instante, quibus de causis, et quonam exitu? An decisio definitiva edita fuerit?

18. Interr. An sponsi suas coniugales vicissitudines; palam vel secreto, narraverint parentibus, consanguineis, amicis vel vicinis? Cui vel quibus, et quonam tempore de sui matrimonii inconsummatione locuti sint? In casu oratrix dicat eorum nomina et domicilia.

19. Interr. Quando et quonam modo oratrix didicerit matrimonium ratum et non consummatum a Romano Pontifice posse dispensatione dissolvi?

20. Interr. Quaenam sint cause, ob quas dispensationem a Summo Pontifice postulavit, et an in suo robore maneant?

21. Interr. An sciat utrum altera pars praesenti petitioni con-

sentiat necne, et qua de causa praevideat eandem consensuram, aut sese oppositurum esse?

22. Interr. Indicet testes, quatenus fieri possit, numero *septem*, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de eiusdem oratricis probitate, et praesertim de veracitate in praesenti controversia. Potissimum si qui facta noverint, a quibus praesentis quaestionis solutio pendeat, vel qui adiuncta ab uxore exposita confirmare valeant.

Afferat de eiusmodi testibus nomen, cognomen, domicilium (urbem, viam, dioecesim ac paroeciam), locum hodiernae commorationis, aliasque notitias opportunas.

23. Interr. (*Praesertim si reus contumax sit vel fore videatur*): Indicet oratrix testes etiam ex parte viri conventi, inter eiusdem consanguineos, affines et vicinos, vel alioquin edoctos, qui probabiliter utile testimonium praestare valeant in casu.

24. Interr. An habeat instrumenta vel documenta, sive publica, sive privata, ad rem facientia? (*Si apud civilem iudicem de controverso matrimonio actum fuerit*): An exhibere possit authenticum exemplar actorum et sententiae iudicis civilis? An in processu civili inspectio corporalis utriusque vel alterutrius coniugis peracta fuerit; quo in casu, utrum tam scripta relatio, quam oralis peritorum depositio exhibeantur; et quaenam de eadem inspectione sint adnimadvertenda, pro rei veritate?

25. Interr. An oratrix revera putet se adhuc integritate pollere, et parata sit corporali inspectioni duarum obstetricum vel duorum peritorum sese submittere, ad normam ss. canonum, praesertim *Regularum* S. C. de disc. Sacr. diei 7 maii 1923? Et quatenus fuerit deflorata, qua de causa et quo tempore id acciderit; et an eadem mulier inducere possit medicum vel peritum qui eam inspexerit et qui, a secreti vinculo solutus, testari valeat de statu oratricis post definitivam separationem a viro?

26. Absoluto examine, de mandato Iudicis, integra depositio clara voce legitur mulieri oratrici, et Iudex eandem interrogat:

Interr. An sit aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

27. Interr. Dein petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. infra n. XX).

Ac, praestito iureiurando, subscribunt oratrix, iudex, defensor vinculi et actuarius.

L. ✠ S.

N., Oratrix.
N., Iudex instructor.
N., Defensor vinculi.
N., Actuarius.

Si oratrix scribere nesciat, aut legitime impediatur quominus subscribat, id in actis adnotetur.

Si examen in unica sessione non absolvatur, suspenditur, facta adnotatione causae suspensionis, ex. gr.: « Ob horae tarditatem, suspensum fuit examen, animo et ordine prosequendi eodem loco, die ..., hora ... ».

Ad partis examen allegentur litterae testimoniales de eiusdem credibilitate expetitae et obtentae, ut supra diximus.

XX.

Iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando.

Ego *N.* iuro me solam ac totam veritatem dixisse, et nunquam, antequam praesens causa penitus absolvatur, evulgaturum sive propositas interrogationes, sive responsiones datas. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXI.

Iusiurandum ab interprete praestandum.

Ego *N.*, a Revmo Iudice in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, deputatus interpres, iuro me dictum munus fideliter impleturum, acta et documenta processus de verbo ad verbum diligenter et adamussim reddendo, ac simul secretum de omnibus, quae in processu acceperim, servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXII.

Decretum pro citatione partis conventae.

Revmus *N.*, Iudex instructor etc., audito vinculi defensore, in ius vocari mandat *N.*, virum conventum, eique dici diem ..., mensis ..., horam ..., in aedibus ..., in via ..., num. ..., ut iuratum examen subeat in processu ab *N.*, uxore eiusdem viri, intentato, quod in hoc s. Tribunali conficitur ex mandato S. C. de disc. Sacr., diei ..., super asserta inconsummatione matrimonii dictorum coniugum, et causis Apostolicae, quae efflagitatur, dispensationis; cum declaratione quod si idem vir conventus, die et hora praestituta, non comparuerit, neque absentiae excusationem allegaverit, contumax habebitur, et, eo absente, instante defensore vinculi matrimonialis, ad ulteriora in iudicio procedetur.

Datum ... die ...

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

XXIII.

Citatio partis conventae per edictum.

Romana.

Dispensationis matrimonii.

N.-N.

Cum ignoretur locus actualis commorationis D. *N.*, filii ..., conditionis ..., in hac causa conventi, oriundi ex loco vulgo ..., dioecesis ..., qui anno ... degebat in loco ..., via ..., num. ..., per hoc edictum praefatum virum peremptorie citamus ad personaliter comparendum, anno ..., mense ..., die ..., hora ..., in aedibus huius s. Tribunalis (via ... num. ...), coram infrascripto Iudice instructore, ad depositionem faciendam, iuxta interrogatoria eidem proponenda in causa assertae inconsummationis matrimonii, ab eius uxore *N.* intentata, ad implorandam Apostolicam dispensationem, et quae ex mandato S. C. de disciplina Sacramentorum diei ..., in hoc Tribunali peragitur.

Quod nisi compareat die et hora designatis, neque absentiae vel suae rationis agendi excusationem attulerit, contumax habebitur, et, eo absente, ad ulteriora procedendum erit, instante revmo defensore vinculi in eadem causa.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco praefati viri, curare debent, si et quatenus fieri possit, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.

Datum ..., die ...

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

XXIV.

Examen viri conventi.

Sessio ...

Serventur formae ut pro examine uxoris oratricis, et similes interrogationes proponi possunt; sed aliae pro rerum adiunctis magis accommodatae, adiiciendae erunt, aliae autem omittendae, aut de integro conficiendae; iuxta prudentiam et sagacitatem iudicis ac defensoris vinculi, huic eas exigant declarationes, quae, pro qualitate facti et personae, veritatem illustrare natae sint. Quoad vero corporalem viri inspectionem requirendam, attendantur quae praescripta sunt in *Regulis*, n. 84 §§ 2-3.

Ac parti, quae secundo loco interrogatur, si casus ferat, in fine examinis fiant contestationes circa responsiones alterius partis, quae etiam ad examen iterum vocari poterit, iuxta *Regulas* n. 55.

Si pars conventa in locum ubi tribunal coadunatur venire non possit, sive in aliena dioecesi sive in eadem degat, audiatur iuxta *Regulas* nn. 23-24; idque observetur etiam quoad alios in ius vocatos, qui in similibus versentur adiunctis.

Quod si pars conventa coram iudice non comparuerit, de non secuta comparitione in iudicium et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de contumacia, in actis mentio fiat. Et quidem si de renuentia ad obtemperandum agatur, iusta causa absentiae non allata, iudicis est, audito vinculi defensore, perpendere an renovanda sit citatio, vel aliis modis magis opportunis utendum sit, veluti interventu personae amicitia coniunctae vel auctoritate gravis; et idem dicatur pro contumacia aliorum in ius accitorum. Documenta vero contumaciam comprobantia in actis referantur et, praesertim pro parte conventa, declaratio contumaciae edatur (cf. X *Regulas* n. 26).

XXV.

Decretum declarationis contumaciae partis conventae.

Romana.

Dispensationis matrimonii.

N. N.

In causa *Romana, Dispens. matr.*, initi inter *N.* et *N.*, quam Revmus *N.*, Iudex, ex rescripto S. C. de discipl. Sacrament. diei ..., instante uxore, instruendam curat, cum vir *N.*, pars conventa, legitime citatus fuerit, (*vel* iterum citatus fuerit ad normam can. 1843 § 2, *vel* opportuna media adhibita fuerint ad eundem arcessendum) iuxta decretum praefati Iudicis diei ..., et revera constiterit citationem tempore utili ad notitiam dicti viri pervenisse, iuxta intimationem rite peractam a cursore Curiae die ... (*vel iuxta syngrapham receptionis per publicos tabelliones delatam*), ac simul constiterit eundem conventum, die et hora praescripta, neque dimidia parte horae immediate sequentis, coram iudice non comparuisse, et absentiae excusationem afferre neglexisse, neque ullo modo ab eiusmodi inobedientia recedere voluisse, Revmus Iudex instructor, audito defensore vinculi, eundem virum contumacem declarat; mandans ut, servatis servandis, ad ulteriora procedatur, usque ad conclusionem processus; idque parti contumaci notum fiat *ex officio*.

Ad hoc decretum adiiciuntur documenta contumaciam eiusdem partis conventae comprobantia.

Datum ..., die ...

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

XXVI.

Decretum citationis testium septimae manus ab oratrice inductorum.

Revmus *N.*, Iudex instructor in causa ..., audito vinculi defensore, testes septimae manus a muliere oratrice inductos, examini iudiciali subiici mandat, et ideo ad rem citari; videlicet:

1. *N.* (ex. gr. patrem eiusdem oratricis).
2. *N.* (matrem, etc.).
3. . .
4. . . .
5. . . .
6. . . .
7. . . .

Datum ..., die ...

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

Allegentur litterae testimoniales quae obtentae sunt circa testium excutiendorum fidem et probitatem.

Fiant schedae citatoriae, in forma simili ac pro partibus, mutatis mutandis; et similiter fiat intimatio.

XXVII.

Iudiciale examen testis *N.*, ab oratrice inducti.

Sessio ...

Serventur formae ut pro examine oratricis. Iudex testi defert iusiurandum, iuxta formulam sub n. XVIII, et reserat schedam exhibitam clausam a defensore vinculi, et continentem interrogatoria, quae deinde proponit.

Ad generalia: 1. Testis interrogetur circa nomen, cognomen, nomen patris, originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

2. An sit consanguineus vel affinis alterutri coniugi, et quo gradu?

3. Quo ex tempore, qua occasione et quomodo noverit coniuges *N.* et *N.*?

Ad specialia: 4. An perspectam habeat religionem et honestatem eorundem coniugum, ac propterea an testis putet unum alterumque vera dixisse; vel saltem eos habeat incapaces peierandi, etiam in sui favorem, et in re tam gravi de qua agitur?

5. An sciat utrum coniuges de quibus est sermo, sese libera voluntate et mutuo affectu copulaverint?

6. Quaenam fuerint signa mutui amoris, tam ante matrimonii celebrationem, quam in ipso die celebrationis, ac postea?

7. An sciat utrum condormierint et matrimonium consummaverint?

8. An sit instructus qua de causa consummare nequiverint? (Utrum ex. gr. ex defectu veri consensus in matrimonium, aut ex vi et metu in eodem ineundo, aut ex aversione et odio exortis inter sponsos in ipso vitae coniugalis initio, aut ex impotentia sive absoluta sive relativa, vel ex aliis quibuslibet causis?

Nota. - Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae asserta inconsummatio tribuenda sit, et perquirere de *indiciis* et *praesumptionibus*, quae ad comprobandam inconsummationem conferre possint, iuxta *Regulas* cap. XII.

9. An et quid coniuges experti sint, ut impedimenta ad consummationem perficiendam amoverent?

10. An inter eos lites extiterint, et alter alterum male habuerit?

11. Quae fuerit causa vel occasio mutati animi et sensus unius erga alterum?

12. Quanto tempore simul cohabitaverint, et quis primus alterum deseruerit?

13. Quaenam sit fama tam apud testem, quam apud alios de asserta inconsummatione?

14. An testis noverit alios sive ex parte oratricis, sive ex parte viri, qui sint de re instructi, et in hoc processu deponere possint?

15. An sciverit quando pars oratrix consilium ceperit petendi a Summo Pontifice dispensationem super rato, sed non consummato, et a quonam hanc Summi Pontificis facultatem didicerit?

16. An sit possibilis coniugum reconciliatio?

17. An testis habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Tum iudex integram depositionem editam a coniuge qui testem induxit, eidem testi legere faciat, ac petit:

18. An asserta in coniugis depositione veritati respondere in omnibus censeat?

Quodsi iudici non videatur opportunum integram legi coniugis depositionem, se gerat iuxta *Regulas* n. 68 § 2.

Dein testi leguntur omnia quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, ac rogatur:

19. An haec relatio responsiones redditas plene contineat?

20. Petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. supra n. XX).

Ac praestito iureiurando, subscribunt testis, iudex, defensor vinculi et actuarius.

N., Testis.
L. ✠ S. *N.*, Iudex instructor.
N., Defensor vinculi.
N., Actuarius.

Simili modo agendum est quoad ceteros testes septimae manus, et alios qui producuntur vel ad instantiam partis, vel *ex officio*.

XXVIII.

Iudex obstetrices, vel medicos, et matronam ad corporalem uxoris oratricis inspectionem ex officio designat.

Die ... mense ... anno ..., in processu super matr. quod contenditur ratum et non cons. inter *N.* et *N.*

Revmus *N.*, Iudex instructor, audito defensore vinculi, decrevit:

Procedatur ad legalem inspectionem corporis mulieris *N.*, uxoris oratricis; et ad hoc eligantur, prout praesenti decreto eliguntur, in obstetrices, *N.* et *N.*, (vel in peritos medicos *N.* et *N.*); in matronam, *N.*

Idque eis notificetur, et moneantur ut die ... mense ... hora ..., se sistant in aedibus ... via ... n. ..., ad memoratam inspectionem peragendam, iuxta C. I. C. et *Regulas* S. C. de disc. Sacram., diei 7 maii 1923.

Quod tum praefatae *N.*, mulieri oratrici, tum defensori vinculi significetur.

N., Iudex,
L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

Quod spectat ad ipsam inspectionem mulieris peragendam necne, cf. ***Regulas*** nn. 84-81.

Quoad qualitates requisitas in eligendis obstetricibus vel peritis, cf. ib. nn. 87-89; et quoad qualitates matronae, ib. n. 91.

Item, mutatis mutandis, editur decretum deputationis pro duobus peritis ad inspiciendum virum, si casus ferat.

XXIX.

Iusiurandum ab obstetricibus, vel medicis, et a matrona praestandum.

Iudex obstetrices, vel peritos, ac matronam moneat de iurisiurandi gravitate, praesertim in huiusmodi processibus, iuxta ea quae in *Decreto* significantur.

Deinceps obstetrices, vel praefati medici, iusiurandum praestant, tactis ss. Evangeliis, sequenti formula:

Ego *N.*, deputata ut obstetrix *ex officio*, ad peragendam peritiam canonicam super muliere *N.*, iuro me commissum officium fideliter obituram, eaque omnia exquisituram et deducturam, quae, per experimentum iuxta medicae artis principia absolutum, ad admittendam aut excludendam matrimonii consummationem conferre censebo; servatis praesertim praescriptionibus *Regularum* S. C. de disc. Sacr., diei 7 maii 1923, cap. XIII; et tam in scripta relatione, quam in orali interrogatorio, omnia expositurum iuxta veritatem; necnon secretum servaturam. Sic me Deus adiuvet, etc.

Pariter, tactis ss. Evangeliis, matrona iurat:

Ego *N.*, designata *ex officio* ut adstem corporali inspectioni mulieris *N.*, iuro me officium meum fideliter impleturam, observando potissimum praescriptiones *Regularum* S. C. de disc. Sacr., diei 7 maii 1923, cap. XIII, ac praesertim curaturam ne fraus committatur, atque ut pudoris leges sartae et tectae serventur; necnon in orali interrogatorio omnia expositurum iuxta veritatem, et secretum servaturam. Sic me Deus adiuvet, etc.

De iis, quae in peragenda inspectione servari debent, ac de ratione eiusdem inspectionis exsequendae, confer *Regulas* nn. 91 et 93.

Si vero iudex dubitet de sufficienti instructione obstetricum, adhibeat peritum medicum qui easdem ad rem instruat.

Inspectionem obstetrices vel periti seorsim singuli exsequi debent, servatis *Regulis* n. 93.

Peracta inspectione, pariter singuli seorsim relationem factae inspectionis et suam sententiam scripto consignent, in attestationibus tradendis intra terminum a iudice praefinitum, et quae actis integrae allegandae erunt.

Iudex autem designat locum, diem et horam ad orale examen peritorum et matronae.

XXX.

Orale examen periti vel obstetricis.

Anno, etc., coram Iudice, etc., adstantibus etc., comparuit D. *N.*, etc. (ut in aliis sessionibus; cf. initium examinis uxoris oratricis, mutatis mutandis).

Iudex instructor, perito vel obstetrici iterum delato, si ita existimet, iureiurando de veritate dicenda, reserat schedam obsignatam, ubi continentur articuli concinnati a defensore vinculi, quos hic praesertim eruerit ex relationibus ab iisdem peritis exhibitis, iuxta generales et peculiares circumstantias et difficultates, quae in casu actualis inspectionis sunt quidem animadvertendae.

Eiusmodi autem articuli, praeter eos qui in schemate infra notantur, desumi debent ex vulgatis a S. Sede Instructionibus, seu

ex Instr. S. Congr. Concilii, *Cum moneat glossa*, diei 22 augusti 1840; ex Instr. S. C. S. Officii, *Iudex ad hoc deputatus*, a. 1858; et ex Instr. eiusdem S. O., (ad Episcopos Rituum Orientalium), *Quemadmodum matrimonii foedus*, an. 1883, tit. VI, art. 5; atque ex consulto viri periti, pro difficultatibus alicuius peculiaris casus.

Praemissis interrogationibus generalibus, iudex dictos articulos perito seu obstetrici exhibet, qui esse poterunt ut sequitur; quibus *ex officio* alios, prout casus ferat, adiicere debet, attentis etiam dubiis et ambiguitatibus, quae ex ipso interrogatorio emerserint.

1. An perito aliqua sit necessitudo cum muliere inspecta, vel eius viro?

2. Quo tempore et quomodo eos noverit?

3. An sub vinculo iurisiurandi confirmet per omnes partes relationem, quam de corporali mulieris inspectione scripto exaravit?

4. An in eadem relatione aliquid addendum habeat, vel corrigendum, vel mutandum?

5. An peritus tum physicam inspectionem, tum etiam relationem seorsim ab altero perito confecerit?

6. An mulier balneo subiecta fuerit aquae tepentis, et quanto tempore?

7. Qua via et ratione peritus in peragenda inspectione processerit?

8. An idem peritus signa, ab arte tradita, integritatis aut corruptionis mulieris inspexerit in casu?

9. Quibus potissimum argumentis sententia a perito prolata innitatur?

10. An exstet aliquod dubium fraudis, praesertim an praesidia artis medicinalis callide adhibita fuerint ad integritatem simulandam?

11. An mulier aliquo morbo vel defectu vel anomalia laboraverit, quae influxum habere potuerint in coniugales relationes, et quidem et ipso tempore cohabitationis cum viro; et utrum curari queant, an non?

12. (*Si casus adsit*): Quomodo conciliari possit sententia periti cum contraria opinione alterius periti vel doctoris, vel cum contraria assertione unius vel utriusque coniugis (*quae perleguntur*)?

Nota. Relationes sive ab obstetricibus sive a medicis confectas iudex alterius periti examini subiicere poterit, si id opportunum existimaverit, et aliter se gerere iuxta *Regulas* n. 93 § 2.

13. Quidnam peritus perspexerit de generali corporis constitutione mulieris oratricis, de eiusdem temperamento et de statu psychico?

14. An et quae ab eadem muliere sciverit ad rem facientia?

15. (*Si casus ferat*): An peritus aliquid sciverit de statu physico alterius coniugis, scilicet viri conventi, quod ad rem pertineat; et

an eiusdem periti sententia reapse corroboretur, aut infirmetur, notitiis, quae in processu comparatae sunt de eiusmodi statu viri (*quae ideo leguntur*)?

16. Cuinam causae peritus assertam inconsummationem censeat esse tribuendam in casu?

17. An et quaenam alia sint experienda ad veritatem detegendam?

18. An, praemissa lectura depositionis, peritus aliquid habeat addendum, minuendum, corrigendum, mutandum?

Praestito iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, sequuntur subscriptiones, ut de more.

XXXI.

Orale examen matronae.

Serventur formae ut pro orali examine peritorum, mutatis mutandis.

Post rursus praestitum, si iudici videatur, iusiurandum de veritate dicenda, et post interrogationes generales, sequuntur quaestiones speciales, praesertim:

1. An matrona inspectioni indesinenter adstiterit?

2. An et quomodo balneum paratum et adhibitum fuerit? quanto tempore in eo uxor permanserit?

3. An officium suum medici vel obstetrices, servatis modestiae legibus, et iuxta normas eisdem statutas, diligenter expleverint?

4. Utrum ulla fraus aut deceptio locum habere potuerit?

5. An matrona aliquid habeat de re animadvertendum?

6. An aliquid habeat addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Si balneum adhibitum non fuerit, secunda interrogatio, uti patet, est omittenda.

Emisso iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, fit subscriptio.

XXXII.

De viri inspectione.

Quatenus viri inspectio requiratur (ad normam *Regularum* n. 84 § 2), duo medici *ex officio* deputari debent, qui, praestito duplici iureiurando, de munere fideliter adimplendo et de secreto servando (ut dictum est pro obstetricibus, vel medicis, quoad mulieris inspectionem, mutatis mutandis), a iudice moneantur ut singuli seorsim inspectionem viri, servata honestate, perficiant, et perscrutentur ea quae in *Regulis* n. 95, adnotantur.

Expleta inspectione, singuli seorsim relationes scripto consignent et iudici exhibeant, quae in actis integrae inseruntur, et ex quibus defensor vinculi suas expromit interrogationes.

Fit autem orale examen singulorum medicorum, in quo, si iudici videatur, post rursus praestitum iusiurandum de veritate dicenda, et post interrogationes generales, proponendae sunt quaestiones peculiares, prout eruuntur ex Instructionibus a S. Sede typis editis, quae supra memoratae sunt, n. XXX, iuxta casus adiuncta.

In genere prae oculis habendae sunt, quae sequuntur ex *Regulis* cit. n. 95:

1. An medicus licitis quidem et honestis praesidiis usus fuerit?

2. Quaenam argumenta vel indicia repererit, quae virilem potentiam adstruant, aut potius excludere videantur?

3. An vir aliquo morbo et quonam laboraverit, qui influxum in coniugales relationes habere potuerit?

4. Utrum eiusmodi morbus iam diu invaluerit, vel sit recens; naturalis vel acquisitus; curabilis absque salutis periculo, an non?

Et ad veritatem detegendam iudex, audito defensore vinculi, cuncta experiatur, ad normam *Regularum*, et ut adnotatum fuit in examine peritorum pro mulieris inspectione, congrua congruis referendo.

Demum, post delatum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, sequitur de more subscriptio.

XXXIII.

Conclusio instructionis processus.

In processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*

Interrogatis tum partibus, quae responderunt se nihil aliud habere quod deducant; tum defensore vinculi, qui declaravit sibi nihil amplius inquirendum superesse;

Perpensis omnibus actis, partium, testium ac peritorum depositionibus, relationibus et adnexis documentis;

Cum causa, attentis personarum ac rerum adiunctis, satis instructa sit, Iudex decernit clausam esse instructionem processus, et omnia acta, in authentico exemplari, una cum *voto scripto Illmi ac Revmi Episcopi*, et *defensoris vinculi*, transmittenda esse ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Ex aedibus ..., die ...

N., Iudex.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

Votum autem defensoris vinculi, nisi agatur de re evidenti, ne adstipuletur parti dispensationem postulanti, sed difficultates moveat, quae tum quoad ordinem processualem, tum quoad quaestionis meritum, refragantur, quamvis sophisticis argumentationibus non sit indulgendum.

XXXIV.

Testificatio de authenticitate exemplaris actorum.

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus exsistentibus in archivo huius s. Tribunalis, testor ego infrascriptus constare de fideli transcri ptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad S. C. de disciplina Sacramentorum.

Datum ..., die ...

In fidem, etc.

N., Iudex.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

B) ALIA DOCUMENTA, QUAE PROCESSUM RESPICIUNT SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO.

a) Litterae S. C. de Sacramentis quibus Ordinario conceditur facultas conficiendi processum super asserto matrimonio rato et non consummato.

Illme ac Revme Domine,

Relatis in Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum precibus quibus *N.* ... postulat dispensationem super matrimonio ab ... contracto cum *N.* ... utpote rato et non consummato, eadem S. C. praesentibus facultatem tribuit Amplitudini Tuae Revmae conficiendi processum super asserta non consummatione dicti matrimonii et causis dispensationis, cum potestate etiam subdelegandi pro excussione partium ac testium, prouti casus ferat.

Curet Amplitudo Tua, pro eo, quo pollet, zelo animarum et veritatis studio, ut in causa instruenda, hisce litteris Tibi commissa, Regulae adamussim observentur, quae editae sunt decretis diei 7 maii 1923 et diei 27 martii 1929.

Acta autem, ad normam Iuris completa, trasmittenda dein erunt ad hanc S. C. in authentico exemplari latino aut italico aut gallico sermone exarato.

Moneatur demum pars oratrix Sacram Congregationem in his causis procedere *omnino ex officio* cum votis suorum Consultorum.

Interim omnia bona et fausta Tibi adprecor a Domino.

Romae, etc. ...

Amplitudinis Tuae Illmae ac Revmae ...

b) Litterae eiusdem S. C. quibus petitur transmissio alicuius pecuniae summae pro taxis vel expensis.

Illme ac Revme Domine,

Antequam transmittantur ad hanc S. Congregationem acta causae Dispensationis Matrimonii *N.* et *N.* . . velit Amplitudo Tua Illma ac Revma partem oratricem monere aliquam summam, ad minus quingentarum libellarum, deponendam esse in arca eiusdem S. C. pro expensis vel taxis solvendis, quam A. T. transmittere curabit una cum actis processus.

Quod si talis pecunia a parte solvi nequeat, referat A. T. de paupertate ipsius, vel transmittat quod eadem pars iuxta eius vires solvere poterit.

Dum haec A. T. significo omnia fausta Tibi a Deo adprecor.

Romae, etc. ...

Amplitudini Tuae Illmae ac Revmae
addictissimus in Domino ...

c) Normae observandae in processibus super matrimonio rato et non consummato ad praecavendam dolosam personarum substitutionem.

In processibus conficiendis super matrimonio rato et non consummato aliquando malo fato evenire potest, quod quis coram tribunali ad deponendum, aut ad se subiiciendum peritorum examini physicorum sistens, alteram personam in ius vocatam, aut quomodolibet in processu partem habentem, dolo substituat. Praesertim in magnis urbibus, ob tam facilem et frequentem de uno in alium locum transmigrationem, hoc facinus est praecavendum.

Haec Sacra Congregatio proinde de sanctitate tanti Sacramenti sollicita, et ne iudicialis inquisitio ad fraudes potius texendas quam ad veritatem dignoscendam inserviat, in huiusmodi processibus has normas servandas esse decrevit.

1. – § 1. Officiales huiusmodi causis instruendis praepositi in processus instructione de identitate personarum, quae in tribunali sistunt, et in primis oratoris partisque conventae, diligenter inquirant; et ad hoc expostulent appositum documentum a potestate ecclesiastica aut civili rite confectum, in originali aut in authentico exemplari in actis asservandum.

§ 2. Authenticum exemplar, si singulas personarum notas in huiusmodi documentis signari solitas referre non valeat, ut puta imaginem arte photographica expressam, eas tamen sedulo referat, quae unam personam ab alia non aequivoce distinguant.

§ 3. Quod si huiusmodi documentum haberi non possit, per alia aequipollentia documenta, vel per testes, in tuto ponatur personarum identitas: et huiusmodi documenta aut attestationes in actis pariter serventur.

§ 4. Si vero iudex instructor aut vinculi defensor aut actuarius probe noscant oratorem seu oratricem aut partem conventam, praetermisso apposito documento identitatis, de certa qua pollent notitia ipsorum in actis fidem faciant.

2. – In iudiciali continuanda inquisitione eaedem cautelae serventur quoad testium personas et peritorum quoque, seu obstetricum.

3. – Huiusmodi cautelas studiosius, prouti qualitas personarum expostulat, observare oportet, quoties aut orator, aut pars conventa, aut testes aut periti ex commissione rogatoria apud aliam Curiam excutiendi sint.

4. – § 1. Quoties orator vel pars conventa physicum experimentum subire debeat, documenta de personae identitate iam in actis asservata, aut eorum exemplaria dentur peritis aut obstetricibus, ut ipsis bene explorata sit persona examini subiicienda.

§ 2. Quoties periti, obstetrices aut matrona, respective, quodam in examine partem habentes, personam explorandam personaliter cognoscant, adeo ut sit supervacaneum praefata documenta transmittere, de hac circumstantia in actis fides fiat.

§ 3. Peracto examine, dum peritis aut obstetricibus consueta interrogatoria fiunt, ad comparendum coram tribunali citetur etiam persona examini subiecta, ut de personae identitate interrogationes ei appositae fiant.

§ 4. Quod si persona comparere nolit aut non possit, de identitate ipsius experimento submissae aeque fiant interrogationes, habita ratione tum peritorum relationis, tum documentorum, quae ad hunc finem transmissa fuere; ut dictum est in § 1.

5. – Huiusmodi cautelae severius, prout casus feret, erunt observandae, si experimentum habeatur apud aliam Curiam ex mandato rogatorio.

6. – Fieri potest quod nonnullis omissis cautelis, vel iisdem non rite observatis, aut non satis proficientibus, substitutio personae dolosa accidat et detegatur, idque contingat:

1° processu adhuc durante;

2° clauso processu sed nondum Romam transmisso;

3° processu iam Romam transmisso.

1° - § 1. Processu adhuc durante, iudex inquirat an orator seu oratrix aut pars conventa substitutionem procuraverit; et si hanc pars oratrix comparaverit, et conventa non se opponat, audito vinculi defensore, decernat partem oratricem iure decidisse instantiam ulterius producendi, et hoc apposito decreto declaret, in actis asservando.

§ 2. Si pars conventa se opponat, iudex, aeque audito vinculi defensore, statuat utrum et quibus adhibitis diligentiis sit ulterius procedendum.

§ 3. Quod si pars conventa sibi comparaverit dolosam substitutionem, iudex, audito oratore seu oratrice et vinculi defensore, edicat quid in casu praestandum sit ad fraudis effectus penitus removendos, et factorum veritatem stabiliendam, attentis omnibus casus circumstantiis.

§ 4. Si pars oratrix et conventa in dolosam substitutionem conspiraverint, processualem inquisitionem haud ulterius procedere posse declaret et decernat iudex, eidemque finem imponat.

§ 5. Parti oratrici, quae facti poenitens se excuset, et novis adductis argumentis petat ad ulteriora procedi, iudex instructor, re collata cum defensore vinculi, habita ratione praecipue novarum deductionum, et alterius fraudis omni excluso periculo, poterit annuere, decernendo ulteriorem instructionis prosecutionem.

§ 6. Si substitutio dolo facta sit non a parte oratrice aut conventa, sed ab alia persona, iudex statuat, accedente defensoris vinculi consilio, qnomodo fraudis effectibus consuli possit, ne veritas aliarum attestationum, aut totus processus labefactetur.

2° - § 1. Detecta dolosa substitutione, et clauso iam processu, at Romam nondum transmisso, Ordinarius, audito iudice instructore et defensore vinculi statuat utrum ex dolosa substitutione sua vi destituatur integer processus, aut tantum ex quadam parte; et utrum expediat per actorum supplementum occurrere dolosae substitutionis vitio.

§ 2. Casu quo dolosa substitutio acciderit ad impetendam oratoris aut oratricis intentionem, adeo ut eamdem magis confirmari praesumi liceat, Ordinarius in transmittendis actis Romam, rem distincte explicet et declaret.

§ 3. At non semel expediens erit, servatis servandis, ut acta processus ulterius compleantur, ad facta clarius explicanda.

3° - Quoties detegatur dolosa substitutio, processu iam Romam transmisso, Ordinarius satagat illico ad hanc Sacram Congregationem transmittere suas animadversiones, audito iudice instructore et vinculi defensore, referens singulas circumstantias facti, et praesumptam causam fraudis et occasionem.

7. Ad compescendum huiusmodi facinus, iudices instructores

et Ordinarii prae oculis habeant praescripta canonum 1742 § 3°, 1755 § 3° et 2362 eaque applicent, congrua congruis referentes.

In his edendis normis, mens est huic Sacrae Congregationi, ut hae censeantur quid unum efficere cum regulis editis die 7 maii 1923; quae iam uberes fructus attulerunt in processuum instructione super matrimonio rato et non consummato, atque maiores in posterum allaturas esse sperare fas est, si istae exactius in usum forensem traducantur et intimius perspiciatur earundem intentio, quae plurimum in partium ac testium bona fide fundatur; haec autem asseritur et confirmatur per iusiurandum, quo in praestando, maxime partes exploratum et sibi firme persuasum habere debent, tantummodo veritati obsequendum esse, ne animabus suis, et forte filiis, malum paene irreparabile inferant. Hoc sedulo iudex explicare et inculcare numquam praetermittat.

Cum porro Emi ac Revmi Patres Cardinales Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum praepositi, praefatas normas maturo examini subiecissent, in plenariis Comitiis diei 23 martii c. a. easdem probarunt et publici iuris fieri, si ita Ssmo placuerit, rescripserunt. Ssmus autem D. N. Pius Papa XI, in audientia die 27 martii 1929 habita ab infrascripto Secretario S. C., haec omnia adprobare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 martii 1929.

✠ M. Card. Lega, Episcopus Tusculanus,
Praefectus.

L. ✠ S.

D. Jorio, *Secretarius.*

ALLEGATUM XIII

S. CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

INSTRUCTIO

AD EXCELLENTISSIMOS EPISCOPOS QUOAD DISPENSATIONES SUPER IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS IN PRIMO LINEAE COLLATERALIS GRADU MIXTO CUM SECUNDO IMPETRANDAS.

